Prov. Calif.

348.71

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionumiur0002caro

INSTITUTIONUM
IURIS CANONICI
COMMUNIS ET NEAPOLITANI

AUCTORE

CAROLO GAGLIARDO

OLIM IN REGIO ARCHI-GYMNASIO NEAPOLITANO

PROFESSORE IN CATHEDRA DECRETI

DEIN EPISCOPO MURANO

LIBER II.

IN HAC NOVISSIMA EDITIONE ACCESSERUNT

ANIMADVERSIONES ET ADDITIONES

IOSEPHI ROMANI

EPISCOPI S. ANGELI LOMBARDORUM ET BISACCIEN

ALMA COLLEGE
34571
LIBRARY
Alma, California

TOMUS II.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCORÆ

MDCCCXLVIII

3890

INSTITUTIONUM

IURIS CANONICI

LIBER II.

TIT. I.

De rebus sacris et ecclesiasticis.

I. Sacras, et ecclesiasticas res complectitur pars altera Iuris Canonici.
II. Quum incorporales, tum corporeas.
III. Quarum aliae spirituales, aliae spiritualibus adnexae: temporales aliae sunt.
IV. Prisca Romanorum Iurisprudentia res divini Iuris tripartito etiam habebat, sacras, religiosas, et sanctas.
V. Antiqua rei sacrae notio apud nos etiam viget.
VI. Religiosa olim sepulcra dicebantur: nunc virorum, et virginum domicilia religiosa, cetera privatae religionis loca pia dicimus.
VII. Alias item a nostris res, et personas habuit sanctas prisca gens Romanorum.

I. Quemadmodum *res* secundo loco profanas pertractant Iuris humani Doctores: ita liber hic totus in *sacris*, et *ecclesiasticis* versatur. *Res ecclesiasticae dona Dei sunt*, ait Urbanus II. (1), *quoniam a Deo fidelibus, et a fidelibus Deo donantur.*

II. Earum aliae *incorporales*, aliae sunt *corporales*. Quae non tangi nec cerni possunt, ea dicuntur *incorporalia*, puta gratia Sacramen-

(1) Urban II. in *can. Salvator 8. C. I. qu. 3.*

forum , virtutes animi , iura beneficiorum, patronatuum, immunitatum, privilegiorum , cetera in Iure posita. At *corporalia* quidem tangimus, humanisque sensibus conspiciuntur ; veluti materia, et forma Sacramentorum , altaria , Ecclesiae , vasa , et ornamenta , peculium clericale , fructus beneficiorum , decimarumque , oblationes.

III. Rursus in *spirituales* , *spiritualibus adnexas* , et *temporales* dividuntur. Quae ad animarum salutem sunt instituta potissimum , scilicet Sacramenta , doctrina Fidei, potestas sacerdotalis, quaeque ab his dependent omnino , ea reapse quidem *spiritualia* sunt. *Adnexa spiritualibus sunt* ritus sacri , praedicatio , officia clericorum , cetera Religionis sacra , quae nefas est laicis attrectare. *Temporalia* exteriorem Ecclesiae statum , sacrorumque ministrorum sustentationem, ac disciplinam fovent : qualia sunt oblationes fidelium , decimae , stati praebendarum redditus, praedia, et bona etiam mobilia Ecclesiarum , largitiones Principum , populorumque.

IV. Apud priscos iureconsultos, civilisque Iuris auctores fuere divini Iuris res tripartitae in *sacras* , *religiosas* , et *sanctas* (1). *Sacras* definiebant , quas rite pontifices consecrassent (puta aras , victimas, delubra , vasa , vestes , apparatusque sacrificos) modo *publicas* pro populo, modo *privatas* pro religiosis privatorum officiis. Dicata diis privatim sine pontificum auctoritate , non sacra , nec profana prorsus , sed religiosa habebantur, ut aliquam in eis religionem haberet superstitio posterorum (2). Quidquid enim e populi commercio etiam sine consecratione seiunctum , religatumque foret vinculo religionis , pietatisve : id *religiosum* appellare mos fuit. Nam rectius a *religando* Lactantius (3), quam Tullius a *relegendo* , aliique a *reliquendo religionem* derivant. Hinc religiosa nemora , delubra , et loca. Sua quisque porro voluntate , etiam ubi mortuum in loco suo tumularet, *religiosum* faciebat locum (4) sepulcri : cenotaphium, hoc est monumentum sine ossibus honorarium , non item (5). *Sanctae* denique res , personaeque dicebantur , quas lex ab iniuria hominum defensas , munitasque (6) vellet , quaeve nec sacrae, neque profanae , sed essent sanctione, scilicet poena in violatores sancita , confirmatae , quamvis nulli consecratae numini (7) : cuiusmodi erant muri, et portae urbis, legatorum personae, foedera , leges , cetera inviolabilia.

V. Priscam rei *sacrae* definitionem , potius quam abhorreant, usurpant Iuris Canonici doctores, *sacrum* id habentes, quod Episcopus loci consecrat , vel eo adprobante divinis , et ecclesiasticis usibus dedicat

(1) *L. 1., 6. , 8.*, et *9. D. de rer. divis.* §. *7.*, *et seqq. Instit. eodem tit.*
(2) Tullius *lib. 12. ep. 35. ad Atticum* , *sacrum* , ait , *in agro* , *ubicunque fecero* , *mihi videor assequi posse*, *ut posteritas habeat religionem.*
(3) Lactant. *lib. 4. divinar. Instit.*
(4) Toto *tit. D. de religiosis*, *et sumptibus funerum et l. 6. D. de rer. divis.*
(5) Ulp. in *l. vel quod 6. D. de religios.* quidquid aliter visum Marciano in *l. 6. D. rer. divis.*
(6) Marcian. in *l. 8. D. eodem tit.*
(7) Ulpian. in *l. 9.* §. *2. D. eodem.*

fidelium pietas, ut sit inde discrimen inter sacrum, et non sacrum, profanumque (1).

VI. *Religiosi* notio loci haud parum immutata. Non enim cuiusque voluntati dant canones facere humana sepultura locum sibi, posterisque religiosum, ex quo hanc christifideles in Ecclesiis, et coemeteriis, nonnisi Episcopo adsentiente, extructis obtinent. Itaque *religiosas* nunc domos proprie dicimus, quas auctoritate pontificia, vel episcopali institutas incolunt regulares, aut viri, aut virgines sanctiorem simul vitam ducentes. Oratoria vero privata, et xenodochia, cetera id genus domicilia, vel insciis, vel non probantibus Episcopis aedificata eum in finem, ut pietatem homines erga Deum, et pauperes exerceant: non religiosa, sed *pia loca* vulgo appellantur.

VII. *Sanctas* dicere solemus nedum personas integras vitae, scelerisque puras, aut coelesti gloria fruentes: verum res etiam, quae vel nostras sanctificant animas, ut Sacramenta, virtutes morales, et iustitiae opera, vel de hisce rebus agunt, uti leges, doctrinaeque, vel ob Dei cultum violari nefas est, ut *loca sancta*.

Ex tot, tantisque rerum speciebus meum heic est, quod iam initio operis proposui, edisserere primum Sacramenta quum in genere, tum singulatim: deinde quae ad Ecclesias, earum bona temporalia, et iura pertinent.

TIT. II.

De Sacramentis.

I. Sacramenti vox latius accepta plura significat, strictim heic accipitur pro rebus, et verbis ex institutione divina sanctificantibus hominem.

II. Sacra eiusmodi signa cultores Dei O. M. ab initio, inania, et flagitiosa idolatrae quoque habuerunt.

III. Sancta christianorum Religio in priscis Patriarchis, virisque iustis ex fide in Christum venturum etiam viguit.

IV. Naturam ex Adae peccato lapsam salutaribus remediis, et signis continuo adiutam a Deo O. M. credimus.

V. Priscum Sacramentum iustificationis ex fide ante Circumcisionem tradunt Patres.

VI. Sacrificia etiam, et munera Deo acceptissima ante Legem mosayeam.

VII. In statu naturae lapsae adultorum Sacramenta negans opinio refellitur.

VIII. Lex mosayca Circumcisionem, sacras ministrorum ordinationes, sacrificia, purificationes, et expiationes in Sacramentis habuit.

(1) *Can. nullus presbyter 15. de consecr. dist. 1.*

IX. Per eas in se inanes caeremonias Iudaei ab idolatria ad Dei O. M. cultum abducti, ut moralia libentius praecepta servarent, sanctificabantur.

X. Aliarum gentium qui divina, et naturalia praecepta servabant, salutem aeternam sine caeremoniis mosaycis consecuti sunt.

XI. Post Christi mortem, quoad lex Evangelica satis promulgaretur, Iudaeis christicolis etiam licuit ritus mosaycos observare: postea secus.

XII. Septem novae legis Sacramenta Christus Dominus instituit.

XIII. Septenarium eorum numerum sacrae Litterae variis aenigmatibus comprobant, prisci Patres reticuerunt. Petrus Lombardus primum explicuit, Tridentina Synodus firmavit.

XIV. Plura esse, quam septem Sacramenta novae Legis arguere dicis gratia possumus.

XV. Quae tamen argumenta maiorem septenario numerum adstruunt, facile diluuntur.

XVI. Quodlibet Sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma, seu symbolum, et signum.

XVII. Signum sensibile in singulis Sacramentis praesefert similitudinem cum gratia invisibili.

XVIII. Quam significant, et revera conferunt gratiam signa Sacramentorum, ea sanctificans, et habitualis dicitur, ac differt ab actuali transeunte.

XIX. Amplius definitur novae Legis Sacramentum esse signum sensibile, et foecundum gratiae sanctificantis animam apte dispositam ex opere operato.

XX. Signum scilicet non speculatorium, et infoecundum, sed efficiens, et foecundissimum gratiae.

XXI. Causam gratiae Sacramenta quidem esse nullus dubitat: physica ne, an moralis ea sit, quaestio innocua est, a Patribus Tridentinis non definita.

XXII. Thomistae causam physicam adstruunt multis argumentis.

XXIII. Scotistae vero moralem in aliis, praeterquam in Eucharistia.

XXIV. Multiformem, diversamque gratiam vivorum, et mortuorum Sacramenta producunt.

XXV. Eorumque tria characterem indelebilem imprimunt, cetera non item.

XXVI. Medii necessitas in aliquibus, praecepti in aliis inest, et alia corpori totius Ecclesiae, alia singulis hominibus necessaria sunt.

XXVII. Tria Sacramentum perficiunt, materia, forma, et minister.

XXVIII. Formam visibilem elemento, et verbo constare prisci Patres condocuere.

XXIX. Recentiores formam a materia ita distinguunt in Sacramentis, ut philosophi in singulis rebus Naturae.

XXX. Similia sunt in Sacramentis, rebusque naturalibus duo haec componentia principia.

XXXI. Eaque procul ab usu remota sunt, in ipso utendi actu proxima.

XXXII. In singulis Sacramentis materiam, et formam Christus Dominus instituit.

XXXIII. Immediate, an mediate, Doctores adhuc disputant.

XXXIV. Materiae, vel formae substantiam nullus hominum potest variare.

XXXV. Materiae mutata substantia destruit Sacramentum, secus est, si mutentur accidentia.

XXXVI. Verborum pariter substantialis mutatio officit Sacramento, accidentalis non item.

XXXVII. Varius inter graecos, et latinos, et orientales sermo substantiam formae non mutat.

XXXVIII. Verba formae sacramentalis, non concionis, et promissionis, sed causae gratiam producentis vim habent.

XXXIX. Deliramenta haereticorum hac in re abiguntur.

XL. Ministri quoque persona, et intentio ad perficiendum Sacramentum requiritur.

XLI. Mortales homines, non coelites, aut angelos Christus instituit Sacramentorum ministros.

XLII. Haereticos, et infideles ministros, fidelesque peccato affectos nil agere Novatiani, aliique opinabantur.

XLIII. At catholici tenent a pravo quolibet ministro ritum Ecclesiae catholicae adhibente validum confici Sacramentum.

XLIV. Dummodo intentionem illud perficiendi habeat, vel actualem, seu concomitantem, vel virtualem, seu proximam praecedentem: habituali reiecta.

XLV. Habitualem S. Thomas dixit, quam nunc virtualem scholae appellant.

XLVI. Ab ebrioso, somnolento, furioso, insano, dum sanae mentis intervallum habeat, collatum Sacramentum valet: alio tempore secus.

XLVII. Necessitatem intentionis ministri ita negant Lutherani, ut probare studeant Sacramentum a quolibet mimice, et ioco, aut in ebrietate, vel insania collatum valere.

XLVIII. Eorum argumenta refelluntur ex humanorum actuum natura.

XLIX. Tum ex dignitate Religionis, divinaeque Maiestatis nunquam irridenda, ex Tridentino decreto, et fabulosis exemplis.
L. Specialisne requiratur, an generalis intentio sufficiat in ministro: quaestio adhuc est in scholis nostris.
LI. Intentionem faciendi quod facit Ecclesia sufficere, Synodi Constantiensis, Florentina, et Tridentina definiunt.
LII. Sine speciali, et explicita intentione illud efficiendi, quod Deus in singulis efficit Sacramentis, prisci Patres rata, et valida Sacramenta censuerunt.
LIII. Pro externa, et publica intentione ministri pugnant plerique post Catharinum, et Salmeronem.
LIV. Idque validis firmant argumentis.
LV. Alii cum Soto duce eam inefficacem, et inanem opinantur.
LVI. Prior sententia mihi arridet.
LVII. Suscipientis praeterea intentio requiritur, saltem habitualis.
LVIII. In parvulis Baptismum, et Chrisma suscipientibus intentionem supplet mater Ecclesia.

I. Varias *Sacramenti* notiones philologis relinquo, curatius discrentibus id verbum pro *iureiurando* (1), et *arcano* (2), et *mysterio* (3), et latius pro *sacro* quolibet *ritu*, caeremoniaque (4) non raro usur-

(1) Auth. *sacramenta puberum C. si adversus venditionem.*
(2) Divus Paullus *ad Ephesios. 9. vers. 11.*, *ut notum faceret*, ait, sacramentum *voluntatis suae.* Et *Tobiae* 12. Sacramentum *regis abscondere bonum est.*
(3) Apostolus idem *ad Colossens. cap. 1.* Incarnationem Christi Domini appellat Sacramentum. S. Ioannes *Apocal. cap. 17.*, sacramentum bestiae, et mulieris pronunciat. S. Augustinus *hom. 83. de diversis*, Exorcismi Sacramentum habet. Idem et *remiss. lib. 2. de peccator. meritis cap. 26.*, panem benedictum, et sal catechumenis dari solitum nuncupat *Sacramentum. Quod accipiunt cathecumeni*, ait, *quamvis non est Corpus Christi*, *sanctum est tamen*, *et sanctius quam cibi*, *quibus alimur*, *quoniam* Sacramentum *est.* Et Synodo Carthaginiensi III. *can. 5.*, cui ipse interfuit Augustinus, *placuit*, *ut per solemnissimos paschales dies* Sacramentum *catechumenis non detur*, *nisi solitum sal.* Cardinalis Bona *lib. 1. rer. liturgic. cap. 16. n. 3.* ex Capitular. *lib. 7.*, morem Galliae vigentem aevo Caroli Magni refert praecepto Capitularium firmatum, ut in *Paschate Sacramentum catechumenis non detur*, *sed tantum* benedictum sal *a Sacerdotibus pro communione tradatur. Post baptismum vero egressi de lavacro*, mel, et lac *degustabant*, *tanquam* symbola mysticae *infantiae.*
(4) Hoc sensu *orationis dominicae Sacramenta* dixisse videtur S. Cyprianus *de orat. dominic.* Communes fidelium preces in divinis officiis concelebrandis Sacramenta similiter dicta a Patribus. S. Ambrosius *lib. 3. de virgin.* conquerebatur, *circumsonare Sacramenta confusis vocibus*, *ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium.* S. Augustinus *ep. 56.* ad Paulinum scribit: *Precationes facimus in celebratione Sacramentorum.* Colentes Deum psalmis, et hymnis eam ob rem *sacrificium* vel *vespertinum*, vel *matutinum* offerre dicuntur, iuxta illud psalm. . . *Sit elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Clemens Alexandrinus *lib. 7. stromat. Christiano*, inquit,

patum. Non enim aliud in lure ecclesiastico *Sacramenta* proprie, strictimque accepta sonant, nisi sacras res corporeas, et verba sensibilia, quae ex divina institutione secretam intrinsecus habent invisibilem virtutem sanctificandi homines. S. Augustinus (1) Sacramenta ideo dicta monet, *quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.* Vel inquam cum divo Gregorio (2), *quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem Sacramentum operatur: unde et a secretis virtutibus, vel sacris Sacramenta dicuntur.*

II. Symbola, et signa reapse sacra, quibus initientur homines, initiatique cultum uni Deo religiosum profiteantur, exerceantque rite, simul a profanis, et irreligiosis discerni possint, procul dubio habuit Religio vera, et semper una. Sua etiam idolatris initia sacra fuere, nedum inania, sed execranda, et flagitiosa: *cum in nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coagulari possint homines, nisi aliquo* signaculorum, *seu* Sacramentorum *visibili consortio colligantur*, docet S. Augustinus (3). Operae nunc pretium est. Sacramenta verae Religionis in singulis Naturae, et Legis quum veteris, tum novae statibus generatim intueri, mox falsa, et superstitiosa gentium.

III. Deus sempiternus, et unus semper unam, qua ipsum gens mortalium universa coleret Creatorem suum, Religionem revera sanctam voluit, sacris mysteriis, vel ritibus, Sacramentisve instructam *in spem vitae aeternae, quam promisit ante tempora saecularia*, tum *manifestavit temporibus suis Verbum suum*, ait Apostolus (4). Et quia *in ipso eius Verbo coaeterno iam praedestinatione fixum erat, quod suo erat tempore futurum*, inquam cum divo Augustino (5): ideo in Apocalypsi dicitur *Agnus* (Christus) *occisus ab origine mundi* (6), et christiana Religio iam tum extitisse. *Divinissimi namque Prophetae*, scribit S. Ignatius martyr ad Magnesianos, *iuxta Christum Iesum vixerunt. Ob hoc, et persecutionem passi sunt gratia ipsius inspirati, ut qui erant increduli, certi redderentur, quod unus Deus est, qui seipsum manifestavit . . . per Verbum ipsius aeternum, non a silentio progrediens.* Et S. Iustinus martyr (7): *quicunque cum ratione, et Verbo vixere*, ait, *Christiani sunt. quamvis athei, et nullius numinis cultores habiti sint, quales inter Graecos fuere Socra-*

sacrificia sunt ipsae preces, et laudes. . . Scripturarum lectiones, psalmi, et hymni. S. Hieronymus *ep. 7.* Lactam hortatur noctu, accensa lucerna, Christo reddere *sacrificium vespertinum.* Eusebius *orat. de laud. Constantin.* Christianorum quoque preces *rationalia incruenta sacrificia* nuncupat.

(1) Can. *qui manducant* 58. §. *fin. de consecr. dist.* 2.
(2) Can. *multi saecularium 84. C. I. qu. 1.*
(3) S. Aug. *lib. 19. contra Faustum cap. 21.*
(4) Epist. ad Titum *cap. 1. vers. 2.*
(5) S. Aug. *lib. 12. de Civ. Dei cap. 16.*
(6) S. Ioan. Apocal.
(7) S. Iustinus *apolog. 2.*

tes, *Heraclitus*, *atque iis similes: inter barbaros autem Abraham*, *et Ananias*, *et Misael*, *et Elias*, *et alii complures*. Quandoquidem iusti omnes, sanctique Patriarchae veteris Testamenti *ex fide*, *qua nos vivimus*, commonet S. Augustinus (1), *una eademque vixerunt*, *Incarnationem*, *resurrectionemque Christi credentes futuram*, *quam nos credimus factam*. Eosque non nomine, sed reipsa christianos fuisse agnoscunt Eusebius Caesareensis (2), et S. Augustinus (3).

IV. Primum innocentiae statum vel brevissimum nullis usum fuisse Sacramentis putamus ex Scripturae, ac Traditionis silentio. Sed Naturam lapsam continuo sacris signis, remediisque salutaribus a Deo O. M. adiutam docet traditio Patrum, quae postea ritibus diversis, et multiplicibus manifestavit divina utriusque Testamenti lex. *Itaque ab exordio generis humani*, tradit S. Augustinus (4), *quicunque in Christum crediderunt*, *eumque utcunque intellexerunt*, *et secundum eius praecepta pie*, *et iuste vixerunt*, *quandolibet*, *et ubilibet fuerint*, *per eum proculdubio salvi facti sunt. . . Nec quia una*, *eademque res aliis sacris*, *et Sacramentis vel praedicatur*, *aut prophetatur: ideo alias*, *atque alias res*, *vel alias atque alias salutes oportet intelligi. . . . . alias tunc nominibus*, *et signis*, *aliis autem nunc*, *et prius occultius*, *postea manifestius*, *et prius a paucioribus*, *postea a pluribus: una tamen*, *eademque Religio vera significatur*, *et observatur. . . . . Mutatio quippe non Dei*, *non ipsius Religionis; sed sacrificiorum*, *et Sacramentorum imprudenter nunc videretur praedicata*, *nisi fuisset ante praedicta. Quemadmodum enim unus*, *idemque homo*, *si Deo mane aliud offerat*, *aliud vespere*, *pro congruentia diurni temporis*, *non Deum mutat*, *non Religionem*, *nec salutem*, *qui alio modo mane*, *alio modo vespere salutat: ita universo tractu saeculorum cum aliud oblatum est ab antiquis Sanctis*, *aliud ab eis*, *qui nunc sunt*, *offertur*, *non humana praesumptione*, *sed auctoritate divina temporibus congrua sacra celebrantur mysteria*, *non Deus*, *aut Religio commutatur*.

V. Parvulos quidem ante Legem scriptam Sacramento fidei externo, quod in obscuro situm relinquunt sacrae silentes Scripturae, fuisse a labe originali expiatos consentiunt Patres. *Superioribus* etenim *temporibus omnino latuit Sacramentum iustificationis ex fide: eadem tamen fides Mediatoris salvos iustos faciebat*, *antiquos pusillos cum magnis*, scribit S. Augustinus (5). Idemque alibi (6) *non credendum esse* monet *ante datam Circumcisionem famulos Dei*, *quandoquidem in eis inerat Mediatoris fides in carne venturi*, *nullo Sacramento eius opitulatos parvulis suis*. Divo Thomae (7) probabile videtur, *quod*

(1) S. Aug. ad Bonifacium *cap. 4. lib. 3.* contra duas epistolas Pelagianorum.
(2) Euseb. *lib. 1. hist. Eccles. cap. 4.*
(3) S. Aug. *lib. 3.* ad Bonifacium contra duas Pelagianorum epistolas *cap. 4.*
(4) S. Aug. *ep. 49. ad Deogratias qu. 2.*
(5) S. Aug. *lib. 2. de nuptiis*, *et concupiscentia cap. 11.*
(6) Idem *lib. 5. contra Iulianum cap. 11.*
(7) S. Thom. *in summa par. 3. qu. 70. art. 4. ad 2.*

parentes fideles pro parvulis natis, maxime in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei. S. Gregorius M. (1), *quod apud nos* (ait) *valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii.*

VI. Haec Gregorii verba innuunt pro adultis etiam veri Dei cultoribus Sacramenta aliqua tunc instituta, praesertim sacrificia, et munera Deo ipsi acceptissima Respexit porro Dominus ad Abel, et munera eius de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum (2) : *quia fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus*, uti Apostolus tradit (3). Aedificavit Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus, et volucribus mundis obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis (4). Abraham quoque plura altaria extruxit in locis, ubi ei locutus est Dominus, invocavitque nomen eius (5). Melchisedech rex Salem, et sacerdos Dei altissimi oblato pane, ac vino, benedixit Abraham (6). Hic etiam Patriarcha iussu Domini sacrificavit vaccam triennem, capram trimam, arietem, turturem, et columbam (7); et offerre non dubitabat unigenitum suum Isaac in holocaustum (8). Iacob viso in somnis, auditoque Domino scalae innixo, erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper (9); tum a Labano digressurus immolavit victimas in monte (10), et in loco Bethel alium erexit titulum lapideum, libans super eum libamina, et effundens oleum (11). Isthaec sacrificia ecquis abnuerit profuisse adultis veri Dei cultoribus ad promerendam, augendamque Dei gratiam, et vera Sacramenta a Deo ipso, vel mentibus iustorum inspirata intrinsecus, vel iussu externo, et sensibili instituta ?

VII. Negat Iuveninus (12), silentio Patrum ductus, in Lege Naturae Sacramenta pro adultis instituta, additque ex apocrypha epistola Anacleti Papae sacrificia tunc, non sacerdotali auctoritate ab initiatis sacerdotibus, sed spontanea voluntate a laicis oblata. At vero in sacris litteris paullo ante laudatis Melchisedech non modo rex, sed sacerdos Dei altissimi etiam dicitur apertissime, et iussu Domini simul sacrificasse. Quinam ei, quaeso, potestatem dedit sacerdotalem, quam Levitica, et Aaronica praestantiorem Apostolus (13) praedicat, nisi Crea-

(1) S. Gregor. *lib. 4. moral. cap. 2., in can. quod autem 5. de cons. dist. 4.*
(2) Genesis *cap. 4 vers. 4.*
(3) Epist. *ad Hebraeos cap. 11. vers. 4.*
(4) Genes. *cap. 8. vers. 20., et 21.*
(5) Genes. *cap. 12. vers. 8., et 9., et cap. 13. vers. 18.*, et ad Hebraeos *cap. 7.*
(6) Genes. *cap. 14. vers. 18., et. 19.*
(7) Ibidem *cap. 15. vers., 9. et 10.*
(8) Ibidem *cap. 22.*
(9) Ibidem *cap. 28. vers. 12., et seqq.*
(10) Ibidem *cap. 31. vers. 54.*
(11) Ibidem *cap. 35. vers. 14.*
(12) Iuvenin. *dissert. 1. de Sacr. in genere qu. 2. cap. 2. conclus. 1.*
(13) Ad Hebraeos *cap. 7.*

tor hominum immortalis? Si parentes institiae cultores utique poterant filios suos Sacramento fidei Deo summo consecrare: fas ipsis etiam esse debuit Deum sacramentalibus sacrificiis propitiare, *cum omne crimen, atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur* (1). Praeterquam quod, utcunque se res habuit, etsi concedimus ultro veteres iustos sine ordine sacerdotali ante Legem scriptam sacrificasse, vis tamen Sacramenti sacrificiis eorum non adimitur: porro laicis etiam parentibus Lex mosayca indulsit sacrum Circumcisionis ministerium, quemadmodum et Baptismi Lex evangelica. Quod si nullum de victimis, et holocaustis generale praeceptum tunc edixisset Dominus, sine quo inesse ratio Sacramenti in sacrificiis illis non potuit: adhuc non verosimile est infinitam Dei misericordiam parvulos ab unica labe originali expiatos Sacramento fidei voluisse; adultis autem in peccatorum sordes collabentibus septies in diem, nulla spe salutis, nec uno spiritalis purificationis remedio esse opitulatam.

VIII. Sacramentorum Legis mosaycae genus multiplex (2). In primis enim *Circumcisio* masculorum ad populum initiandum instituta, singulos e sanguine Abraham ortos a ceteris gentibus separans divino cultui mancipabat (3). II. *Ordinationem* sacrorum ministrorum de sanguine Aaron, et tribu Levi tria perficiebant, *purificatio*, *consecratio*, et *applicatio* ad sacras functiones. Levitae *purificabantur* abrasione pilorum, et sacrificiis vituli, duorumque arietum, oblatione azymorum, crustulae sine fermento, laganorumque oleo conspersorum: sacerdotes abluebantur aqua. Mox *consecrandi* sacris vestibus suae quisque dignitatis induebantur: caput Pontificis totum oleo sic perfundebatur, ut deorsum effluueret, sacerdotum vero duntaxat manus: eodem sanguine

(1) *Can. cum omne 7. de consecr. dist. 2., ex Iulii ep. apocrypha.*

(2) S. Thom. 1. 2. *qu. 102. art. 5. In Sacramentis veteris Legis*, ait, *quaedam pertinebant communiter ad totum populum, quaedam autem specialiter ad ministros: et circa utrosque tria erant necessaria. Quorum primum est institutio in statu colendi Deum. Et haec quidem institutio communiter quantum ad omnes fiebat per* Circumcisionem, *sine qua nullus admittebatur ad aliquid legaliam: quantum vero ad Sacerdotes*, per Sacerdotum consecrationem. *2., requirebatur usus eorum, quae pertinent ad divinum cultum: et sic quantum ad populum erat* usus paschalis convivii, *ad quem nullus incircumcisus admittebatur, ut patet Exodi 12., et quantum ad Sacerdotes*, oblatio victimarum, et esus panum propositionis, *et aliorum, quae erant Sacerdotum usibus deputata. 3., requirebatur remotio eorum, per quae aliquis impediebatur a cultu divino, scilicet immunditiarum. Et sic quantum ad populum erant institutae quaedam* purificationes *a quibusdam exterioribus immunditiis, et etiam* expiationes *a peccatis. Quantum vero ad Sacerdotes, et Levitas, erat instituta* ablutio manuum, et pedum, et rasio pilorum.

(3) Ut esset *signum foederis* inter Deum, et Abraham, eiusque stirpem, Circumcisio a Deo ipso dicitur instituta Genes, 17. *ver. 11.* Et Apostolus ad Roman. 4. *ver. 11. et seq.* eam appellat *signaculum iustitiae fidei*, quod primus accepit Abraham, ut esset *pater Circumcisionis non iis tantum, qui sunt ex Circumcisione, sed et iis, qui sectantur vestigia fidei.* Et *quia Abraham* (monet S. Thomas loc. cit.) *fuit primus, qui se ab infidelibus* separavit *exiens de domo sua, et de cognatione sua* Chaldaeorum: *ideo ipse primus Circumcisionem accepit.*

arietis immolati auricula ipsorum dextera, pollicesque manus, ac pedis dexteri tingebantur: simul aspergebantur quum ipsi, tum vestes eorum sanguine victimae. Ad extremum *applicandi* ad sacrum ministerium apidem arietis, armumque dexterum, tortam panis, crustulam oleo conspersam, laganum azymorum manibus accipiebant suis in signum acceptae potestatis ea offerendi (1). Intereaque iis septem dies in tabernaculo excubias Domino assiduas diu, noctuque agere opus erat, et vitulum quotidie offerre (2). III. Ad exercitium cultus plura populus Iudaicus habuit Sacramenta, scilicet annuam *agni paschalis comestionem cum azymis*, a qua omnes alienigenae, et incircumcisi, proselyti etiam, advenae, mercenarii, et apostatae Iudaeorum arcebantur (3): *victimarum oblationem*, *esum sanctificatorum* quorumlibet, praesertim panis, et carnium immundis non permissum (4), praeter *panes propositionis* solis sacerdotibus in loco sancto edendos (5). IV. Alia quoque instituta fuere ad abstergendas immunditias, et expiationum ritus (6): nimirum *purificationes* puerperae menstruatae, usus coniugalis, nocturnae pollutionis, leprae, contractus, fortuiti, vel spontanei mortuorum, funerumque, aut immundorum: *expiatio* annua populi duobus hircis, quorum alter solemni die sorte deligendus immolabatur, alter emissarius, fusis super eum precibus, in solitudinem vivus emittebatur peccatis populi onustus (7).

IX. Eiusmodi Sacramentis olim a Deo sanctificatos, qui divinam veteris Testamenti Legem sectabantur, nemo sanae mentis abnuerit. In ea enim sic legimus (8): *Sanctificamini, et estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester: custodite praecepta mea, et facite ea: ego Dominus, qui sanctifico vos.* Vix moralia primum Decalogi praecepta Deus dederat Hebraeis, dein sacrilego vituli conflatilis cultu offensus, alia superaddidit caeremonialia Sacramentorum, ut eos ad idolorum superstitiones aegyptiacas pronos in unius Dei colendi officio contineret multiplicibus caeremoniis naturali iure inanibus, nullamque ex se bonitatem habentibus: *Eo quod iudicia mea non fecissent, et praecepta mea reprobassent, et post idola patrum suorum fuissent oculi eorum: ergo et ego dedi eis praecepta non bona, et iudicia, in quibus non vivent*, ipse Dominus inquit per Ezechielem (9). Ab Apostolo (10) discimus, *quod non iustificatur homo ex operibus legis*,

(1) Exodi *cap. 29.*
(2) Levitici *cap. 8. vers. 35.*
(3) Exodi *cap. 12., et ep. 1. ad Corinth. cap. 5.*
(4) Levitici *cap. 22.*
(5) Levitici *cap. 24. vers. 9.*, et Matthaei *cap. 12. vers. 4.*
(6) Levitici *cap. 12. 13. 14. et 15.* Deuteronomii *cap. 23.* Numeror. *cap. 19.*
(7) Levitici *cap. 16.* S. Cyrill. Alexandr. *lib. 29.*, Spencerus *de legib. Hebraeor. ritual. lib. 3. dissert. 8. de hirco emissario contra Iurianum*, Theodoretus *in Leviticum qu. 22.* S. Augustin. *in Levit. qu. 55.*
(8) Levitici *cap. 20. vers. 7., et 8.*
(9) Ezechielis *cap. 20. vers. 24.; et 25.*
(10) Ad Galatas *cap. 2. vers. 16., et 21.*, *et cap. 3. vers. 19., et seq.* S. Iustinus martyr *in dialogo* cum Triphone Iudaeo: *Sacrificia vobis* (ait)

nisi per fidem Iesu Christi. . . . Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. . . . . quid lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat. . . . . , Si enim esset lex, quae posset vivificare, vere ex lege esset iustitia. Itaque *post idolatriam, et blasphemiam acceperunt Hebraei*, inquam cum divo Hieronymo (1), *multiplices legis coeremonias, ut Deo potius offerrent victimas, quas daemonibus offerebant, et comparatione sacrilegii levius fieret, quod non erat per se bonum, et nequaquam malum, quia Deo offerebatur. Nihil enim*, Lactantius (2) docet, *sancta, et singularis illa maiestas Dei aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam: quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose litavit.*

X. Ceterum extra electum Israelitarum genus in aliis quoque gentibus incircumcisis fuere, qui divina, et naturalia praecepta servantes, salutem consequuti sunt aeternam sine mosaycis Sacramentis. *Homines quosdam*, tradit S. Augustinus (3), *non terrena, sed coelesti societate ad veros Israelitas supernae cives patriae pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse, negare non possunt ipsimet Iudaei: quia si negant, facillime convincuntur de sancto, et mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proselytus, idest advena populi Israel fuit, sed ex gente Idumaea genus ducens ibi ortus, ibidem mortuus est, qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad iustitiam, pietatemque attinet, nullus ei suorum temporum homo coaequetur... Divinitus autem provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundum Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem Ierusalem.* Profecto solis Abrahami posteris quum Circumcisionem, solisque Iudaeis Deus per Moysem cetera imperasset Sacramenta: quoniam sibi voluntas est sempiterna omnes homines salvos faciendi, reliquas per orbem nationes illo praecepto non naturali, sed positivo obstrictas noluisse, Patribus visus est.

XI. Mors Christi Domini salutifera, qua redemptionis opus consummatum est, tametsi Iudaeos legibus mosaycis continuo absolvit: tamen qui primum ad evangelicam Fidem conversi sunt, iis enixe volentibus

non praecepit Deus, neque primitus tanquam pecunia laborans haec praecepit vobis, sed propter delicta vestra. Nam et templum, quod vocatur hierosolymitanum, non veluti indigus, vel domum, vel aulam suam fassus est: verum, ut ibi quoque in illum intenti simulacra ne coleritis. . . Aliter profitentibus eveniet, ut absurdas incidamus cogitationes, quod non idem Deus temporibus Enochi, et aliorum omnium fuerit, qui neque Circumcisionem, neque Sabbatum servaverunt, neque alia Moysis mandata.

(1) Hieronym. *in Ezech. cap. 20.* Consonant S. August. *ep. 82, alias 19. cap. 4.*, S. Cyrillus *lib. adversus Iulianum*, Theodoretus *in Ezechiel.* S. Ioan. Chrysostomus in *cap. 1. Isaiae*, ceteri.

(2) Lactant. initio *lib. 6. de vero cultu.*

(3) S. August. *lib. 18. de Civit. Dei cap. 47.* Consonant Theodoretus *qu. 93. in Genesim.* S. Greg. M. *praefat. in lib. Iob.*, Aristaeas apud Euseb. *lib. 9. praeparat. Evang.* caeteri contra Hebraeos cum B. Hieronymo negantes Iob de Esau genere ortum,

licuit, quoad satis promulgaretur Lex nova, ritus antiquos item observare quum innoxios, tum inanes, ut sic venerabilem matrem iam extinctam, Synagogam, ad tumulum cum decore duceret Ecclesia, execrandas gentium superstitiones ubique proculcans. Timotheum sane filium mulieris, iudaeae fidelis, patre gentili, divus Paulus circumcidit propter Iudaeos (1), qui in Lystris, et Iconio erant. Eidemque Apostolo Iacobus suasit, ut cum quatuor viris votum habentibus, purificatus rasura capitis templum ingrederetur, expleretque mosaycam purificationem, ipsum ut omnes suae legis aemulatores scirent custodire legem, nec discessionem a Moyse docere (2), *Ipsum vero Paulum*, scribit S. Augustinus (3), *non ad hoc id egisse, quod vel Timotheum circumcidit, vel Cenchris votum persolvit, vel Ierosolymis a Iacobo admonitus cum eis, qui voverant, legitima illa celebranda suscepit, ut putare videretur per ea Sacramenta etiam christianam salutem dari: sed ne illa, quae, prioribus ut congruebat temporibus, in umbris rerum futurarum Deus fieri iusserat, tanquam idolatriam gentilium damnare crederetur.* Qui et proficua, et necessaria tunc esse opinabantur mosayca Sacramenta, eos palam redarguit Apostolus (4) inquiens: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Quin etiam in faciem restitit Petro plus aequo iudaicis moribus indulgenti, et ideo reprehensibili, quod se a consueta mensa gentium segregans cibos cum hebraeis, qui Antiochiam advenerant, sumeret a Moyse permissos, vetitos abhorrere simulans, aliter, quam Evangelii veritas postulabat. Cumque essent qui dicerent: *nisi circumcidamini, non potestis salvari:* ea res in causa fuit, ut in hierosolymitana synodo Apostoli unanimi sententia decernerent christifideles ex tot oneribus mosaycis non aliud ferre debere, nisi abstinentiam ab immolatis simulacrorum, suffocato, et sanguine (5), ut vetusto pondere ne gravaretur iugum Domini suavissimum, et leve.

XII. In novissimo statu gratiae tandem Dei Filius e Virgine natus, ut universos Adae filios adoptione divina adscisceret ad hereditatem regni coelestis: septem nova Sacramenta, ab antiquis longe diversa, et saluberrima instituit, vim in se habentia iustificandi homines non ponentes obicem, gratosque Deo faciendi, quorum alia gratiam innocentiae originalis, remissionisque peccatorum reipsa conferunt, alia eam adaugent, novisque donis, et virtutibus amplificant. *Si quis* autem *dixerit Sacramenta novae Legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet* Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, et Matrimonium, *aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacramentum, anathema sit* (6).

(1) Actor. *cap. 16. vers. 1., et 3.*
(2) Ibidem *cap. 21. vers. 20., et seqq.*
(3) S. August.. *ep. 19.*
(4) Ad Galatas *cap. 5.*
(5) Actorum *cap. 15.*
(6) Trid. *sess. 7. de Sacramentis can. 1.*

XIII. Quoniam divinam horum omnium institutionem ostendunt sacrae novi Testamenti Scripturae, quas in sequentibus titulis specialim considerabimus, septenarium numerum in iisdem Scripturis procul dubio inveniet ea singulatim connumerans, eundemque iusto non maiorem dignoscet. Quem etiam B. Ioannes Apostolus (1) figuratum aenigmate sigillorum septem ostendit, dum vidisse scribit *in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus, et foris, signatum* sigillis septem.... *et Agnum stantem, tanquam occisum, habentem* cornua septem, *et* oculos septem, *qui sunt* septem spiritus Dei, *missi in omnem terram... accipere librum, et solvere* septem signacula *eius*. Huc itidem spectant *septem columnae*, quas excidit Sapientia in domo sibi aedificata (2). Lex arcani (3), margaritas ante porcos mitti vetans, cohibuit quidem priscorum Patrum calamos, ne profanis evangelica mysteria deridentibus, trucibusque Religionis nostrae adversariis panderent Sacramenta, quae christifidelibus qua latinis, qua graecis usui erant quotidiano in cryptis, locisque semotis. Hanc ob rem S. Iustinus martyr (4) vix Baptismum, et Eucharistiam scripto tradidit. Sancti Cyprianus, Cyrillus, et Ambrosius (5) addidere Chrisma, et Poenitentiam: quum novatianos haereticos lapsis Poenitentiam, et neophytis Confirmationem denegantes iam damnasset Ecclesia tertio saeculo (6), mox manicheos, qui Baptismum, et Matrimonium oppugnabant (7). S. Augustinus (8) multa hebraeo, pauca Christiano populo Sacramenta esse constituta scribens, quot numero haec sint, reticuit omnino. Indicem septenarium primus descripisse putatur Petrus Lombardus exeunte saeculo XII., eumque probant Patres Tridentini contra Lutheranos, et Calvinistas ferme omnium, quae praeiverant, haeresum instauratores dementissimos.

XIV. De numero deminuto disputaturus, dices primo cum Fulberto Carnutensi Episcopo (9) in Eucharistia *duo vitae Sacramenta*, *idest*

(1) Ioannes in *Apocalypsi cap. 5. vers. 1., 5., et 6.* Videsis Albertum Magnum *lib. 6. cap. 5. de Sacram. in gener.* fusius edisserentem de rationibus numeri septenarii.

(2) Proverbiorum *cap. 9. vers. 1.*

(3) Mendoza in *not. ad Conc. Eliberitan. can. 36. Summa* (inquit) *cura cavebant Episcopi, ne Religionis nostrae mysteria ludibrio cum Auctore haberentur, et irriderentur a gentibus. . . Voluerunt semper primi christiani catechumenos a penitiore rerum sacrarum intelligentia arceri: quum enim recipiebantur ad catechesim, quaedam dumtaxat Sacramentorum Summa, velut per transennam illis suppeditabatur, exactiori tractatione provectioribus initiatis reservata.* Consentiunt Card. Bona *rer. liturgicar. lib. 1. cap. 16.*, et Sche'estrat. *de disciplina arcani. cap. 6.*

(4) S. Iustinus martyr in *apologia* 1. pro christianis Imperatoribus Antonino Pio eiusque adoptivis filiis M. Aurelio, et L. Vero, simul Senatui, populoque Romano oblata anno circiter 150.

(5) S. Cyprianus *ep. 57. ad Cornelium*, Theodoret. *lib. 3. heretic. fabular. cap. 5.*, Euseb. *lib. 3. hist. eccl. cap. 35.*

(6) S. August. *lib. de haeresibus cap. 43., et lib. 13. contra Faustum cap. 5., et seq.*

(7) S. Cyrillus *in catechesibus*, et S. Ambros. *lib. de Sacram.*

(8) S. August. *lib. de vera Religione num. 33. to. 2. edit. Neap. pag. 83.*

(9) Fulbert. *ep. 1. to. 3. biblioth. Patr. edit. Paris. an. 1654. pag. 434.*

Dominici Corporis, *et Sanguinis* contineri. II. Non unum, sed septem Ordini ex eo attribuas, quod singuli, et minores, et sacri Ordines vera sint Sacramenta. III. Adde Sacramenta duo *eulogiae*, seu *panis benedicti* ex oblationibus, et *salis*, quod ante lavacrum dabatur catechumenis (1). IV. Denique *ablutionem pedum*, quam divus Bernardus (2) appellat *Sacramentum remissionis quotidianorum peccatorum*, et S. Ambrosius (3) *subsidium sanctificationis Baptismi*, Sacramentis etiam adnectere exinde contendas, quod Christus ea suomet exemplo, et mandato instituta conferre gratiam innuit, dum Petro eam abnuenti respondit: *si non lavero te, non habebis partem mecum... exemplum dedi vobis.... et vos debetis alter alterius lavare pedes* (4). Itaque plura esse, quam septem hinc argues novae Legis Sacramenta.

XV. Respondeo ad singula. I. Quoniam multae cuiusque rei partes illam non multiplicant, sed unum efficiunt integrum; consequens est duabus Eucharistiae speciebus, velut partibus, non duplex, sed unum confici Sacramentum, non secus, quam unicum, et cibo, et potu convivium. Eadem ratio demonstrat, quod sacra Ordinatio minores, maioresque altaris ministros in suo quemque loco, et officio perinde disponens, atque in acie milites, centuriones, tribuni cum ceteris instruuntur, nonnisi unicum Ordinis Sacramentum contineat: Ordo sane multitudinem aut rerum, aut personarum recta distributione colligendam respiciat necesse est. III. Eulogias, et sal, res ceteras sacerdotali benedictione sacras, quas consuevit Ecclesia vel catechumenis, vel fidelibus tradere, propria Sacramenti natura nox explicanda expertes esse, minusque proprio vocabulo Sacramenta latiori notione appellatas, iam praemonui huius initio tituli. IV. In pedibus itidem Discipulorum abluendis nulla verborum forma usus Dominus non Sacramentum instituit, ut constans fert Patrum traditio, sed solum humilitatis, et charitatis exercitium iussit, quod sic sane proficit (ut ceterae nulla Sacramenti vi praeditae virtutes morales, sacraeve caeremoniae, ad promerendam remissionem culparum venialium, seu quotidianarum: idipsum dilucidabit vulgata Sacramenti definitio apposite nunc enucleanda.

XVI. Sacramentum est *invisibilis gratiae visibilis forma*, Gratianus (5) definit cum antiquis Patribus (6). Synodus etiam Tridentina (7) docet, *symbolum esse rei sacrae, et invisibilis gratiae formam visibilem*. In eundem sensum conspirat divus Thomas (8), dum inquit: *Sacramentum est signum rei sacrae sanctificantis homines*.

(1) Ex S. August. supra laudato *num. 1. lit. c.*
(2) S. Bernard. *serm. de coena Domini.*
(3) S. Ambros. *lib 3. de Sacram. cap. 1.*
(4) Ioannis *cap. 13.*
(5) *Can. sacrificium 32. de consecr. dist. 2.*
(6) S. Aug. *ep.* 166., cuius fragmentum Correctores Romani exscribunt in *cit. can. sacrificium*, haec habet. *Si autem malus est* (minister), *operatur per illum Deus* visibilem Sacramenti formam: *ipse autem Deus donat* invisibilem gratiam.
(7) Trid. *sess. 13. cap. 3. de excellentia SS. Eucharistiae.*
(8) S. Thom. *par. 3. qu. 60. art. 2.*

XVII. Quod unum, idemque sonent *forma visibilis*, ac *symbolum* et *signum*, S. Augustinus detegit, modo *formam visibilem*, modo *signacula visibilia* rerum divinarum, et invisibilium in Sacramentis esse scribens (1). Signum praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se cogitanti animo indicat (2). Species autem in sacro signo sensibilis miram habet similitudinem cum ea, quam significat, re invisibili. *Si enim*, ait S. Augustinus (3), *Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent: omnino Sacramenta non essent.* Aqua corpus abluens in Baptismo nonne imaginem fert divinae gratiae animam abluentis a labe originaria, aliorumque sordibus peccatorum? Corporeo panis, et vini alimento in Eucharistia quam simile est nutrimentum vitae spiritualis? Chrismate item catechumeni, oleoque aegri, quemadmodum atheletae, unguntur exterius ad certamen fidei, extremamque colluctationem fortiter ineundam cum hoste invisibili.

XVIII. Id vero, quod praeseferunt sacramentalia signa, supernaturalis quidem *gratia* est, quam Theologi *sanctificantem*, et *habitualem* appellant. Ea profecto *non solum peccata remittit: sed iustificat, et renovat interiorem hominem, qui ex iniusto fit iustus, et ex inimico amicus Dei, ut sit heres secundum spem vitae aeternae*, uti docet Synodus Tridentina (4). Eademque res permanens est, instar habitus lucidi, in mortalium animas diffusa, eisque inhaerens (5), cuiusmodi est habitus fidei, spei, et charitatis. Ideoque maxime differt a gratia *praeveniente*, seu *excitante*, quam *actualem*, et *transeuntem* nuncupant scholae, quae modo *sufficientur*, modo *efficaciter* incitans ad bonum mentes nostras, usque adeo necessaria est, ut sine ea nihil meritorium facere valeamus (6). Si quis autem dixerit, quod Lutherus insanissimus somniavit, *homines iustificari, vel sola imputatione iustitiae Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et charitate, quae in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, aut illis inhaereat, aut eam gratiam, qua iustificamur, esse tantum favorem Dei* (7). Vel *per ipsa novae Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere* (8). Vel *non dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper, et omnibus* (qui nullum con-

(1) S. Aug. *loc. cit.* refertur haec etiam *in lib. de catechizandis rudibus cap. 26.* scripsisse: *De Sacramento* . . . signacula *quidem rerum divinarum esse* visibilia, *sed* res ipsas invisibiles *in eis honorari.* Idemque ad Marcellinum scribens *ep. 138. num. 7. to. 3. edit. Neap.* ait: *signa cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellantur.*

(2) Idem *lib. 2. de doctrin. Christ. cap. 1.*, *in can. signum 33. de cons. dist. 2.*

(3) Idem *ep. 98 ad Bonifacium num. 9. to. 2. edit. Neap.*

(4) Trid. *sess. 6. de iustificat. cap. 7.*

(5) Idem *loc. cit. can.* 11.

(6) Eadem *sess. 6. can. 3.*

(7) Ibidem *cit. can.* 11.

(8) Ibidem *can. 8.*

trariae voluntatis, nec pravae dispositionis obicem opponant) *quantum ex parte Dei est, etiamsi rite ea suscipiant: sed aliquando, et aliquibus* (1). Vel *ea propter solam fidem nutriendam instituta fuisse, anathema sit* (2).

XIX. Quo exinde magis distinguantur ab antiquis Sacramenta nostra, definitione uberiore dic, Sacramentum novae Legis esse *signum sensibile, et foecundum gratiae sanctificantis animam apte dispositam ex opere operato*, idest virtute ipsius operis externi a ministro rite peracti secundum Christi institutionem, et apostolicam traditionem sine respectu ad ministri sanctitatem, aut ad suscipientis meritum, et cooperationem: quum infantes, adultique ab infantia amentes gratiam Baptismi sine ulla praeparatione accipiant. Secus erant veteris Legis Sacramenta, quae nonnisi ex *opere operantis*, vidilicet nedum ex sanctitate, et precibus ministri, sed etiam ex interna, perfectaque suscipientis charitate, vel contritione, vel fide, gratiam promerebantur. S. Augustinus (3) *non eorum meritis* docet, *a quibus ministratur, aut eorum, quibus ministratur, constare Baptismum: sed propria sanctitate, atque virtute propter eum, a quo institutus est.* Doctrinam utique vetustissimam, apostolicamque magis explicat novum verbum *operis operati*, priscis Patribus inauditum, quod in scholas aevo divi Thomae irrepsisse monet Dominicus Sotus (4), semel scribentis Sacramentum ipsum a quibusdam dici *opus operatum.* Istudque perperam deridet Calvinus teterrimus cum sectariis suis, improbe opinans, quod eiusmodi *opus operatum* in Sacramento separet a fide suscipientis partem meriti, ubi per se valeat Sacramenti usus ad salutem. In meridiana luce infelix caecutivit, non videns gratiam ideo meritissime nominatam, quia *gratis* datur (5) a Deo, sine merito accipientis.

XX. Itaque Sacramenta novae Legis *signa* quidem gratiae non *speculatoria*, et infoecunda in se, uti ramus ante tabernam vini in ea venalis index est, neque *signa* tantum *externa* acceptae per internam fidem, et charitatem gratiae, iustitiaeque, ut erant Sacramenta vetera, quae ab Apostolo (6) idcirco dicuntur *infirma, et egena elementa*; nec *notae* simplices christianae professionis, quibus fideles ab infidelibus discernantur, quemadmodum Circumcisio signum foederis inter Deum, et filios Abraham fuit (7), et qualia habentur sacra,

(1) Ibidem *can. 7.*
(2) Ibidem *can. 5.*
(3) S. Aug. *lib. 4. contra Crescentium cap.* 16.
(4) Sotus in *lib. 4. Sentent. dist.* 1. *quaest.* 3. *art.* 1.
(5) S. August. *in psal.* 45., cum eoque omnes catholici.
(6) Ad Galatas *cap. 4. vers.* 9., ibi: *Quomodo convertimini iterum ad infirma, et egena elementa?* Rursum ad hebraeos *cap. 9. vers.* 9., *et* 10., scribens inquit: *Munera, et hostiae offeruntur, quae non possunt iuxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et potibus, et variis baptismatibus, et iustitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.*
(7) Nam Genesis *cap.* 17. *vers.* 10., Dominus ad Abraham inquit: *Circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in* signum foederis *inter me, et vos.*

seu verius execranda idolatrarum initiamenta : sed *efficientia* quidem, et *foecundissima* sunt signacula ob impressam sibi virtutem producendae gratiae , quam continent , et conferunt (1) , veluti nubes aquam, et significant , et continent , et effundunt. Vel inquam cum divo Chrysostomo (2) , *quod est mater foetui , hoc fidei est aqua : si quidem in aqua fingitur, et formatur.* Et *ideo fructuose* , docet S. Gregorius M. (3) , *in Ecclesia fiunt Sacramenta , quia sanctus in ea manens Spiritus eorundem Sacramentorum latenter operatur effectum.*

XXI. Si ex hucusque dictis apparet unumquodque novae Legis Sacramentum esse *signum efficiens,* et *ferax* gratiae sanctificantis, quod barbarismo *practicum* in scholis appellant: illud etiam sit *causa* eiusdem gratiae, necesse est, quod uno omnes ore fatentur Theologi orthodoxi. Iidem ipsi nihilominus disputant , utrum *causa physica* , an *moralis* sit, Thomistis pro priori, Scotistis pro posteriori citra noxam adhuc pugnantibus. Hanc sane quaestionem verborum apud Patres Tridentinos delatam , Synodus non definire censuit , ut liberum cuique foret in controversia innocua sentire, quod vellet: unum si excipiatur Eucharistiae Sacramentum. In hoc quoniam praesens vere , et realiter adest idem fons gratiae uberrimus Christus Dominus: ea utique ab ipso omnium praestantissimo Sacramento *physice* producitur, non aliter, quam ab igne , aut sole calor, et lumen. In ceteris Sacramentis haec solum dogmata ad rem pertinentia putarunt Patres necessario constituere : nempe quod *causa efficiens* iustificationis, et gratiae Deus ipse sit, *meritoria,* Unigenitus eius Christus Dominus noster, *formalis* denique Sacramenta (4). *Vivifica sunt instrumenta* , scribit S. Augustinus (5) , *per quae visum est Deo salutem nostram efficaciter operari , ut populare dictum sit, iam per seipsum quoque Sacramentum multum valere.* Ad istam instrumentalis causae rationem referri videtur illud Apostoli effatum : *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis* (6).

XXII. Thomistae virtutis Sacramentorum amplificandae studiosiores contendunt , *causam physicam* adstruere praemissis iam dogmatibus Tridentinis , Sacramenta nostra definientibus esse non externa tantum signa gratiae, sed gratiam ipsam in se continere, et simul conferre ex opere operato. Id quod causae physicae proprium arguunt exemplis , vel arborum foecundarum, quae quia fructus continent in se, eos physice producunt, vel matris foetum in utero clausum parientis, vel nubis , quam gignit , et complectitur , effundentis aquam. Enimvero spiritalem regenerationem Christus Dominus quum aquae , tum Spiritui san-

(1) Trid. *cit. sess. 7. can. 6.*
(2) S. Io. Chrysost. *in Ioann. hom. 25.*
(3) S. Gregor. M. in *can. multi saecularium* 84. *C. I. qu.* 1. Quandoquidem Dominus ipse in coelum ascensurus promisit sacro discipulorum suorum ministerio se in omnibus , quae iis mandaverat , semper adfuturum , inquiens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi,* Matthaei *cap.* 28. *vers.* 20 , *et ult.*
(4) Trid. *sess. 6. ap. de iustificatione.*
(5) S. Aug. *ep. 23. ad Bonifacium.*
(6) *Ep.* ad Titum *cap. 3. vers. 5.*

cto tribuit, inquiens : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto.* Et ab Augustino tanta dicitur esse *virtus aquae, ut corpus tangat, et cor abluat* (1). Instrumenti actio eisdem addicta tantum abest, ut vim physicam evertat, eam ut maxime confirmet : quoniam artificis aeque manus, atque instrumentum, nonnisi physice opus conficiunt fabre factum. Itaque talem, tantamque virtutem Christus Dominus suis indidit Sacramentis (quam maxime super vetera Mosayca perinde extollendis, atque super tenebras radii solis), ut per activam potentiam, quam *obedientialem* appellant scholastici, ea elevaverit ad procreandam cum Spiritu sancto, qui in eis latet, gratiam sanctificantem: quemadmodum gehennae ignis supra Naturae vires consimili potentia dicitur elevatus a Deo ad animarum tormenta physice inferenda.

XXIII. Scotistis ex adverso, qui efficientem, et physicam gratiae causam Deo solum vindicant, videtur inesse *causa* tantum *impellens*, quam *moralem* nescio, cur appellant: non alia vis scilicet, nisi agendi, ut Deus misericors sacra eiusmodi signacula, Unigeniti sui sanguine madentia, respiciens gratiam suam digne suscipientibus largiatur. Quomodo enim, inquiunt, creata Sacramenti res corporea, et forma sensibilis poterit physice, hoc est naturaliter spiritalem, et supernaturalem gratiam gignere ? Hanc sane, uti ens spiritale, Deus solum ex nihilo creare potest : quum cuiuslibet rei e nihilo creandae potestate summa, et infinita usque adeo expertes creaturae sint ob infinitam inter eas, et nihilum distantiam, ut ipsae ad eiusmodi potentiam prorsus nequeant, id quod divus Thomas etiam docet, ab ipso Deo elevari. Tum transeuntem Sacramenti operationem putant actioni physicae adversari ex eo, quod sol, et ignis, dum physice lumen caloremque producunt, permaneant integri : in Sacramentis vero, nonnisi postquam desiverit transiens verborum sonus, et velox applicatio rei sensibilis, in extremo momento, quo minister pronunciaverit ultimam formae syllabam, invisibilis gratia confertur digne suscipientibus. Quin etiam, ubi Sacramentum erit validum, et informe, ut loquuntur scholae, quod nimirum rite, ac recte, ministratum indigni suscipiant, gratiam non continuo post illud peractum, sed longo ex intervallo post amotum peccati obicem obtinent (2). At quoniam effectus productio nullo unquam momento potest a causa physica separari, consequens est gratiam ab actione Sacramenti omnino seiunctam non physice ab eo produci. Et quamvis virtus Sacramenti gratiam continens potius physicam, quam alterius generis causam praeseferre videatur : tamen eam continendae gratiae virtutem aequiparant schedulis argentariorum, non veram physice pecuniam continentibus, sed condictum solummodo signum efficiens, ut argentarius, iis visis, nummos illico enumeret cuilibet illas exhibenti. Idipsum sensisse videntur Patres antiqui. S. Cyprianus (3), *remissio peccatorum*, inquit, *sive per Baptismum, sive per alia Sacramenta do-*

(1) S. Aug. *in can. detrahe verbum 54. C. I. qu.* 1.
(2) S. August. *in can. quamvis 29., et can. tunc vălere 42. de consecratione dist. 4.*
(3) S. Cyprian. *in sermone de Baptismo Christi.*

netur, propria Spiritus Sancti est, et ipsi soli huius efficientiae privilegium manet. S. Hieronymus (1), *quod homo tantum aquam tribuat, Deus autem Spiritum Sanctum.* S. Ambrosius (2) itidem *aquae opus tribuit, operationem Spiritui Sancto.* Quemadmodum et Augustinus (3), *aqua exhibens extrinsecus Sacramentum gratiae, et Spiritus Sanctus operans intrinsecus beneficium gratiae.* Haec mihi probabilior est sententia.

XXIV. Tametsi communem omnia Sacramenta effectum pariunt, gratiam sanctificantem, et habitualem : ea tamen multiformis quidem est. Nam *Baptismus*, quia peccati originalis non modo culpam, sed poenam quoque omnino delet, ob effectum hunc ceteris est praestantior. Culpas post Baptismum admissas, at poenas non omnes remittit *Poenitentia.* Reliquiae peccatorum *Extrema Unctione* absterguntur. *Chrisma* superaddit auxilia actuosa ad confitendam coram tyrannis fidem. Spiritualem vitam *Eucharistia* quammaxime nutriens praeservat a lapsibus, ideo omnium praestantissima, quod ipsum gratiae fontem revera contineat. *Ordo* episcopali dignitate ministri praecellens spiritum effundit non timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. *Matrimonium* animos coniugum ad mutuam conciliat pacem, et prolis educationem. Praeterea quoniam *Baptismo*, et *Poenitentia* resurgunt ad spiritualem vitam animae peccatorum veneno demortuae: isthaec duo *mortuorum* Sacramenta dicuntur, *primam* vitae *gratiam* conferentia. Cetera *vivorum* versa vice nuncupantur, quod *secundam gratiam* superfundant, prioris augmentum, et robur. Non aequalem ergo singula Sacramenta vim habere intelligimus ex diversis tot relationibus, quamvis cuncta ab uno, eodemque auctore sint ad communem fidelium sanctificationem instituta. Dicentes autem, *haec septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione sit aliud alio dignius*, anathemate profligavit Synodus Tridentina (4).

XXV. Adauget inaequalitatem *character*, hoc est *signum quoddam spirituale et indelebile, unde Sacramenta iterari non possint* (5) : quem in anima imprimunt tria solum *irreiterabilia* Sacramenta, Baptismus, Chrisma, et Ordo, cetera non item, quae idcirco sunt *reiterabilia.* De charactere isto non semel in sacris Litteris verba facit Apostolus (6). *Qui unxit nos Deus*, ait, *qui et* signavit *nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Rursus alibi (7): *In quo et credentes* signati *estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae in redemptionem adquisitionis, in laudem gloriae ipsius.... Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo* signati *estis in diem redemptionis.* Apostolicam hac in re doctrinam enucleatius tra-

(1) Divus Hieron. *in Isaiae cap. 4.*
(2) S. Ambros. *lib. 1. de Sacramentis cap. 5.*
(3) S. Augustinus *epist. 23. ad Bonifacium.*
(4) Trid. *sess. 7. can. 3.*
(5) Ibidem *can. 9.* S. Aug. *ad Donatistas ep. 48. in can. non in vobis 43. de consecr. dist. 4., can. sicut, et can. Sacramentorum C. I. qu. 1.*
(6) *Ep. 2. ad Corinth. cap. 1.*
(7) *Ad Ephesios cap. 1. ver. 14., et cap. 4. vers. 30.*

dunt prisci Patres (1), prae ceteris Basilius, et Augustinus expresso verbo *characteris dominici*, seu sacramentalis, quem ii comparant cum tessera militum, eorumque signo commilitones ab inimicis distinguente: stygmati in brachio fabricensium (2) impresso, et imagini Regis in numismate, aequant recentiores. Exinde fallax detegitur fides Morini clarissimi, cui suam incaute adiungit Wan-Espenius (3) scribens, nihil apud Patres, aut in antiquis canonibus de hoc charactere solidi occurrere: neque ab Augustino, dum perseverantem in apostasia, aut schismate, atque non iterandum Baptismum ipse urgeret, nomen characteris usurpatum: adeo ut pro eo propugnando coactos diceret antiquos scholasticos recurrere ad decretalem Innocentii III. in *cap. maiores 3. de Baptismo*, quae expresse definit in Baptismo characterem imprimi. Quid porro iam relata Basilii, et Augustini expositione *characteris dominici* solidius, et apertius excogitari potest?

XXVI. Rursus alia Sacramentorum sunt singulis *necessaria* vel omnino, et *necessitate medii*, ut loquuntur scholae, ita ut sine illis nequeant salvi esse, qualia sunt Baptismus, et Poenitentia, vel sola *necessitate praecepti*, qua fit, ut contemni quidem, aut parata refutari nequeant sine detrimento salutis aeternae, sed citra contemptum, innocue omittantur, cuiusmodi sunt Confirmatio, Eucharistia, et Extrema Unctio. Reliqua duo, Matrimonium, et Ordo, tametsi universo Ecclesiae Corpori sunt *necessaria*: tamen respectu singulorum *voluntaria* prorsus habentur, nam cuiusque arbitrio fas est ab iis abstinere. Qui dixerit, *Sacramenta novae Legis non esse ad salutem* necessaria, *sed superflua, et sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam iustificationis adipisci, anathema esto, sanxit Tridentina Synodus* (4).

(1) S. Basilius in *exhortat. ad Baptis. hom. 13. Tesseram duces*, inquit, *sub se militantibus dant, ut amici facilius invicem se noscentes exhortentur, et si cum hostibus commisceantur, eo facilius discerni possint, ac separari. Quod si forte commilitonum separatio fiat: nemo te, quarum, nostrorum ne, an adversarii sis partium, noverit, nisi mysticis signis familiaritatem praeteferas, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini, nisi* characterem *in te agnoscat Angelus? Quonam modo pro te pugnabit, aut ab inimicis vindicabit? Quomodo unquam dices, Dei sum,* signa *non ostendens? An ignoras quemadmodum signatas domus in Aegypto exterminator praeteriit?* S. Augustinus in *can. quod quidem 97. C. I. quaest. 2.* scribit. *Numquid character ille* (militis post desertionem redeuntis) *repetitur? An non potius agnitus approbatur? An forte minus haerent Sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, cum videamus, nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non reiteratur.* Idemque in *lib. 6. de Baptis. cap. I.*, traditione omnium Pastorum Ecclesiae communissima tradit *ovem, quae foris errabat*, et *dominicum* characterem *a fallacibus depraedatoribus suis foris acceperat, venientem ad christianae unitatis salutem ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari;* characterem *tamen* dominicum *in ea agnosci potius, quam improbari.* Ab aliis quoque Patribus, qua graecis, qua latinis, Chrysostomo, Cyrillo, et Ambrosio hanc eandem scientiam *characteris*, et *signi* in anima *indelebilis* accepit Ecclesia catholica.

(2) De quibus in *l. 3. C. de fabricensibus.*

(3) Wan-Espen. *par. 2. iur. eccl. tit. 1. de Sacram. in genere cap. 1. num. 11., et 13.*

(4) Trid. *sess. 7. can. 4.*

XXVII. Cum sint satis Sacramentorum hactenus explorata divina institutio, numerus, natura, effectus, differentiae: nunc explicanda supersunt, quae necessario requiruntur, ut valida, et proba sit eorundem ministratio. *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri, quorum si aliquod desit, non perficitur Sacramentum*, haec Eugenius IV. in Synodo Florentina docuit (1).

XXVIII. *Elemento*, et *verbo* perfici Sacramentum, expressit S. Augustinus scribens (2) : *accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Et S. Ambrosius (3) *aliud*, inquit, *est elementum, aliud consecratio.* Apostolico divi Pauli vocabulo, qui Sacramenta vetera esse dixit infirma, et egena *elementa*, Patres utique usi aliud *materiae* philosophicum silentio praeterivere usque ad saeculum decimum tertium : tametsi eos, quid Peripatetici, Academicique docerent, non latuit (4). *Formam* visibilem in Sacramentis explicandis fassi quidem sunt Ambrosius (5), Augustinus (6), cum eoque Patres Concilii Milevitani (7), Leo M. (8), ceterique, isto solum vocabulo exprimentes totam Sacramenti administrationem, et omnem in eo conficiendo ritum, qui et verba divinitus instituta per ministrum pronuncianda, et contemporaneam rei applicationem continet.

XXIX. Nunc vero *forma* Sacramenti eo, quo ex Philosophia translato sensu loquuntur Theologi recentiores, non elementum, aut *materiam:* sed verba solum, quae vim habent *efficiendi*, ut subiectum *materiae*, seu elementi sacramentalis convertatur ad conflandum Sacramenti opus, duobus huiuscemodi partibus constans. *De natura enim ita dicebant Philosophi, ut eam dividerent in res duas* (scribit Cicero (9), formam, et materiam intelligens primae naturae principia) *ut altera*, scilicet forma, *esset efficiens*, *altera*, nempe materia, *ex qua efficeretur aliquid. . . quod ex utraque, id iam corpus nominabant.* Strictiorem hunc *formae* sonum, et *materiae* vocabulum in Sacramentis explicandis antea inauditum Guilielmus Antisiodorensis, qui paullo post transvectam ab Arabicis, regressamque in scholas Italiae Philosophiam Aristotelis, floruit XIII. saeculo, primus omnium, si Morino (10) credimus, usurpavit felici successu.

(1) Synod. Florentin. in decreto *pro instructione Armenorum.*
(2) S. Aug. in *can. detrahe verbum 54. C. I. qu. 1.*
(3) S. Ambros. *lib. 1. de Sacram. cap. 5. in can. per aquam 9. de consecr. dist. 4.*
(4) S. Augustinus toto *lib. 8. de Civ. Dei* penitiorem Philosophorum scientiam excutit peritissime. Eusebius Caesareensis Alexandrinam Philosophiae scholam tertio saeculo apud Christianos floruisse tradit. Ceteri Patrum suis quisque scriptis sese Philosophos ostendunt.
(5) *Cit. can. per aquam 9.*
(6) In Sacramenti definitione superius explorata *num. 16. et seq.*
(7) Conc. Milevitan. in *can. placuit 153. de cons. dist. 4.*
(8) S. Leo M. in *can. hi, de quibus 38, eadem. dist.*
(9) Cicero *lib. 1. academicar. quaest. ad Varronem num. 18.*
(10) Morinus *de sacris ordinat. par. 3. exercit. 1. cap. 3. n. 6.*

XXX. Quandoquidem duo isthaec naturae principia sunt duabus rebus, seu partibus Sacramentum componentibus quam simillima. Enim vero *materiae* speciem habet procul dubio aqua in Baptismo, in Confirmatione oleum balsamo commixtum, panis, et vinum in Eucharistia, res ad ministeria singulorum Ordinum pertinentes, Extremaeque Unctionis oleum. Tres etiam poenitentis actus, contritionem, confessionem, et satisfactionem, *quasi materiam* Sacramenti Poenitentiae dixerunt Patres Tridentini (1), non identitatis, sed similitudinis adverbio *quasi* perinde utens, atque altero, *tanquam* usus antea fuit Eugenius IV. Tandem in Matrimonio, quod mutuus coniugum consensus efficit (2), ipsa utriusque, et corpora, et animi *materiam* praeseferunt, at sunt, qui priori consensui alterutrius vicem *materiae*, posteriori vim *formae* attribuunt. Quoniam *neque* materiam *ipsam cohaerere posse*, *si nulla vi* formae *contineretur*, *neque vim* formae *sine aliqua* materia, monet cum Peripateticis praelaudatus Tullius (3) : factum probe est, ut singulae modo dictae res habitudinem *materiae* imitarentur inertem, quoadusque vi, et potentia *formae* coalescant in unum. *Detrahe verbum*, inquam cum divo Augustino (4), quod *formam* nunc dicimus, *et quid est aqua*, *nisi aqua ?* hoc est actu iners ad Sacramentum materia. *Accedit verbum ad elementum*, uti ad materiam forma, *et fit Sacramentum*.

XXXI. Inspicientes duplicem materiae, et formae statum Doctores, utramque bipartiuntur in *proximam*, et *remotam*. Praesens ipsa materiae applicatio, puta baptismalis aquae infusio, chrismatis, oleive unctio, dicitur *materia proxima* : quemadmodum et accedens ad eam explicata verborum pronunciatio, *proxima forma* nuncupatur. Alteram ab altera seiunctam, vel procul a Sacramenti administratione positam, *remotam* appellant, quae virtutis sacramentalis expers omnino est, donec ambae simul rite adhibeantur.

XXXII. Quum omnia Sacramenta novae Legis fuisse a Iesu Christo instituta, teneat Ecclesia catholica (5), singulorum materiam, et formam idemmet Dominus edixisse putetur, necesse est. Quis enim unquam, praeterquam Deus potuit corporeis rebus, et verbis impertire virtutem producendae gratiae incorporeae, ac supernaturalis? *Gratiam*, *et gloriam* daturum Dominum, praedixit David (6), mortalium prae-

(1) Trid. *sess. 14. de Sacr. Poenit. can. 4.*, *et cap. 3.*

(2) Ex cit. Eugenii IV. synodico decreto *pro instr. Armenor.*

(3) Tullius *loc. cit.*

(4) S. August. in *cit. can. detrahe verbum 34. C. I. qu. 1.* Falsus ergo est Gandulphus, quem hoc in canone memorat glossa, dicens aquam ipsam esse Sacramentum.

(5) Trid. *sess. 7. de Sacramentis can. 1.*, Pius IV. in *formula professionis fidei*, cunctique orthodoxi S. Ambrosius *lib. 4. de Sacram. cap. 4.*, *auctor Sacramentorum*, inquit, *quis est, nisi Dominus Iesus? de coelo ista Sacramenta venerunt.*

(6) *Psalm. 83. vers. 12.* Iuveninus *dissert. 1. de Sacr. in genere qu. 4.*, Christum auctorem Sacramentorum, non ut hominem, sed ut Deum fatetur. At Doctor Sorbonicus *de re Sacramentaria lib. 1. quaest. 3. concl. 2.*, Christo etiam, ut homini vindicat praecellentem potestatem, qua incapaces omnino sunt

terea neminem. Apostolos existimemus non Sacramentorum auctores, sed praemonente Paulo (1), *ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, praecones, et nuntios institutorum eius, *pro Christo legatione* fungentes (2).

XXXIII. Hoc solum disputant Theologi nostri, *immediate* ne Christus per sese omnia septem Sacramenta, et singulas cuique Sacramento formas, materiasque *speciatim*, et *explicite* praefiniverit, an *mediate* per Apostolos, et Ecclesiam? Pro *mediata* institutione Chrismatis, Extremaeque Unctionis ex eo, quod ista per semetipsum a Christo instituta non patefaciant sacrae Scripturae, steterunt in primis Hugo a S. Victore, et Magister Sententiarum, quos nonnulli haud spernendi Theologi sectantur, opinantes mandatam Apostolis, eorumque successoribus potestatem ad id necessariam illis Christi Domini verbis: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (3). Ceteri perplures *immediatam* in cunctis singulatim Sacramentis tuentur cum divo Thoma (4), negantes communicatam Apostolis potestatem Christi eximiam, et singularem. Idemque Doctor Angelicus novam eiusmodi distinctionem aevo suo a nonnullis adinventam, evulgatamque sprevisse, eam prorsus reticendo, videtur, quum docuit (5) generatim Sacramenta esse ex divina solum institutione. Tanti Doctoris silentio consultissimo, edocti Patres Tridentini quaestionem istam, quae fidei nequidquam officit, etsi decernere quidem omiserunt, tamen multa sparsim declaravere, quae *immediatam* magis institutionem Christi, quam *mediatam* suadent. Eamque in sequentibus titulis acturus de unoquoque speciatim Sacramento pro virili ostendam. Quidquid enim canonicis novi Testamenti litteris mandarunt Apostoli de rebus ad Sacramentorum substantiam pertinentibus, eos id omne ab immediato Christi ore, praeceptove accepisse teneo. *Quod vidimus, et audivimus*, ipsi contestantur Apostoli, *annuntiamus vobis* (6). Perplura Christi instituta quidem Evangelistae silentio

creaturae, in Sacramentis instituendis ob divinitatem in una eius persona coniunctam humanitati. Nam ipsemet, *data est mihi*, ait, *omnis potestas in coelo, et in terra*, Matth. *cap. 28. vers. 18.*

(1) *Ep. 1. ad Corinth. cap. 4. vers. 1.* Idemque in praecedenti *cap. 3. vers. 5.* ait: *Quid est Apollo? quid vero Paullus? Ministri eius, cui credidistis.*

(2) *Ep. 2. ad Corinthios cap. 5. vers. 20.*

(3) Ioannis *cap. 20. vers. 21.*

(4) S. Thom. *par. 3. qu. 64. art. 4.* haec habet: *Christus in Sacramentis habuit duplicem potestatem: unam* auctoritatis, *quae. . . nulli creaturae potuit communicari, sicut nec divina essentia: aliam . . .* excellentiae, *quae competit ei secundum quod homo, et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiae plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad Sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur Sacramenta, et ut ipsi possent Sacramenta instituere, et sine ritu Sacramentorum effectum Sacramentorum conferre solo imperio: potest enim instrumento separato tribuere, sicut manus baculo.* Tum in *resp. ad 3.* subdit: *Christus* noluit *potestatem* suae excellentiae *ministris communicare: si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alii vero secundario.*

(5) Idem *loc. cit. art. 2.* — (6) Ioannis *epist. 1. cap. 1. vers. 3.*

praeterivisse fatentur (1), ea praesertim, quae ipse suos docuit discipulos post resurrectionem, *per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei* (2). *Non ergo ii dies*, inquam cum S. Leone M. (3), *qui inter resurrectionem Domini, ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decursu, sed magna in his confirmata* Sacramenta, *magna sunt revelata mysteria.*

XXXIV. Ex modo dictis consequitur immutabiles omnino esse in substantia formas, materiasque Sacramentorum a Christo designatas. *Quia ergo sanctificatio hominis*, scribit S. Thomas (4), *est in potestate Dei sanctificantis, non pertinet ad hominem suo iudicio assumere res, quibus sanctificetur, sed hoc debet esse ex divina institutione determinatum. Et ideo in Sacramentis novae Legis, quibus homines sanctificantur, secundum illud Apostoli* (5), abluti estis, sanctificati estis: *oportet uti rebus divina institutione determinatis.*

XXXV. Inanis idcirco erit, irritusque Baptismus, si pro aqua elementari quis adhibeat liquorem artefactum, succum pomorum, ardentem aquam ex vino stillatam, serum, sudorem, salivam, insculum. Nec Eucharistiam ullatenus conficiet Sacerdos pro pane communi, et triticeo consecrans coctum sub cinere, aut nimis mucidum, hordeaceum, indicum, aut placentam: vel pro vino defrutum, cervisiam, mali punici succum, acetumve. Non eadem porro, quam Christus Dominus maluit, istarum rerum substantia, et natura est. Secus dicendum de mutatione accidentium, et qualitatum (6), quae quia substantiam rei non variat, nequit invalidum efficere Sacramentum. Hinc apta ad Baptismum materia putatur aqua quum calida, tum gelida, aut floribus, herbisve imbuta levissime. Et Eucharistia valide conficitur, nedum candido, et primario pane: sed atro etiam, et sicco, et nautico, et plebeio, quemadmodum azymo, et fermentato, item rotundo, ac quadrato, et oblongo.

XXXVI. In verbis etiam, quae formam Sacramenti perficiunt, duplex eiusmodi mutatio est discernenda. Altera enim *substantialis* verborum mutatio, quae sensum omnino abrogat, vel aliorsum detorquet: ea formae substantiam destruens, irritum facit Sacramentum. *Accidentalis* altera non item, qua quum detractis, vel additis, inter-

(1) Ioann. *in Evang. cap. 21. vers. 25.*
(2) Actorum *cap. 1. vers. 3.*
(3) S. Leo M. *serm. 1. de Ascensione Domini.*
(4) S. Thom. *par. 3. quaest. 60. art. 5. in C.*
(5) *Ep.* 1. *ad Corint. cap. 6. vers.* 11.
(6) Duplicem eiusmodi mutationem explicans S. Augustinus *lib. de immortal. animae cap. 5. num. 8. Si alba cera*, inquit, *nigrum colorem ducat aliunde, non minus cera est; et si ex quadrata rotundam formam sumat, et ex molli durescat . . . At si eorum, quae in subiecto sunt, tanta commutatio fieret, ut illud, quod subesse dicebatur, dici iam omnino non posset, veluti quum calore ignis cera in auras discedit, eamque mutationem patitur, ut recte intelligatur mutatum esse subiectum, quod cera erat, et cera iam non est: nullo modo aliqua ratione quidquam eorum, quae in illo subiecto ideo erant, quia hoc erat, remanere putaretur.*

polatisve vocibus nonnullis, aut transpositis, vel barbare, corrupteque pronunciatis per balbutiem, vel ignorantiam, aut in Italum, aliudve idioma traductis, sensus idem adhuc integer stet: valor Sacramento non adimitur. Ideo aeque Latini probe consecrant vinum eucharisticum dicentes, *hic est calix sanguinis mei*; ac Graeci hisce pauciorибus verbis, *hic est sanguis meus*: quemadmodum qui reticuerint sequentia eiusdem formae verba *novi Testamenti*, *mysterium fidei*, et cetera: aut in consecrando pane particulam *enim* omiserint. Eademque ratione valere Baptismum *in nomine patria*, *et filia*, *et spiritu sancta* collatum a presbytero latinae linguae ignaro, dummodo is errorem, aut haeresim, quae scilicet filiam in Trinitate sanctissima somniaret, non esset praemeditatus, Papa Zacharias rescripsit (1). Itaque si aequivocum sensum, et catholicum, et haereticum contineant mutata formae verba: ex intentione ministri ea proferentis iudicium de valore, aut nullitate Sacramenti pendere, S. Thomas monet rectissime (2). Tacitum errorem improbi, haereticique ministri verba evangelica recte pronunciantis non obesse Sacramento, S. Augustinus (3) iam praedocuit; at expresso haeresis errore, mutatis consulto verbis evangelicis, licet ita detortis, ut communis eorundem sensus integer stare videatur: Sacramento vim omnem utique tolli ostendit praelaudatum Zachariae responsum.

XXXVII. Patet hinc ratio, cur Sacramentorum validitati non officiat in iis administrandis discrepantia verborum inter Latinos, et Graecos, ceterosque Orientales, substantiam formae haud immutans. Latini sane activo verbo *baptizo* utuntur, Graeci passivo βαπτιζεται, idest *baptizatur*. Alexandrini, seu Coptici verbum illud *baptizo*, et Iacobitae hoc alterum *baptizatur* ter iterant, primum *in nomine Patris*, mox *in nomine Filii*, demum *in nomine Spiritus Sancti*: dum in cunctis aliis Ecclesiis semel initio pronunciatur. In Confirmatione, et Poenitentia a Graecis forma *deprecationis*, a Latinis *absoluta*, et *indicativa*, quae actionem ministro attribuit, usurpatur. Eucharisticae formae diffe-

(1) Zacharias in *can. retulerunt* 86. *de cons. dist. 4.* S. Augustinus in *can. si non sanctificatur* 72. *de cons. eadem dist. 4*, multis comprobat *aquam baptismi, cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, utique sanctificari.*

(2) S. Thom. *pag.* 3. *qu.* 60. *art.* 8. *in C. Forte autem si diceret*, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et B. Virginis Mariae, *non esset Baptismus: quia dicitur* (1. *ad Corinth.* 1.) nunquid pro vobis Paulus crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis? *Sed hoc verum est, si sic intelligatur in nomine B. Virginis baptizari, sicut in nomine Trinitatis, quo baptizatus consecratur: talis enim sensus esset contrarius verae fidei, et per consequens tolleret veritatem Sacramenti. Si vero sic intelligatur, quod additur*, et in nomine B. Virginis, *quasi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptismo, seu ut eius intercessio prosit baptizato ad conservandam gratiam baptismalem, non tollitur perfectio formae Sacramenti.*

(3) S. August. in *can. satis 48. de cons. dist. 4. Satis ostendimus*, ait, *ad baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam vel dantis, vel accipientis errorem; sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam coelestis doctrina insinuat.*

rentia paullo superius iam memorata est Ceteras in sequentibus cuiusque Sacramenti titulis indicare non omittam.

XXXVIII. Quod verba formae Sacramentorum operationem sanctificantem, et praesentis gratiae effectricem exprimant, quisque sanae mentis plane percipit sensu communi. Quo tamen se carere produnt Lutherani et Calvinistae, quum delirant verbis eiusmodi non aliam vim inesse, nisi *concionis* evangelicae fidem suscipientium excitantis, vel exhibentis *promissionem* gratiae sua ipsorum fide, seu ex opere operantis promerendae : eaque verba barbare, inepteque appellant *concionatoria*, et *promissoria*. Deliramento suo favere putant illud Matthaei (1): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos : docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Illud quoque Ioannis (2): *Iam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis.* Et hoc aliud Apostoli (3): *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit seipsum pro ea, mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Exinde sic arguunt. Si coniunctum Baptismo munus docendi, et lavacro aquae verbum vitae Christus voluit : aliud non est verbum in Baptismo, nisi concionatorium, nec aliter proderit, quam ex fide suscipientis, quae promissam credentibus gratiam promereatur ex opere operantis. Idque a S. Augustino (4) traditum contendunt, quum ait Sacramentum fieri quidem *verbo* ad elementum aquae accedente, *non quia dicitur, sed quia creditur . . .* subdens *hoc* esse *verbum fidei, quod praedicamus.* Eamque ob rem nonnisi praemissa concione collatum ab antiquis Patribus Baptismum asseverant.

XXXIX. At vero suum ipsi in errorem absurdissime detorquent Sacrae Scripturae sensum catholicum, apostolicamque traditionem. Nunquid enim concionantur sacri ministri, dum Sacramenta conficiunt, dicentes : *Ego te baptizo, confirmo te Chrismate salutis, ego te absolvo*, cetera id genus ? Haudquaquam. Ista porro verba non concionantis ad erudiendum in fide, neque hortantis ad fidei virtutem sunt: sed operantis ad sanctificandum in Trinitatis nomine. Solis hisce verbis integra perficitur substantia Sacramenti. Cetera, quae praemittuntur ad erudiendum, et praeparandum suscipientis animum, accidentia sunt solemnioris administrationis : quae ubi omittantur, ut solent in casu necessitatis omitti, subiectum, substantiamque Sacramenti non corrumpunt. Itaque commiscent haeretici turpiter cum Sacramento Baptismi doctrinam fidei, et prius, et posterius ex praecepto Domini explicandam, quum Sacramenti pars ea non necessaria sit. Tertullianus (5) id aperte docet, scribens : *Felix Sacramentum aquae nostrae. . . . sine sumptu homo in aquam demissus, et inter pauca verba tinctus, mundior resurgit . . . . Omnes aquae Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo*, scilicet nomine sanctissimae Trinitatis.

(1) Matth. *cap. ult. vers.* 19.
(2) Ioann. *cap.* 15. *vers.* 3.
(3) *Ep. ad Ephesios cap. 5. vers. 25.*
(4) S. August. in *can. detrahe verbum 54. C. I. qu. 1.*
(5) Tertullian. *lib. de baptismo cap. 1., 2., et 4.*

Huius invocatio *verbum vitae* ab Apostolo dictum est, in quo mundamur *lavacro aquae*. Et *propter verbum istud*, quod *Christus* ipse *locutus* est, mundi sumus : non propter alia verba, quae baptizantes ministri essent concionando docturi. *Quare non ait*, (S. Augustinus (1) opportune quaerit) *mundi estis propter Baptismum*, *quo loti estis : sed ait*, propter verbum, quod locutus sum vobis? *nisi quia et in aqua verbum mundat? detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum.* Quum soli verbo ad elementum aquae accedenti sanctus Doctor attribuat vim conficiendi Sacramentum : consequens est, ut is alia, quae ad ablutionem non accedunt, sed praecedunt, explicantia praecipuam fidei doctrinam, ad Sacramenti substantiam non pertinere senserit. Subdensque id *verbum fidei*, *quod praedicamus*, tanta pollere virtute, *non quia dicitur*, *sed quia creditur*, non ideo purae concionis illud esse dixit : sed innuere voluit mysterium Sanctissimae Trinitatis, quod fidei nostrae caput est, quod Christus primum explicite locutus est, quodque a cunctis fidelibus creditur, eo verbo contineri. B. Hieronymus (2) etiam docendi munus a Sacramento separatum tradit, illud Evangelii, *docete, baptizantes eos* etc. sic explicans : *Ordo praecipuus est : iussit Apostolis*, *ut primum docerent omnes gentes*, *deinde fidei intingerent Sacramento*, *et post fidem*, *ac baptisma*, *quae essent observanda*, *praeciperent.* Nullis ergo fundamentis nititur verbum concionatorium ab haereticis somniatum.

XL. Quoniam verba non possunt ex sese ad res accedere, nisi utraque minister simul coniungat : ministri etiam *persona*, et *intentio*, ut Sacramenta perficiantur, in idipsum conspirent, necesse est. Ordinarios primo loco ministros Sacramentorum omnium Episcopos esse, tum secundo loco Parochos, Sacerdotesque animarum curatores, iam praemonui superiori libro (3), exceptis Confirmatione, et Ordine a Parocho solo, extra casum necessitatis Sacramenta licite suscipi, Tridentina Synodus decrevit (4), intuitu officii curae spiritualis iure ordinario, et perpetuo demandatae. Ceteri Sacerdotes, nonnisi ubi necessitas, mortisque periculum urgeat, ea probe administrant, aut quoties ab Episcopo, vel Parocho etiam sine causa necessitatis facultatem comministrandi, eamque revocabilem obtinuerint iure delegato, et extraordinario. Laicis vero, quos sacra, et sacerdotali potestate omnino expertes iam ostendi (5), nefas quidem est in Sacramentorum ministerio se ingerere : eis tamen vix licet presbytero, clericove deficiente, baptizare periclitantes in articulo mortis (6). *Si quis* autem *dixerit Chri-*

(1) S. August. *loc. cit.*
(2) S. Hieronym. *in comm. ad cap. ult. Matthaei.*
(3) *Lib. 1. tit. XVIII. de Episcopis num. 11.*
(4) Trid. *sess. 24. de reform. cap. quoniam 13.*, de quo dixi *lib. I. tit. XX. de Parochis num. 11.*
(5) Eodem *lib. 1. tit. XXXI. de presbyteris num. 3.*
(6) S. August. *epist.* ad Fortunatum *in can. in necessitate 27.*, et *can. sanctum 36. de consecr. dist. 4.* Cathechism. Roman. *de Sacr. Bapt.*

stianos omnes in verbo , et omnibus Sacramentis administandis habere potestatem , anathema sit ex canone tridentino (1).

XLI. Quaerunt scholastici, soli ne viatores homines sint Sacramentorum administri , an etiam coelites , et Angeli? Et quoniam viatoribus duntaxat id munus a Christo domino datum ostendunt sacrae Evangelii litterae , quod prae ceteris animadvertit Chrysostomus (2) : fateri necesse est coelites, Angelosque ab isto ministerio exclusos , etsi, ut docet divus Thomas (3) , possit Deus , ubi velit , idipsum eis extra ordinem demandare.

XLII. Altera quaestio est a priscis Patribus maxime agitata, an impius minister , haereticus , schismaticus , infidelis , aut peccato gravi obnoxius, licet catholicus, valida conficiat Sacramenta? Novatiani tertio saeculo ita improbabant Sacramenta a ministris alienae fidei collata , ut rebaptizarent a catholicis baptizatos , qui ad eorum sectam transilirent (4). Firmilianus Caesareensis , S. Cipryanus , aliique non pauci catholicorum Praesulum Africae , Numidiaeque (5) fore iterum baptizandos , ordinandosque haereticos ad rectam fidem redeuntes , contenderunt acriter contra S. Stephanum Papam ex apostolica traditione aliter sentientem. Tum quarto saeculo Donatistae (quos hac in re sectati sunt Waldenses , Hussitae , et Wiclefistae) opinabantur substantiae Sacramentorum obesse nedum ministri fidem improbam , sed impuram quoque animam peccato mortali coinquinatam (6) : suamque opinionem his fere auctoritatibus fulciebant. Ex veteri Testamento : *Omnia quaecunque tetigerit immundus , immunda erunt* (7) : *Qui baptizatur a mortuo , quid proficit lavatio ejus* (8)*? Oleum peccatoris non impinguet*

(1) Trid. *sess. 7. can. 10.*

(2) S. Io. Chrysost. *lib. 3. de Sacerdotio. His , qui terram incolunt* , ait , *atque in ea versantur , commissum est , ut ea , quae in coelis sunt , dispensent ; iis datum est , ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis , neque Archangelis datam esse voluit : neque enim ad illos dictum est :* quaecunque ligaveritis super terram , erunt ligata et in coelis, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis etc. Et Apostolus *ad haebreos cap. 5.* , mortalem hominem esse ministrum Sacramentorum designat, scribens eum constitutum , *ut offerat dona , et sacrificia pro peccatis , qui ignorant , et errant : quoniam et ipse circumdatus est infirmitate.*

(3) S. Thom. *par. 3. qu. 64. art. 7. in C.* haec scribit. Virtutem suam (*Deus*) non ita alligavit Ecclesiae ministris , quin etiam Angelis possit virtutem tribuere ministrandi in Sacramentis: quia beati Angeli sunt nuntii veritatis, si aliquod sacramentale ministerium a bonis Angelis perficeretur , esset ratum habendum , quia deberet constare hoc fieri voluntate divina : sicut quaedam templa dicuntur angelico ministerio consecrata. Si vero doemones, qui sunt spiritus mendacii , aliquod sacramentale ministerium exhiberent, non esset ratum habendum.

(4) Ex relatis a S. Cypriano *ep. 73. ad Iubaianum*, S. Ambrosio *lib. 1. de poenitentia cap. 6.* , et Eusebio *lib. 7. cap. 7.*

(5) Patet ex S. Cypriani *epistolis 70.* , *et seqq.*

(6) Ex S. Augustino *lib. de haeresibus cap. 69.* , *lib. de unico Baptismo contra Petilianum* , *et alibi.*

(7) Numeror. *cap. 19. vers. 22.*

(8) Ecclesiastici *cap. 34. vers. 3.*

caput meum (1) Ex novo : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit* (2): *Scimus, quia peccatores Deus non audit* (3): *Nolite iugum ducere cum infidelibus : quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras? quae autem conventio Christi ad Belial ? aut quae pars fideli cum infideli* (4)? *Omnia munda mundis : coinquinatis autem, et infidelibus nihil est mundum* (5). Exinde sic ratiocinabantur. Si nemo dat, quod non habet : fieri non potest, ut minister Sacramenti immundus det munditiem, mortuus spiritualiter vitam animae, peccator sanctificationem, tenebrosus lucem, fidem infidelis, societatem segregatus.

XLIII. Contra ea praevaluit semper catholica sententia, quae docet Sacramenta a pravis etiam ministris, dummodo res, et verba a Christo instituta secundum Ecclesiae catholicae morem, intentionemque rite adhibeantur, vere confici, et ea digne suscipientibus utique prodesse, ipsis vero sacrilegis ministris inferre perniciem. Non enim vero suam ii, sed Christi personam gerunt. In Evangelio (6) legimus, quod *Iesus plures baptizavit, quam Ioannes* Baptista, *quanquam Iesus non baptizaret* per sese, *sed discipuli eius*, inter quos fuit et Iudas mortalium omnium nequissimus. *Dedit Baptismum Iudas*, inquam cum S. Augustino (7), *et non baptizatum est post Iudam. Dedit Ioannes, et baptizatum est post Ioannem* (8) : *quia datus a Iuda, Baptismus Christi est ; qui a Ioanne, Ioannis erat : non quidem Ioanni Iudam, sed Baptismum Christi etiam per manus Iudae datum Baptismo Ioannis recte praeponimus.* Altercantes de baptizantium dignitate Corinthios, quum dicerent: *ego quidem sum Paulli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi :* increpavit Apostolus, ad eos scribens: *Divisusne est Christus? nunquid Paullus crucifixus est pro vobis ? aut in nomine Paulli baptizati estis? . . . . Quid igitur est Apollo ? quid vero Paullus ? ministri eius, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit : Itaque neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus . . . Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis* (9). Quemadmodum ergo ingenitam foecunditatem seminibus, et plantis, quoties idoneae terrae committantur, non impedit agricolae improbitas, ita nec divinae Sacramentorum virtuti obstare ministri malitiam, vel infideli-

(1) Psalm. 146. *vers. 5.*
(2) Lucae *cap. 11. vers. 23.*
(3) Ioannis *cap. 9. vers. 21.*
(4) *Ep. 2.* ad Corinth. *cap. 6. vers. 14.*
(5) Ad Titum *cap. 1. vers. 15.*
(6) Ioannis *cap. 4. vers. 1., et 2.*
(7) S. August. *tract. 5. in Ioan. can. aliud est 39. de consecr. dist. 4.*
(8) Actor. Apost. *cap. 19. vers. 3., et seq.* Paullus Apostolus ad Baptistae discipulos ait: *in quo ergo baptizati estis? qui dixerunt in Ioannis baptismate. His auditis baptizati sunt in nomine Iesu.*
(9) *Ep. 1. ad Corinth. cap. 1. vers. 11., et seq. et cap. 3. vers. 3., et seqq.*

tatem, Apostoli oraculo docemur: *Si non credimus, ille*, scilicet Christus *fidelis permanet, negare seipsum non potest* (1), qui tantam Sacramentis suis dat virtutem, quique officium ministerii hominibus concessit, potestatem sanctificandi Sacramentis suis sibi retinuit, et in neminem ministrorum transfudit, ut docet S. Augustinus (2). Idcirco *Sacramenta in sceleratis quoque hominibus sancta sunt*, monet ipse Augustinus (3): *spiritualis enim eorundem virtus, ut lux pura ab illuminadis excipitur, sed per immundos transiens non coinquinatur.* Et imago Principis aeque a manu fidelis subditi, atque infidelis infigitur cerae per solam signi impressionem. Et ideo per ministros dispares Dei munus in Sacramentis aequale est (4). Haec vero causa erroris fuit Novatianis, Donatistis, S. Cypriano, ceteris in diversa progressis, quod non distinguentes externum Sacramenti opus humanum ab interno effectu divino, perperam ipsi arguerent effectum Sacramenti necessarium ab homine ministrante, non a sanctificante Deo promanare (5). *Si quis* autem *dixerit* sanxit Tridentinum *ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema sit* (6). Simul et qui *dixerit Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum*, anathema esto (7). Itaque ne dubitemus fore, ut parvuli a quovis malo ministro baptizati gratiam sanctificantem, aeternamque salutem adipiscantur. Adultis vero non catholicis, vel quomodolibet indignis, qui Sacramenta irreiterabilia Baptismi, Confirmationis, et Ordinis ab improbo ministro suscipiant, characterem sane imprimi, sed sanctificantem gratiam non conferri, nisi postquam ii obicem infidelitatis, vel haeresis, vel peccati removerint, probe docet S. Augustinus (8). Hinc facile intelligimus, quod obiecta sacrae Scripturae loca non veritatem, dignitatemque Sacramentorum, quae ab immundis, et infidelibus ministrantur, submoveant: sed utique referantur ad gratiam sacramentalem, quam impedit quum ministri, tum suscipientis sacrilegium.

XLIV. Quamquam sanctitate ministri Sacramenta non indigeant: tamen illius *intentionem*, ut vere, valideque conficiantur, necessariam

(1) *Ep. 2. ad Timoth. cap. 2. vers. 14.*
(2) S. Aug. *in can. aliud est 36. de cons. dist. 4.*
(3) S. August. *ep. 43.*, *alias 162. num. 24. to. 2. edit. Neap.*
(4) Idem *in can. si iustus fuerit 30. C. I. qu. 1.*
(5) S. Aug. *lib. 6. contra Donatistas cap. 1. Non ob aliud* (ait) *contra veterem consuetudinem visum est quibusdam etiam egregiis viris, inter quos praecipue B. Cyprianus, non esse posse apud haereticos, vel schismaticos Baptismum Christi, nisi quia non distinguebatur Sacramentum ab effectu, vel usu Sacramenti: et quia eius effectus, atque usus in liberatione a peccatis, et cordis rectitudine apud haereticos non inveniebatur, ipsum quoque Sacramentum non illis esse putabatur.*
(6) Trid. *sess. 7. de Sacram. can. 12.*
(7) Idem *cit. sess. de Baptismo can. 4.*
(8) S. Aug. *in can. nullus 40.*, *et can. quomodo 41. de cons. dist. 4.*

omnino esse tenent unanimi sensu catholici contra desipientes Lutheranos, id quod e re nata explicandum nunc superest. *Intentio* non aliud est, nisi animus operantis ad finem praecognitum directus, seu deliberata voluntas id, quod agitur, conficiendi. Eamque triplicem esse loquuntur scholae, *actualem*, *virtualem*, et *habitualem*. Quoties minister ad id, quod agit, animum adiungit suum, nil aliud omnino cogitans: dicitur *actualem* tunc intentionem habere, seu *praesentem*, et *concomitantem*, quae omnium est efficacissima. *Virtualis* esse putatur praevia mentis deliberatio non revocata, nec interrupta, vim habens perseverandi adhuc in animo, aliud postea, dum ipsa res agitur, cogitante. Quoniam haec, quam mihi lubet *proximam praecedentem* appellare, frequentius, quam prior altera in humanis actibus concurrit, *nec enim est in nostra potestate*, inquam cum divo Augustino, *quin visis tangamur*, et mens nostra diversis obiectis aliorsum abducatur: ideo catholici omnes hanc ipsam ad Sacramenti valorem sufficere tenent. Quod si nulla praemissa praesentis animi deliberatione quis longa consuetudine ad sacrum ministerium proclivis, Sacramentum rite administret, animo per ebrietatem, vel dementiam, vel somnum, aut delirium evagante: istum aiunt agere intentione *habituali*, scilicet *remota*, quae concordi catholicorum sententia invalidum efficit Sacramentum. Si enim actio, ut vere humana sit, ratione, liberoque mentis consilio dirigatur oportet (1), non humana idcirco existimanda est quaevis actio ebrii, mentecapti, vel dormientis, in quibus iners omnino, et sopita iacet ratio, quia incolumi anima, et vita mentem insania extingui, animum somno sopiri, monet Lactantius (2).

XLV. Cave, ne credideris *habitualem* intentionem a divo Thoma in Sacramentorum ministro adprobatam esse, dum ait (3), *quod licet ille, qui aliud cogitat, non habeat* actualem *intentionem, habet tamen intentionem* habitualem, *quae sufficit ad perfectionem Sacramenti*. Enim vero *habitualem* dixit Angelicus Doctor, quam recentiores, Scoto duce, *virtualem* appellant: et hanc eum sensisse indicant haec alia ipsius, continuo subiuncta verba, *puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum, intendit facere circa baptizandum, quod facit Ecclesia, unde si postea in ipso exercitio actus cogitatio eius ad alia rapiatur, ex virtute primae intentionis perficitur Sacramentum* (4).

XLVI. Quod si ab ebrioso collatum Baptismum valere senserit S. Augustinus, scribens (5): *Non timeo ebriosum, quia Christus est, qui baptizat . . . quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus bapti-*

(1) Lucretius *lib. 3.* probe cecinit. . . *dominari in corpore toto Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus.*

(2) Lactantius *lib. de opificio Dei num. 18.*

(3) S. Thom. *par. 3. qu. 64. art. 8. ad 3.*

(4) Eiusmodi vocabuli commutationem, rectamque Angelici sententiam sane perspexit Cardinalis Caietanus *in commentario.*

(5) S. August. *tractat. 5. in can. Baptismus 26. de consecr. dist. 4.*

zavit: non eum, qui actu sit ebrius baptizans, sed qui soleat ebrius fieri, quamquam dum baptizat, talis non sit, sanctus Doctor procul dubio putavit (1). Quandoquidem Novatiani Antipapae ordinationem a tribus peractam Episcopis temulentis, et crapula oppressis inanem, irritamque iam habuerat Ecclesia (2). Simul et Baptismum multis collatum a quadam energumena furore daemoniaco exagitata (3). Eadem discriminis ratione sit, ut vera, et proba sint Sacramenta, quae somnolentus actu vigilans, aut furiosus, vel insanus sanitatis intervallum habens confecerint (4).

XLVII. His praemissis coarguenda est Lutheranorum stultitia, qui inanem prorsus habentes intentionem ministri usque adeo non necessariam opinantur, ut semper validum esse Sacramentum effutiant, nedum si ioco, et mimice, aut in ebrietate, vel insania, verum etiam si nolente, invitoque animo conficiatur. Instar omnium Kemnitius (5) eiusmodi errorem adstruens: *quemadmodum*, ait, *verbum Evangelii praedicatum sine ulla intentione, esse verbum Evangelii non desinit, et qui ei assentitur, iustificatur, quantumvis perversam tam interiorem, quam exteriorem, vel etiam nullam habeat minister: ita neque desinit esse Sacramentum, dummodo applicetur forma materiae, etiamsi absque intentione recta applicetur, sed e contra cum perversa interiori, vel exteriori, vel etiam nulla.* Execrandus ipse Lutherus (6) addidit exemplum de quodam mimo per iocum baptizato, puta Genesio, qui se per derisionem sacrilegam in theatro coram Diocletiano tyranno aegrotum, simulans fertur baptizatus, statimque a Deo sanctificatus, ita ut paulo post pro religione, quam deriserat ludens, martyrii palmam promeruerit (7). Rursus alterum addunt exemplum Athanasii Alexandrini, a quo adhuc impubere ludente iuxta litus iocantes una pueros fuisse baptizatos, eorumque Baptismum non iterandum, re cognita, iudicasse Alexandrum

(1) Ut observat glossa *in cit. can. ver.* ebriosum. Seneca *ep. 83.* Plurimum interesse, *ait*, inter ebrium, et ebriosum: potest et qui ebrius est, tunc primum esse, nec habere hoc vitium: at qui ebriosus est, saepe extra ebrietatem esse.

(2) De ea Cornelius Papa ad Fabium Antiochenum scribens *in ep.* apud Eusebium *lib. 6. hist. eccles. Egregius ille vir, ait*, . . . accitos tres Episcopos, homines plane rudes, ac simplices. . . . eos ille a quibusdam sui simillimis, quos ad id comparaverat, inclusos hora decima, temulentos, et crapula oppressos, adumbrata quadam, et inani manuum impositione, Episcopatum sibi tradere per vim cogit.

(3) Ex *ep.* Firmiliani Caesareensis ad S. Cyprianum inter Cyprianicas 75. Quid igitur, *scribit*, de huius Baptismo dicemus, quo nequissimus daemon per mulierem baptizavit? potestne credi, aut remissio peccatorum data, aut lavacri salutaris regeneratio rite perfecta, ubi omnia, quamvis ad imaginem veritatis, tamen per daemonem gesta sunt?

(4) Glossa in *cit. can. Baptismus 26. de cons. dist. 4.* arg. *l. 9. C., quibus non est permissum facere test. et §. 1.* Inst. Iust. *eod. tit.*

(5) Kemnitius Lutheranus *par. 2. examin. Conc. Trid.*

(6) Luther. *lib. de captivit. Babylonica cap. de Baptismo.*

(7) Ex Romano Martyrologio VIII. *Kal. Septembris.*

tunc Alexandrinum Archiepiscopum, narrant Sozomenus (1), et Socrates (2).

XLVIII. At nunquam magis desipiunt, quam quum haec loquuntur haeretici. Quoniam homines, non bruta animantia Christus Dominus ministros Sacramentorum creavit, necesse est, ut ea ipsi conficiant humano modo, hoc est libero voluntatis suae consilio, animique imperio, non instar brutorum solo corporis servitio. Cum enim solus homo sit particeps rationis, et cogitationis, cuius omnino expertia sunt cetera animantia: inde fit, ut *homo non necessitatem*, *sed potestatem habeat voluntatis suae* (3), bruta vero necessitatem serviendi naturae suae appetitibus, quippe quae, ut Lactantius (4) monet, *utuntur sensibus ad naturae suae necessitatem*, *petunt ea*, *quibus opus est ad vitam tuendam*. Sed humanus *animus rector est corporis*, *et animo*, *tamquam regi*, *et imperatori membra obsequuntur* (5). *Animus enim sua sponte*, *et cogitat*, *et movetur* (6): membra, nisi animo imperanti pareant, vel inertia sunt omnino, vel perinde moventur, ac bruta. Idcirco Iurisprudentia, quidquid amentes, furiosique contrahendo, vel deliquendo fecerint, ut infectum, sic irritum habet (7), et *furiosum*, *sive stipuletur*, *sive promittat*, *nihil agere*, *natura manifestum* esse docet Caius (8). Si ergo *furiosus nullum negotium gerere potest*, *quia non intelligit*, *quod agit*, ex textu Iustiniani (9): natura quidem humana ferre nullimode potest, ut homines sine intentione animi sui, mentisque intelligentia valeant validum conficere Sacramentum.

XLIX. Eo minus id patitur summa Religionis dignitas, Deique maiestas. Deo enim viventi, et incorporeo cultum praestare non corporalem sensibus solum externis, sed spiritalem animo, ac mente debemus. Fieri profecto nequit, ut Deus corda, cogitationesque mentis intuens rata habeat ea, quae ad ipsius magis ludibrium, quam cultum ab hominibus vel nolente, adversoque palam animo fiunt (10), vel per iocum, aut in scena mimorum. Nec enim irridetur Deus, suumque nomen sanctissimum ne invocetur unquam in vanum, vetat aeterna Lex Decalogi: *Abominatio Domini est omnis illusor*, *ipse deridet illusores*, ut monet Salomon (11). Itaque irrideri, non coli praesentis Numinis maie-

(1) Sozomenus *lib. 2. histor. cap. 17.*
(2) Socrates *lib. 1. histor. eccl. cap. 15.*
(3) Verba sunt Apostoli *ep. 1. ad Corinth. cap. 7. ver. 37.*
(4) Lactant. *lib. 6. de vero cultu num. 20.*
(5) Idem *lib. de ira Dei num. 10.*
(6) Dementes certe sunt, qui cum Aristoxeno, mentem homini omnino nullam esse aiunt, sed quasi harmoniam in fidibus ex constructione corporis, et compagibus viscerum vim sentiendi existere: quem refellit Lactantius *de opificio Dei num. 16.*
(7) *L. in negotiis 5. D. de regulis iuris*, *et l. illud 3. §. 1. D. de iniuriis.*
(8) Caius in *l. 1. § furiosum 12. D. de obligat.*
(9) §. 8. *Inst. de inutilibus stipulationibus.*
(10) Videsis Lactantium *lib. 6. de vero cultu num. 35.*, *et ult.*
(11) Proverbior. *cap. 3. vers. 32.* Pagani quoque Deorum cultores omnem a religione contemptum, irrisionemque arcebant. Tullius *lib. 3. de natura*

statem, violari, non custodiri eius religionem cupiunt, qui omnem animi intentionem a ministro Sacramentorum excludunt. Iure hinc meritissimo Leo X. inter alios sua contra Lutherum bulla damnatos articulos, et hunc proscripsit : *si Sacerdos non serio, sed ioco absolverit : si tamen credat poenitens se esse absolutum, verissime est absolutus*: Patresque Tridentini (1) dicentem peccata remitti, ubi *Sacerdos non serio, sed ioco absolvat*, anathemate confixerunt. Ita iam est Concilio plenario, cuius iudicium praeoptaverat S. Augustinus (2), quaestio de iocante ministri animo definita. Quod de Genesii baptismo ferunt ex recentissimo martyrologio Adonis Viennensis, Surio, ceteris recentioris aevi, doctioribus, id prorsus fabulosum ostendit altum in primis silentium tot scriptorum quarti saeculi (3) usque ad nonum, tum tanta, quae nequit conciliari, inter Adonem, Suriumque discrepantia in gestae rei narratione (4). Haud disparis notae baptismus est, quem pueris aequalibus ab Athanasio adhuc puero, et impubere simul ludentibus collatum, cum Praesul esset in Alexandrina urbe Alexander, narrant Sozomenus, Socrates, et Rufinus. Enimvero Athanasii impubertas, lususque ille puerilis nequidquam potest cum praesulatu Alexandri congruere : quum B. Hieronymus (5) Alexandrum Sedi Alexandrinae Praelatum ante annum vigesimum primum supra 300. non fuisse tradat, Athanasium vix quatuor post annos iam Diaconum primae Synodo Nicoenae adfuisse anno 325., eumque Theologum inter omnes praestantissimum, arianis erroribus profligatis, ad eandem sedem Alexandri, qui paullo post anno 326. obiit, evectum.

L. Iam satis explorata quum sit concordibus catholicorum sententiis

Deor. Religionem nunquam, ait, *contemnendam putavi.* Idemque in *seq. lib. 3. Cultus Deorum est*, inquit, *ut eos semper pura, integra, incorrupta, et mente, et voce veneremur.* Et humano iure nullam ex sponsionibus per iocum initis oriri obligationem, cautum sane est, *l. obligationum 3. D. de obligat.*

(1) Trid. *sess. 4. de Sacram. Poenit. can. 6.*

(2) S. August. in loco mox laudando.

(3) S. Augustinus *lib. 7. de Baptismo cap. 53.* Contra Donatistas quaerens, *utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur, cum simulatione, an sine simulatione ? an iocans sicut in mimo ? et utrum in haeresi fallaciter, an in mimo cum fide, si quisquam inter agendum repentina pietate moveatur ?* cum dubius haereret in ea definienda quaestione, nullum omnino verbum fecit de Genesio, quem sane non reticuisset, si eo tempore vulgata vel fabula, vel historia foret ; sed concludens ait : *Ubi totum ludicre, et mimice, et iocularitæ ageretur, utrum approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, divinum iudicium per alicuius revelationis oraculum concordi oratione implorandum esse censerem . . . Nobis tutum est, in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali Concilio coepta, nullo plenario terminata sunt.*

(4) Fertur ab Adone, quod Genesius christianum Sacerdotem, a quo Baptismum mox suscepit, in theatrum adsciverit. Post Surium alii scribunt mimum a mimo baptizatum per Angelum admonito, ut sacrum illud lavacrum intento, pioque animo adhiberet. Si testimonia quam novissima non congruunt: huiusce rei narratio ad fabulas est merito abiicienda.

(5) B. Hieronymus *in chronico.*

necessitas intentionis in ministro sive *actualis*, ut aiunt, sive *virtualis:* tamen viget adhuc in scholis nostris quaestio inter Ambrosium Catharinum, et Dominicum Sotum acriter olim agitata, quam definire Synodus Tridentina haud censuit, necesse ne sit, ut minister speciatim, expliciteque animo suo id intendat efficere, quod intendit Ecclesia, quodve ipso eodem Sacramento significatur; an sufficiat habere implicitam, generalemque intentionem serio peragendi ritum solummodo exteriorem, quem adhibet Ecclesia? Praestat ante, quam utriusque partis momenta expendamus, nosse synodicas, quae ad rem pertinent, definitiones.

LI. Synodo Constantiensi decretum in primis est fore suspectos de haeresi inter cetera interrogandos, *an credant, quod malus Sacerdos cum debita materia, et forma, et intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vere baptizet, et vere conferat Sacramenta?* Florentina Armenos instruens, quum septem Sacramenta singulatim connumerasset, *haec omnia Sacramenta*, inquit, *tribus perficiuntur, videlicet rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, et persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* In Tridentina (1) dein editus canon: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* Mox inter proscriptas ab Alexandro VIII. propositiones, et ea refertur: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo quod facit Ecclesia.*

LII. Non necessaria exinde intelligitur esse in ministro explicita mentis intentio efficiendi, quod Deus ipse operatur interius in anima suscipientis Sacramentum, quodve scilicet intendit Ecclesia: puta eluendi Baptismo labem primigeniam, corroborandi fidem Chrismate, convertendique panis, et vini substantiam in Corpus, et Sanguinem Domini. Si porro minister vel improbus intrinsecus opinetur effectus eiusmodi, quos intendit Ecclesia, a Sacramento non produci, tamen serio vult hos ipsos, quos Ecclesia adhibet, ritus externos peragere: isthaec intentio ritum Ecclesiae externum serio spectans faciendi id, quod facit Ecclesia, non quod ea intendit, satis quidem putatur ad valorem Sacramenti. Quandoquidem prisci Patres validum, ideoque fore non iterandum Baptismum censuerunt collatum a Pelagianis, peccatum originale, quod negabant, sacro lavacro delere non intendentibus. *Nec illud te moveat*, scripsit ad Bonifacium Augustinus, *quod quidam non fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam: non enim illi propterea non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur: celebrantur enim per eos necessaria mysteria, et verba Sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest.* Idemque contra Donatistas (2) ait *ad mysteriorum integritatem nihil interesse, quae sit fides ministro-*

(1) Trid. *sess. 7. de Sacram. in genere can. 11.*
(2) S. August. *cit. lib. 7. cap. 53.*

rum. Et rursus *nihil interest*, inquit, *ad integritatem Sacramenti in ipsa catholica Ecclesia, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cum tamen hoc idem utique agant.* Vetustam hanc doctrinam explicans divus Thomas (1), *si quis patiatur*, inquit, *fidei defectum circa ipsum Sacramentum, quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Ecclesia catholica intendit per huiusmodi, quae exterius aguntur, praebere Sacramentum: unde non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet aestimet id nihil esse: et talis intentio sufficit ad Sacramentum.* Alio in loco haec habet (2): *In Baptismo, et in aliis Sacramentis, quae habet in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta: et ideo si forma servatur, nec exterius aliud dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, catechumenus baptizatus est.* Alibique (3), posthabita quorundam opinione, qui mentalem intentionem in ministro requirunt, alteram amplectitur inquiens: *Alii melius dicunt, quod minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est minister: in verbis autem, quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimatur ex parte ministri, vel recipientis Sacramentum.* Tandem Innocentius III. (4), *non est necesse*, scripsit, antequam creatus Pontifex esset, *quod baptizans gerat in mente facere, quod facit Ecclesia; immo si contrarium gereret in mente, scilicet non facere, quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo baptizare minister intendat.*

LIII. Hisce auctoritatibus potissimum innixus Catharinus, Minoritanus primum Episcopus, mox Archiepiscopus Compsanus (5), propugnavit *externa* intentione ministri validum confici Sacramentum. Hanc ipsam deinde maluit et comprobare Alphonsus Salmeron (6), eximius

(1) S. Thom. *par. 3. summae qu. 64. art. 9. ad 1.*
(2) Idem *in 4. sent. dist. 6. qu. 1. art. 2. quaestiuncula 1. ad 2.*
(3) Idem Angelicus *cit. par. 3. qu. 64. art. 8.*
(4) Innoc. III. *ad lib. 3. decretal. cap. si quis puerum de Baptismo, et eius effectu.*
(5) Ambrosius Catharinus (scribit Card. Pallavicinus *lib. 13. hist. Concil. Trid. cap. 8.*) *summae vir fuit existimationis per annos, quos vixit, in certaminibus cum haereticis, functionibusque Concilii nemini suorum aequalium, aut collegarum plausu cessit.* Catharinus inquam editum ante sess. VII. Tridentinam libellum *de intentionis externae sufficientia* secundis typis Romanis quinque post annos, Patribus haud refragantibus, vulgavit. Eiusque detrectatorem Sacri Palatii Magistrum, praecipuum adversae partis patronum, ut summus Pontifex moveret, cohiberetque, ne probam Catharini famam, doctrinamque laederet, rogatus est a Legatis apostolicis.
(6) Salmeron, alter cum Catharino elucubrator canonum Tridentinorum, *par. 3. comm. in epist. divi Pauli disp. 2.* de externae intentionis sufficientia, ait, *duplicem esse intentionem ministri conferentis Sacramentum: alteram quidem* publicam, et Ecclesiae ipsius, *cuius ministerio perfungitur, quicunque ille sit, qui Sacramentum dispensat. Haec autem intentio satis exprimitur in ipsis Sacramento-*

Societatis Iesu Theologus, et *publicam* quoque dicere, ut magis eam distingueret ab *interna*, quam appellat *privatam*, scribens: *si intentio illa saltem faciendi, quod facit Ecclesia, debet esse pars Sacramenti, non debet esse illa cordis interna, et privata ipsius ministri, sed publica, quae verbis ipsis exprimitur.* Cumque Cardinalis Pallavicinus (1) ex ipsis Concilii Tridentini verbis superius recitatis pro certo affirmet *non esse reiectam sententiam Catharini, aliorumque Theologorum opinantium sufficere, ut ratum sit Sacramentum, voluntatem serio agendi, valorique Sacramenti duntaxat obesse iocum, quem ipse Sacramentum suscipiens cognoscere possit:* fit, ut pro ista adhuc sententia stent citra culpam confidentissime plerique Theologorum insignes, in his Franciscus Genettus (2), et Iacobus Hyacinthus Serry (3), Academiaeque Parisiensis, Tolosana, Taurinensis, Bononiensis, Patavina, ceterae per Italiam, alibique celebriores.

LIV. Praecipuae horum omnium rationes summatim huc rediguntur. Si consensione Patrum perpetua valuit semper Baptismus, nedum a Pelagianis, Donatistis, aliisque haereticis quum antiquis, tum recentioribus Lutheranis, et Calvinistis, sed Iudaeis etiam, et paganis, et atheis collatus, suo quidem animo id, quod intendit Ecclesia, non credentibus: si minister agens, ut Christi, Ecclesiaeve legatus, non suam ipsius privatam, sed publicam legantis intentionem repraesentat: si effectus Sacramentorum non ex aberrante, pravoque ministri animo, sed ex primaeva, eaque immutabili voluntate, ac praesentia Christi, rectaque Ecclesiae intentione promanant (4): consequens est externam, publicamque intentionem ministri serio peragentis ritus Ecclesiae consuetos sufficere, ut Sacramenta valeant. Aliter sentientes plura in absurda ruunt. Enim vero posset quum prava fides, tum perversa intentio ministri in occulto corde latens Ecclesiam perennem, atque indeficientem, vel prorsus extinguere, aut saltem facere incertam, nutantemque uno Baptismo, vel Ordine, quem unus forte primorum Episcoporum inaniter susceperit ab aliquo perversae mentis ministro exte-

rum formis . . intendit enim Ecclesia catholica, sic ut et Christus Sacramentorum auctor per huiusmodi verba baptizare, absolvere, et panem in Christi Corpus convertere: haec autem intentio inseparabilis est ab ipsis verbis, si integre, ut debet, proferantur . . . Altera vero intentio privata est, et particularis ipsius ministri, *qui, aut nihil credit eorum, quae facit, aut occulta, secretaque derisione facit, aut contrariam habet intentionem non conferendi Sacramenta, aut eorum effectus, etiamsi Sacramentum in forma Ecclesia consueta administret. Haec intentio* privata, *etsi necessaria sit, ne minister peccet, utque conformetur intentioni Ecclesiae, tamen tam fortis, et efficax non est, ut vitiare Sacramentum possit.*

(1) Pallavicin. *lib. 12. hist. Conc. Trid. cap. 10.*

(2) Genettus Vasionensis Episcopus *to. 3. Moralis Theologiae in appendice.* Adde Vincentium Contensonium, et Ioannem Viguerium.

(3) Serry *in Ambrosii Catharini vindiciis cap. 12.*, Iuveninus *dissert 1. de Sacram. in gen. q. 5. art. 3*, Doctor Sorbonicus *to. 1. de re Sacramentaria lib. 1. cap. 3. sect. 2.*

(4) Id quod superius explicatum est *num. 43.*

riorem gravitatem praeseferente, Paganoque existentiam Ecclesiae visibilis oppugnanti, qui exinde colligeret ceteras omnes Christianorum, quotquot nunc sunt, eruntve, initiationes Baptismo, et Ordine irritas profluxisse, quid porro reponemus? Ad miraculum divinae Providentiae, internam animi repugnantiam a ministris omnibus avertentis, confugere cum Bellarmino, nec tutum, nec congruum videtur. Quod enim Massiliensibus, et Cenomanensibus in Gallia aliquando contigisse ferunt (1): cur non magis potuit in aliis per orbem Ecclesiis tot haeresibus tandiu polluti accidere ex dissimulata ministrorum perfidia? Et *quomodo securi erunt*, inquam cum divo Augustino (2), salutis aeternae baptizati, *si conscientia dantis attenditur, quae latet oculos acceptori* (3)? *De conscientia Christi ergo securi sumus: nam si quemlibet hominem ponas, incerta erit accipientis mundatio, quia incerta conscientia abluentis.*

LV. Soto contrariae sententiae antesignano, eiusque asseclis Pallavicino (4), Bellarmino (5), ceteris haud spernendis Theologis sic inepta, et inefficax videtur, externa isthaec intentio ab interna discrepans, ut priorem Catharini sententiam novitatis nota infament, eamque dictitent sacrilegiis, et impietati admodum favere. Utuntur primum argumentis, quae paullo ante *num.* XLVIII; exposita iam sunt, suadentibus intentionis humanae necessitatem ratione naturali, Religionisque dignitate, opinantes alteram sine altera, nisi per iocum, et illusionem, esse non posse. Mox definitiones Tridentinas, auctoritatesque SS. Augustini, et Thomae suum in sensum vertere conantur.

LVI. In neutram nos partem moveri quum dedeceat: expensae utriusque rationes faciunt, ut publica, et exterior intentio eius, qui serio ritus administret solemnes, nullumque aversi animi indicium osten-

(1) Permagno timore vexatos olim Massilienses, et Cenomanenses fert Doctor Sorbonicus *cit. sect. 2. probat. 4.*, ex eo quod quidam Parochus Massiliensis, et Petrus Lavardinus Cenomanensium Episcopus ambo in extremo vitae articulo aperuissent sese, quotquot ille baptizasset, hic sacris ordinibus initiasset, alieno, aversoque semper animo ritus solum externos, qua tamen par erat gravitate, ac reverentia, peregisse. At Parisienses Theologiae Magistri valorem eiusmodi Sacramentorum non debere in dubitationem adduci, consulto responderunt.

(2) S. Augustin. *lib. 1. contra Petilian. cap. 3.*

(3) Idem *lib. 2. contra eundem cap. 3.*

(4) Card. Pallavicin. *lib. 9. hist. Conc. Trid. lib. 9. cap. 9.* haec habet, *Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam, quapropter fas illi fuit affirmare, eam Concilio non contradicere.*

(5) Card. Bellarmin. *lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 27.* scribit. *Ad hanc haereticorum*, puta Lutheranorum, *sententiam proxime accessisse videtur Ambrosius Catharinus, qui in opusculo* de intentione ministri Sacramentorum *distinguit duplicem intentionem ... Itaque si quis dum puerum baptizat, intendat fundere aquam super puerum, et dicere*: Ego te baptizo: *secundum Catharinum erit verum Sacramentum, etiamsi ille intendat aquam fundere, et illa verba dicere solum ad lavandum corpus pueri a sordibus, vel ad ludendum eo modo, quae opinio non video, quid differat a sententia Kemnitii, etc.*

dat, sit et mihi comprobanda in foro saltem exteriori: donec aliter magistra veritatis Ecclesia definiverit. Si enim Ecclesia interni fori iudicium Deo reliquit integrum: frustra certe laboramus iudicaturi, an consentiat cum externa, et publica ministri intentione internus animus Deo solum patens, hominum praeterea nemini. Sat quidem erit, Ecclesiae visibili cum Patribus Tridentinis iudicare irritum Sacramentum, ubi extrinsecus patescat perversa intentio ministri gravitate abiecta iocantis, sacrum deridentis opus, vel facere, quod facit Ecclesia, nolentis. Sic porro conscientia sacrilegi lusus tunc debet accipienti nocere, ut sua ei bona fides prodest beneficio divinae virtutis, quae Sacramentis rite administratis nunquam deficit.

LVII. Quoniam beneficia non conferuntur invitis (1): non dantes modo, sed accipientes etiam Sacramenta, quae sunt maxima Dei beneficia, bona voluntate affectos ad ea quidem oportet accedere, ii si adulti, mentisque compotes sint. Quippe qui etsi passive se habeant: *non est tamen passio illa coacta*, inquam cum divo Thoma (2), *sed voluntaria*; *et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod eis datur.* Enimvero *ille, qui nunquam consentit susceptioni baptismatis, sed penitus contradicit: nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti*, rescripsit Innocentius III (3). Sed qualis fuerit accipientis intentio, nequidquam inquiritur. Nam valide Sacramentum conferri et ei, qui simulato, fictoque animo accipiat, ex praeteritis maiorum statutis censet S. Augustinus (4), dummodo in se id agi serio patiatur, quod facit Ecclesia, quique errante fide (5), aut metu, vel graviori coa-

(1) *L. hoc iure 29. §. 2. D. de donationibus.*

(2) S. Thom. *par. 3. qu. 68. art. 7. ad 1.*

(3) Innoc. III. ad Michaelem Arelatensem Archiep. in *cap. maiores 3. de Baptismo.* S. Thomas *par. 3. qu. 68. art. 7. in* C. huius rei rationem aperiens, *sicuti ad hoc*, ait, *quod homo moriatur per Baptismum veteri vitae, requiritur secundum Augustinum in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitae poeniteat: ita requiritur voluntas, qua intendat vitae novitatem, cuius principium est ipsa susceptio Sacramenti: et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio suscipiendi Sacramentum.* S. Augustinus in *can. cum pro parvulis 77. de cons. dist. 4.*, professionem fidei, et intentionis in adulto baptizando necessariam putans ait: *si pro eo, qui respondere potest, alius respondeat, non iidem valet* Sacramentum.

(4) S. August. *lib. 7. contra Donatistas de unico Baptismo cap. 53.* in *can. solet etiam quaeri 31. de cons. dist. 4.*, quaerens, *utrum nihil intersit, quo animo accipiat ille, cui datur, cum simulatione, an sine simulatione?* multis expensis rationibus concludit: *praeteritis maiorum statutis non dubito, etiam illos habere Baptismum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiant, vel ubi putatur esse Ecclesia.* Idemque antea *lib. 1. contra Donat. cap. 12.* censuerat: *in illo, qui fictus accesserat, fit, ut non denuo baptizetur: sed ipse pia correptione, et veraci confessione purgetur, quod non posset sine Baptismo; ut quod ante datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit.* Rursus idipsum traditur aliis Augustini verbis in *can. quomodo 41.*, et *can. tunc valere 42. de cons. dist. 4.*

(5) S. August. in *can. satis ostendimus 48. de cons. dist. 4. Satis osten-*

ctus (1) in idipsum aegre consentiat : aut expers rationis ob furorem, ebrietatem, somnolentiam, daemonis vexationem (2), morbumve repentinum antea consenserit, et vix putetur remotam, praesumptamque intentionem, quam scholae *habitualem* nuncupant, habere (3). Quod si praecedens aegri, vel furiosi voluntas ita sit in obscuro, nullus ut eam testificari valeat: satius conferri tunc moribundo Sacramenta, quam denegari censuit S. Augustinus (4), quidquid alii contra senserint ex illo

dimus, inquit, *ad Baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam vel dantis, vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto aliter sentiat, quam coelestis doctrina insinuat.* Et *lib. 3. de Baptismo cap. 14.* scribit: *Non interest . . . quid credat, aut quali fide imbutus sit, ille, qui accipit Sacramentum. Interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quaestionem nihil interest.*

(1) S. Aug. *ep.* 50. ad Bonifacium, in *can. schismatici C. 23. qu. 6.*, evangelicis auctoritatibus probat malos ab Ecclesia ad bonum merito cogi: nam *ipse Dominus ad magnam*, ait, *coenam suam prius adduci iubet convivas, postea cogi . . . Exite* (inquit Dominus *Lucae cap. 14.*) *in vias, et sepes, et quoscumque inveneritis, cogite intrare.* Paganos, Samaritanosque terras fidelium incolentes severa sanctione Iustinianus Imp. iussit, ut Baptismum ipsi cum suis coniugibus, et liberis, et familia susciperent, *l. 10. C. de paganis*, et *Nov. 144. cap. 2.* Hinc Synodus Toletana IV. an. 633., non rebaptizandos fore censuit Iudaeos a Sisebuto Hispaniarum rege religiosissimo flagellis, exilio, publicatione bonorum in eos sancitis coactos Baptismum suscipere, sed, ut fidem vi, vel necessitate semel susceptam tenerent, itidem cogendos: quamvis nemini deinceps invito ad se inferendam vim fore sanxisset, *can.* de *Iudaeis 5. dist. 45.*, et *cap. maiores 3. §. verum de Baptismo.* Hoc in textu Innocentius III. distinguens invitum, et constanti animo contradicentem, et nunquam penitus consentientem ab invito per metum, et vim consentiente, definit huic, non illi Sacramenti characterem conferri : *quia plus est*, ait, *expresse contradicere, quam minime consentire.*

(2) Energumenos, catechumenos in primitiva Ecclesia consuevisse baptizari, urgente necessitate, tradunt S. Cyprianus *ep. 67.*, alias *69. ad Magnum*, auctor Const. Apostol. *lib. 8. cap. 32.*, Synodus Eliberitana *can. 37.*

(3) S. Isidorus *lib. 1. de officiis cap. 24.*, in *can. parvuli 72. de cons. dist. 4*, docet aegros, mutos, et surdos, perinde ac parvulos, aliis eorum vice fidem, intentionemque profitentibus, probe baptizari. Simul Synodus Carthaginensis III. in *can. aegrotantes 75. eadem dist.* decrevit, ut *aegrotantes, si pro se respondere non possunt, cum voluntas eorum testimonium sui dixerit baptizentur.* Qua ratione utitur et S.Augustinus in *seq. can. cum pro parvulis 77. ibidem*, et Synodus Arausicana in *can. qui recedunt 7. C. 26. qu. 6.* Consentiunt ea in re S. Leo M. *ep. 91. ad Theodorum Episcopum*, et S. Thomas. *opusc. 65 §. de Extrema Unctione.* Tum Innocentius III. in *cit. cap. maiores §. verum de Baptismo*, adultos eiusmodi remotam, praesumptamque voluntatem habentes ab aliis antea invitis, et reluctantibus segregans, inquit: *Dormientes autem, et amentes, si prius, quam in amentiam inciderent, aut dormirent, in contradictione perstiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem nec suscipiunt Sacramenti: secus autem si prius catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi: unde tales in necessitatis articulo consuevit Ecclesia baptizare. Tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem non invenit obsistentem.*

(4) S. Aug. *lib. 1. de adulterinis coniugiis cap. 26. Etiamsi voluntas eius*

Domini praecepto (1) : *nolite sanctum dare canibus , neque mittatis margaritas ante porcos.*

LVIII. Parvuli autem, sicuti materno ab utero ingenitae noxae obligantur non sua , sed Adae voluntate , ita Baptismi characterem , et gratiam sanctificantem accipiunt pia parentum , et sanctae matris Ecclesiae intentione (2). Aliter dicentes, diris devovit Synodus Tridentina (3). Simul Chrismate uuctos , Eucharistiaque refectos , continuo post Baptismum infantes per plura olim saecula fuisse iam constat (4). Consuevit prisca etiam Ecclesia parvulos infidelium , insciis eorundem parentibus, Baptismo regenerare ad vitam aeternam (5) : exemplo Abrahae, qui sua emptos pecunia servos alienigenas Circumcisionis gratia donaverat ex Lege Domini (6). Insciis inquam , at non invitis eorumdem parentibus , ambo si Iudaei, vel pagani fuerint (7). Ortos enim patre

incerta est; multo satius volenti dare, quam nolenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum , si posset , velle se potius fuisse dicturum , ea Sacramenta percipere , sine quibus iam credidit non se oportere de corpore exire.

(1) Matthaei *cap. 7. vers. 6.*

(2) S. August. in *can. illud 7. de consecr. dist. 4;* tradit *prodesse parvulo fidem eorum, a quibus Baptismo consecrandus offertur:* subditque in *seq. can. 8. Parvuli etiam baptizati inter credentes reputantur per Sacramenti virtutem, et offerentium responsionem.* Addit S. Isidorus in *can. parvuli 74. de cons. dist. 4.* parvulos alio profitente ideo baptizari , *quia adhuc loqui, vel credere nesciunt.* S. Thomas *par. 3. qu. 68. art. 9. ad 1.* docet , quod *regeneratio spiritualis , quae fit per Baptismum , est quodammodo similis nativitati carnali, quantum ad hoc, quod sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur: ita etiam pueri nondum habentes usum rationis , quasi in utero matris Ecclesiae constituti non per seipsos, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt . . . Et eadem ratione dici possunt intendentes , non per actum propriae intentionis , cum ipsi quandoque contra nitantur, et plorent, sed per actum eorum, a quibus offerantur.* His accedit Innoc. III. in *cap. maiores 3. de Baptismo.*

(3) Trid. *sess. 5. in decr. de peccato originali , et sess. 7. de Baptismo can. 22, et 14.*

(4) Gennadius saec. V. scriptor *de dogmat. Eccles. cap. 52.* haec habet. *Si parvuli sunt , vel hebetes , qui doctrinam non capiunt: respondeant pro illis, qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi : et sic manus impositione , et chrismate communiti , Eucharistiae mysteriis admittantur.* Idipsum patet ex Innocentii I. *ep. 1. cap. 3. Sacramenti cap. 9* , Martino Bracarensi *collect. can. cap. 52.*, Alcuino *de officiis Ecclesiae Caroli Magni cap.de Sabbatho Paschae*, Pontificalibus Romanis saeculi IV. a Balutio laudatis in *not. ad Rheginonem lib. 1. cap. 69.*, ceteris.

(5) S. August. *de gratia , et libero arbitrio cap. 22.* , *aliquando filiis infidelium* , scribit , *praestatur haec gratia , ut baptizentur , quum occulta Dei providentia in manus piorum quomodocunque perveniunt.* Puta servulos captivos, expositos, parentibus orbatos, vel derelictos, ut alibi tradit S. Aug. *ep. 23. ad Bonifacium* , et S. Ambros. *de vocat. gentium lib. 2. cap. 8.*

(6) Genes. *cap. 17. vers. 12. Circumcidetur vobis natus dies octo omnis mas per aetates vestras , natus domi , et emptus pecunia tua.*

(7) Iustinianus in *l. qui post. 10. C. de paganis , et Nov. 144. cap. 2.*, sanxit, ut Pagani, Samaritanique intra imperii fines commorantes parvulos suos

solum, vel matre fideli secuturos fidem, conditionemque alterutrius parentis fore decrevit Synodus Toletana IV (1). Sacrum Ordinis quoque characterem infantibus, quamvis illicite, imprimi tenent Doctores cum divo Thoma (2).

LIX. Si tria solum, quae diximus, materia, forma, et intentio quum ministri, tum suscipientis, adeo perficiunt Sacramenti substantiam, ut nequeat quodlibet eorum, quibus character imprimitur, iterari: tamen, ut proba, et licita ultro, citroque sint Sacramenta, ritus etiam solemnes debent adamussim servari, qui mox paullo exactiorem postulant disputationem.

TIT. III.

De ritibus sacris et superstitionibus gentium.

I. Sacras in divinis rebus caeremonias commendant mores Patriarcharum, et Lex Mosayca simul, et Evangelica.

II. Ante diluvium in pia Sethi progenie religiosus Dei cultus viguit, ceteros filios hominum invasit scelerum colluvies sine idolatria, et superstitione.

III. Post diluvium religionem servarunt Sem primogenitus Noè, pronepos Haber, Abraham, posterique Hebraei: ceteris ad superstitiosum deorum cultum collapsis.

IV. Ægyptii primum, ceteri mox per orbem dispersi sydera, coelum, solem, ceteras creatas res venerati, ab antiqua veri Dei religione defecerunt.

V. Dein superstitiosae caeremoniae ab idolatris invectae sensim.

VI. Filios Israel ex aegyptiaco idolatriae domicilio ad cultum religiosum Deus eduxit, praeceptis mosaycis imperatum.

VII. Mosaycarum caeremoniarum triplex genus.

VIII. Eas a gentium superstitionibus diversas omnino maluit Deus ipse O. M.

IX. Ipsasque ab illis discrepare agnoverunt et Patres Ecclesiae, et philosophi gentium.

X. Refellitur Spencerus opinans ritus mosaycos non paucos a superstitionibus gentium translatos.

XI. Eius argumenta diluuntur ex S. Scripturae locis, Patrumque sententiis eruta.

XII. Mox alia ex adiunctis earundem petita.

sacro Baptismo offerent. Nulla tamen, quam sciverim, lege, ut Ecclesiae constitutione permissum Episcopis parvulos infidelium patrinos invitis parentibus baptizare.

(1) Synod. Toletan. IV. *can. 63.*

(2) S. Tom. in *4. sent. dist. 25. qu. 2. art. 1. quaestiuncula 2.*

XIII. Tum ab exemplis alia.

XIV. Ritus mosaycos ad idolatriae discrimen, atque ad figuranda futura Christi Domini mysteria institutos docet Apostolus.

XV. Ut Deus aeternus deos, ita Religio vera superstitionem praecessit.

XVI. Ægypti, et Chananaei religiosas filiorum Abrahae coeremonias aemulati inde videntur.

XVII. Id probatur sacro Machabaeorum libro, et multis exemplis collationum.

XVIII. Ex bibliis Hebreorum multas leges, mores, ac ritus accepisse Graeci, et Romani feruntur.

XIX. Idolatriae, ac superstitiosi cultus magistrum diabolum Patres detestando indicant, haeretici sectantur sacras Ecclesiae coeremonias contemnendo.

XX. Eas apostolica traditio in sacris nostris invexit.

XXI. Potestatem sacros disponendi ritus Apostoli, et Ecclesia ab initio exercuerunt.

XXII. Universales Ecclesiae ritus nefas est cuilibet contemnere.

XXIII. Particulares unaquaeque suos Ecclesia servat.

XXIV. Romanis Ecclesiae ritibus utuntur Occidentales, Graecis Graeci, suis ceterae nationes.

XXV. Graecos ritus a Romanis diversos, Graeci dominationem in huius regni provinciis olim adepti huc invexeruni, Normanni, et Galli Principes abigere hinc studuere.

XXVI. Italograecis tamen graecos retinere ritus indulsit Sedes Apostolica.

XXVII. Benedictus XIV. dogmata, mores, ritusque innoxios, et privilegia Italograecorum explicuit, probavit, certisque finibus limitavit.

XXVIII. Ut latinis ad graecos ritus, ita graecis vicissim ad latinos transire sine apostolica dispensatione non licet.

XXIX. Monachis S. Basilii observantiam ritus Graecorum imperavit Benedictus XIV. ea lege, ut unam, duasve Missas latino ritu simul celebrent.

XXX. Et Messanensi Ecclesiae catholicae S. M. de Graefeo vetustum Graecolatini ritus usum confirmavit.

XXXI. Mozarabicum ritum Hispani iandudum tenuere, S. Gregorius VII. abrogavit, Cardinalis Ximenius in sacello Toletanae solum Ecclesiae restituit.

XXXII. Varietatem in sacris ritibus, qui orthodoxae fidei non adversantur, ex traditione apostolica nunquam improbavit Romana Ecclesia.

XXXIII. At superstitionem redolentes, vel fidei, aut honestati adversos ubilibet damnare suevit.

XXXIV. Suos etiam antiquos ritus, quia mutabiles, ea nonnunquam variavit, subditis vero nefas est a vulgatis Ritualibus Romanis deflectere.

XXXV. Singulorum Sacramentorum peculiares ritus ex canonibus Tridentibus, et Cathechismo Romano sunt inquirendi.

I. Splendidum coeremoniarum apparatum in Sacramentis, humanisque officiis erga Deum, quam postulant ostentanda dignitas rerum divinarum, et explicatior mysteriorum detectio (1), humanarumque mentium, quae socordia, et evagatione torpent, excitatio (2), tam maxime commendat antiquitas. Primordia earum augustiora plane faciunt sacrae utriusque Testamenti litterae, quippe quae Patriarchas ante diluvium, Legemque scriptam, Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Iacob (3), auctores indicant; mox eas ab ipso Deo esse per Moysen indictas multo magnificentissimas. Et Christus Dominus, nedum coeci nati oculos luto ex sputo liniit, ac leprosos tactu, verboque suo iam mundatos ad sacerdotem remisit, oblaturos munus a Moyse iussum : sed Coenam quoque eucharisticam non sine pompa, gratiarumque actione, ac lotis discipulorum pedibus celebravit, simul insufflatione discipulis dedit cum Spiritu Sancto potestatem remittendi, retinendique peccata. Dein Apostoli manuum impositionem, preces, cetera, quae prisca, et universalis Ecclesiarum consuetudo retinet, disposuere (4). Adhaec ritus alii ab Ecclesia superadditi recentiores.

II. Foedissimus Dei simius diabolus solatium perditionis suae perdendis hominibus quaeritans, prima inanium deorum semina iecit in paradiso terrae, quae idolatriam postea, superstitionemque pullularunt, sed opinione tardiorem. Ab ipso quidem doemone mendacissimo primi hominum parentes cum audissent, *eritis sicut dii*, mox a Deo per ironiam, *ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est*, inde profugi conspexissent.

(1) *Ut ex invisibilibus visibilia fierent*, scribit Apostolus ad hebraeos *cap. 11. vers. 4.*

(2) Trid. *sess. 22. cap. 5. de sacrif. Missae*, et Catechism. Roman. *tit. de Sacram. in genere §. 18.* S. Thomas. *1. 2. qu. 102. art. 4. Totus*, ait, *exterior Dei cultus ad hoc praecipue ordinatur, ut homines Deum in reverentia habeant.*

(3) Id quod patet ex locis superius citatis *tit. II. ad num. 6.* S. Io. Chrysostomus *hom. 6. in Matth. Neque Cain*, inquit, *doctorem habuit aliquem, neque Abel suggestorem, et consiliarium : sed uterque conscientiae suae magisterio, et sapientia divinitus humano generi suppeditata, ad hanc oblationem incitatur.* Idemque *hom. 26. in Genesim* scribit: *Ædificavit Noe altare, et accepit de omnibus pecoribus mundis. Considera iterum diligenter ex praesentibus verbis, quomodo in natura nostra conditor omnium insevit certam virtutis scientiam.*

(4) Ea praesertim, quae a divo Basilio M. recensentur, iam relata superiori *lib. 1. tit. III. de traditionibus num. 2.*

Cherubim flammeo gladio custodire ligni vitae viam : in eum prolapsi sunt errorem, ut deos esse opinarentur. Tum *sese ob eam tantum causam paradiso eiectos rati*, *quod Deo non paruissent*, *non ob illam etiam*, *quod deos esse*, *qui nulli prorsus sunt*, *credidissent*: *nomen deorum genitis ex se postea hominibus tradiderunt*, docet S. Iustinus (1). At vero *filios hominum* ante diluvium nec idolatras, nec superstitiosos deorum cultores, sed solum iniquitatibus, malitia scelerum colluvie corruptissimos habet Genesis: quum e contrario Seth Adae filium coepisse invocare nomen Domini, piamque ipsius progeniem, quod paternam servaret religionem, *filios Dei* appellatam simul memoret.

III. Post diluvium in orientalibus Asiae plagis vix resedit religio apud Sem natu maximum. Noe filium illiusque pronepotem Heber Hebraeorum parentem, a quo Abraham sexto gradu ortus in terra Chaldaeorum. Alii duo Noe filii, eorumque tot, tantaeque familiae, quo longius a sancta stirpe ad reliquas terrarum regiones, insulasque remotiores processere : eo maiorem Dei oblivionem, ignorantiamque officiorum religionis effuderunt ; Cham in Syros, Babylonios, Sabaeos, Assyrios, Sidonios, Chananaeos in Arabia, Ægyptios, et cunctas Africae nationes : Iaphet quum in Europaeos, tum occidentalis Asiae, insularumque populos (2). Sic lapsa divini cultus disciplina, universae gentes ad omne malum pronae, ignoratis Naturae ostentis perterritae: praestigiis, illusionibus, somniis, mentis furoribus seductae, usque adeo succubuere fraudibus doemonum, subdolis artibus flaminum auri famelicorum, primoribusque potentiam auguriis, et religionis nexu firmaturis : ut astra, et creata mundi elementa primum divinis honoribus colerent mox perditos inferorum spiritus, genios, seu daemones, alios ut prodessent, alios ne nocerent heroes deinde, hominisque, aut doctrina aut potentia, aut facinoribus clariores, eorumque manes, et factitia simulacra, veluti deos haberent, ac venerarentur. Itaque ipse in primis diabolus magister ad superstitiosas coeremonias non arcanas modo, et inanes, et morosas: sed obscoenas etiam, flagitiosas, truculentas, impias adduxit dispersos post cataclismum populos.

IV. *Sed omnium primi* (Lactantius (3) monet), *qui Ægyptum*

(1) S. Iustinus martyr *ad Graecos cohortat. num. 21.*, et Theophylus Antioch. Episcop. *lib. 2. ad Autolycum num. 28.*

(2) Genesis *cap. 10.*

(3) Lactant. *lib. 2. de orig. error. num. 13.* Idipsum praedocuit Apostolus ad Galatas *cap. 4. vers. 3. et 8. ad 10.* scribens: *Nos cum essemus parvuli*, *sub elementis mundi eramus servientes . . . Sed tunc quidem ignorantes Deum*, *iis*, *qui natura non sunt dii*, *serviebatis. Nunc autem cum cognoveritis Deum*, *immo cogniti sitis a Deo : quomodo convertimini iterum ad infirma*, *et egena elementa*, *quibus denuo servire vultis ? Dies observatis*, *et menses*, *et tempora*, *et annos ?* S. Augustinus hunc epistolae apostolicae locum exponens putat Apostolum de idolatris, qui creatas res colebant, locutum. Ab eoque non dissentit B. Hieronymus, dum scribit: *Elementa mundi coelum*, *et terram*, *et ea*, *quae intra haec sunt*, *plerique appellata putant: quod videlicet solem*, *lunam*, *maria*, *sylvarum*, *et montium deos*, *et sapientes Graeciae*, *et barbarae nationes*, *Romanique omnium superstitionum semina venerem-

occupaverunt coelestia suspicere, atque adorare coeperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem, nec ullis in ea regione nubibus subtexitur coelum: cursus siderum, et defectus notaverunt, dum eam saepe, venerantes curiosius, atque liberius intuerentur. Postea portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt, quibusdam prodigiis inducti. Ceteri autem, qui per terram dispersi fuerunt, admirantes elementa mundi, coelum, solem, terram, mare, sine ullis imaginibus, ac templis venerabantur, et his sacrificia in aperto celebrabant, donec processu temporum potentissimis regibus templa, et simulacra fecerunt: eaque victimis, et odoribus colere instituerunt. Sic aberrantes a notitia Dei gentes esse coeperunt. Errant igitur, qui deorum cultus ab exordio rerum fuisse contendunt, et priorem esse gentilitatem, quam Dei religionem, quam putant posterius inventam, quia fontem, atque originem veritatis ignorant.

V. Suo quisque ingenio, cupiditatibus, moribusque diversis indulgentes populi, tot pro arbitrio, tantasque varietates in deorum cultu invexere: *pomparum agmina, mysteriorum silentia, sacerdotum officia, deorum effigies, templorum religiones, hostiarum colores, omnia pro cuiusque more loci solemnia, et rata*, scribit Apuleius (1). Additque *Ægyptia numina ferme plangoribus, Graeca plerumque choreis, Barbara vero strepitu cymbalistarum, tympanistrarum, et choraularum gaudere.* Quum vero essent homines, neglecta iustitia, omnibus flagitiis, ac sceleribus inquinati, religiosos tamen se putabant, uti observat Lactantius (2), si templa, ac aras hostiarum sanguine cruentassent: si focos odorati, ac veteris vini profusione madefecissent: si sacras dapes, et exquisitas epulas, quasi aliquid inde libaturis diis offerrent. Quidquid aspectu rarum, quidquid opere, aut odore pretiosum esset: id gratum esse diis suis non ex aliqua divinitatis ratione, quam nesciebant, sed ex suis cupiditatibus iudicabant.

VI. Misertus filiorum Israel Deus ex Ægypto, primario deorum domicilio, eos eduxit personantibus prodigiis, ut ab idolatris procul ad paternam religionem revocati, Deum ipsum unum colerent, quemadmodum patres eorum probe iam coluerant innocentia vitae, totamque divinam Naturae legem implerent duplici dilectione. Idcirco illis inde egressis solam Decalogi legem edixit, nil penitus per annos quadraginta locutus *de verbo holocautomatum, et victimarum* (3). At postea in

tur; a quibus, cum Christus venerit, liberamur, intelligentes ea creaturas esse, non numina. Alii elementa mundi legem interpretantur Moysis, et eloquia Prophetarum. Hoc posteriori sensu accepimus ea ipsa Apostoli verba superiori *tit. II. num. XX. pag. 20.*

(1) Apuleius *lib. de Deo Socratis pag. 49.*

(2) Lactantius *lib. 6. de vero cultu num. 1.*

(3) Inquit per Ieremiam *cap. 7. vers. 22.*, et Ezechiel *cap. 24, et 25.* Mox per Isaiam *cap. 1. num. 11., et 12. Holocausta arietum, et adipum pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum nolui . . . Quis quaesivit haec de manibus vestris?* Rursum per Amos *cap. 5. vers. 25. Nun-*

idolatriam aurei vituli relapsos, ad id e contrario cogendos cervice duros censuit aeterna Ratio, et Sapientia, ut vitulos in primis, eaque animantia, quae ut dii Ægyptiis erant, Creatori omnium ipsi mactarent, manusque suas, effuso velut idolorum sanguine sic expiarent (1). Simul eos permultis caeremoniarum praeceptis per Moysen latis (2) obstrinxit, ut in tabernaculo, ac templo Arcam foederis intuentes, observatione festorum, hostiarum oblationibus, sacrificiis, expiationibus, tot aliis externis ritibus occupati eorum animi, Deum invisibilem, qui ab aeterno est, non deos gentium, qui nulli sunt, toto corde venerarentur.

VII. Triplex eiusmodi caeremoniarum et genus, et ratio heic nobis est observanda. Aliae porro priscos Patriarcharum mores instaurasse videntur in primitiarum, decimarumque oblationibus, in Sacerdotio Melchisedech, in divini nominis invocatione, in titulis, et altaribus quum erigendis, tum dedicandis, et libaminibus (3). Aliae maximis differentiae characteribus, et instar repaguli, vel parietis intermedii (4) electam Israelis progeniem ab reliquis gentibus seiungebant. Aliae praefigurabant Christi Domini futura mysteria (5).

VIII. Maximum Deus ipse discrimen inter mosaycas caeremonias, et superstitiones gentium plane ostendit. *Cave, ne imiteris eas*, inquit populo suo, *postquam te fuerint introeunte subversae, nec requiras caeremonias earum, dicens:* sicut coluerunt gentes illae deos suos, ita et ego colam. *Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios, et filias, et comburentes igni. Quod praecipio tibi, hoc tantum facias Domino: nec addas quidquam, nec minuas* (6). Tum Christus Dominus duodecim mit-

quid hostiam, et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annos domus Israel? Haec eadem verba in hebraeorum concilio recitavit S. Stephanus Actor. *7. vers. 42.*

(1) Theodoretus *serm. 7. de sacrificiis* id monet. *Deorum siquidem*, ait, *in numero bovem olim habebant Ægytii, et ovem, et capram, et columbam, et turturem, et alia quaedam ex iis, quae non esculenta erant, sed immundae vocabantur. Ne itaque indignarentur, tanquam a moribus illis penitus exclusi, falsis quidem diis sacrificare vetuit: sibi autem ea immolare iussit, quae ab eis dudum adorabantur.*

(2) Ea cur *non bona* appellantur, dictum iam est supra *tit. II. num. IX.*

(3) De quibus ibidem *num. 6.*

(4) Apostolus ad Ephesios *cap. 2. vers. 14., et 15. Ipse enim* Christus (inquit) *est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens . . . ut duos condat in semetipso in unum novum hominem faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore.*

(5) *Nemo vos iudicet*, Paullus ad Colossens. *cap. 2. vers. 16. et 17.* ait, *in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut Sabbathorum, quae sunt umbra futurorum.* Tum ad hebraeos *cap. 8. vers. 5. Cum essent, qui offerrent secundum legem munera, qui exemplari, et umbra deserviunt coelestium.* Mox sequenti *cap. 9.* explicans tabernaculi velamentum, et officia quum Sacerdotum, tum Pontificis, *quae parabola est*, inquit, *temporis instantis.* Et *cap. 10.* subdit: *umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum.*

(6) Deuteronomii *cap. 12. vers. 30., et seqq.*, et antea *cap. 5. vers. 32.* haec habentur: *Non declinabit neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Pari-

tens Apostolos Evangelium promulgaturos, *in viam gentium*, iussit, *ne abieritis* (1).

IX. Non priscis modo Patribus Ecclesiae (2), sed paganis etiam, cum primis M. Tullio (3), et Cornelio Tacito, aestimatori rerum acerrimo, innotuit ritus Iudaicos a cunctis aliis penitus discrepare. *Moses, quo sibi in posterum* (ait) *gentem firmaret: novos ritus, contrariosque ceteris mortalibus indidit. Profana illis omnia, quae apud nos sacra. Rursum concessa apud alios, quae nobis incesta* (4). *Nefas igitur est sentire ritus legales fuisse, quasi ludrica ad gentium imitationem composita*, concludam sanissimis insanissimi Calvini verbis (5).

X. Quid igitur est, cur Spencerus, egregius legum ritualium interpres, teneat, quod *Deus, ut superstitioni quovis pacto iretur obviam, ritus non paucos, multorum annorum, et gentium usu cohonestatos, quos ineptias norat esse tolerabiles, aut ad mysterium aliquod adumbrandum aptos, in sacrorum suorum numerum adoptavit* (6)? Talia dicentem, totisque lacertis firmare conantem, quae plus desipientium mortalium ineptiis, quam Sapientiae divinae largiuntur, ecquis sui compos aequo feret animo?

XI. Primum in eo is frustra laborat, ut illa suum in sensum flectat Moysis verba (7): *quae gens maxima est, cui dii propinqui sunt ei, sicut Iehova Deus noster in omnibus, pro quibus invocamus eum? Aut habeat caeremonias, et iudicia ipsa, sicut est tota haec lex, quam ego propono vobis hodie?* Enim vero nemo non videt his quoque verbis differentiam rituum

ter Levitici *cap. 18. vers. 2., et seqq. Iuxta consuetudinem terrae Ægypti, in qua habitastis, non facietis, et iuxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis iudicia mea, et praecepta mea servabitis. Ex eo textu*, inquam cum Estio, *manifestum est caeremonias Iudaicas non esse petitas ex gentilitate, sed ab ipso Deo institutas.*

(1) Matthaei *cap. 10. vers. 4.*

(2) Origenes *lib. 4. contra Celsum pag. 190.* scribit Iudaeos ab reliquis gentibus *reiectos, et contemptui habitos ob legum, morumque insolentiam.* Theodoretus *cit. serm. 7. de sacrificiis*, quum perinde deos, ac coquos nidore victimarum oblectantes irrisisset, inquit. *Haec autem, et ipsi fortasse in verum, ac sempiternum Deum retorquere audebunt. Quippe qui de sacrificiis in divina Scriptura latas leges audiunt, Legislatoris autem consilium prorsus ignorant. Israelem enim longinquum tempus in Ægypto versatum, pravisque indigenarum moribus imbutum, et idolis, ac daemonibus immolare ab illis edoctum, et ludis; choreisque, ac musicis organis oblectari: in harum rerum habitu constitutum liberare volens, sacrificare quidem permisit, non tamen omnia sacrificare; neque falsis Ægyptiorum diis, sed sibi soli Deo offerre. Deorum siquidem in numero bovem, etc.*

(3) Cicero *orat. pro Flacco*, de Iudaeis verba faciens ait: *Istorum religio sacrorum a splendore huius imperii, gravitate nominis nostri, et maiorum institutis abhorrebat.*

(4) Tacitus *historiar. lib. 5.*

(5) Calvinus *comment. in Exod. 25. 8.*

(6) Io. Spencerus in *praefat. lib. 3. de ritibus e gentium moribus in legem translatis.* Hanc istius, aliorumque opinionem Celsus, et plerique Christiani nominis hostes antiquiores commenti olim fuerant.

(7) Deuteronomii *cap. 4. vers. 7, et 8.*

Moysis magis, magisque manifestari: non similitudinem eorum cum paga
nis adstrui. Tum alia Scripturae loca, atque humana testimonia Origenis
B. Hieronymi, Eusebii, B. Chrysostomi, Theodoreti, aliorum, quae iacta
pro se, ei minus favent. Non aliud quippe probant, nisi coeremonias quas
dam, *solas* scilicet *utiles*, inquit Origenes, vel *in melius inflexas*, ait Chry
sostomus, *ut aegrorum affectibus mederetur*, *atque idolorum errorem*
paulatim aboleret, addit Theodoretus, a Deo Hebraeis vel permissas, ve
concessas eorum arbitrio, vel iussas, quibus etiam gentes impio animo abu
tebantur Has ipsas, equidem aio, sancta Patriarcharum progenies iam
ante usurpaverat corde puro in externis divini cultus officiis, paullo ant
memoratis *num. VII*: quamvis nullum ad ea exequenda praeceptum habuis
set, sed solummodo rationis naturalis impulsum, paternamque imitationem
Custodientes porro illa duplicis charitatis praecepta, quibus tota lex naturali
et divina continetur, unumque Deum ex necessitate colentes innocentia vi
tae, cordisque munditie, ac fide, pro suo ipsi arbitrio, et voluntate glorian
ei extrinsecus dederant terrenis oblationibus, et indiciis corporeis eo cert
animo, quem Propheta rex aperuit, inquiens (1): *tua Domine sunt omnia*
et quae de manu tua accipimus, dedimus tibi. Creator autem coeli, et ter
rae, etsi nullius unquam rei indigeret, ad ea servorum suorum qualiacun
que munera respexerat clementissime: et quem totus non capit orbis, san
cta loca erectis titulis sibi sacra speciatim habere, priusquam templa dii
extruerentur, dignatus iam ipse fuerat.

XII. Nullam quoque fidem Spencero argumenta conciliant, quae alter
dissertationis capite ducit ex adiunctis. Nec bonas quippe, inutilesque a
salutem fuisse Moysis coeremonias concedimus ultro, nec iussas a De
per annos bis mille, easque permultas, pomposas, minutiis refertas, et ri
ditati gentium accommodatas. Ægyptiacis etiam affines, ut vult, putemu
nunc, quas iam ostendimus diversissimas. Indultas praeterea a Deo, ve
aversante, vel ferme coacto ad corda durissima leniter emollienda. Eoqu
ipso reformandi consilio dein toleratos ab Ecclesia mores et Iudaeorum, e
gentium. Ponatur tandem in divina lege illud politicorum *arcanum nov*
status, *imago antiqui*, quasi Moyses dolo, et astutia Hebraeos ab idolis a
Deum pertraxerit, in eosque non exeruerit aperte potentiam Dominus
deorum irridens inanitatem. Quid inde? An ne argues ex istis eas coeremo
nias ex officina doemonis idolatriae magistri Deum maximum accepisse
Vah, apage. Quoniam praemissae a Spencero qualitates rituum lege pro
batorum congruunt etiam religionis Patriarcharum actionibus externis: i
eum sic ipsius argumenta immo retorqueas. Deus O. M. inanes in se, ats
bimetipsi acceptas oblationes munerum, sacrificia, libamina, sanctorumqu
locorum dedicationes non iusserat Abeli, Abrahamo, Melchisedecho, cete
ris ante diluvium viris sanctissimis: sed eas ab Ægyptiis, aliisque gentibu
ad deos translatas sibi lege vindicavit, iussitque ferme invitus, quum ferr
non posset creaturis dari suam Creatoris gloriam. Igitur sacras eiusmod
coeremonias non Deus in legem suam ex superstitiosis idolatrarum moribu
adscivit: sed idolatrae a religioso Patriarcharum cultu mutuati eas erar

(1) I. Paralipomenon *cap.* 29.

stultissime. *Quamobrem* docet S. Augustinus (1), *si templo, sacerdote, sacrificio, quod vero Deo debetur, colatur aliquod elementum mundi, vel creatus aliquis spiritus, etiamsi non immundus, et malus: non ideo malum est, quia illa mala sunt, quibus colitur; sed quia illa sunt talia, quibus solus ille colendus sit, cui talis cultus, servitusque debetur . . . Qui vero turpibus, et scelestis, non Deum verum, sed creaturam colit, bis peccat in Deum.*

XIII. Exempla octo, quae totidem capitibus profert Spencerus, nempe tabernaculum, altaris cornua, vestis sacerdotalis, consecratio capillorum, epulum sacrificii, festorum celebratio, primitiae, decimaeque; si attente perpendantur, magis prosternunt, quam firmant opinionem eius infirmissimam. In primis quippe tabernaculum, et Arcam foederis erexit Moyses iuxta exemplar in monte Sinai a Domino ostensum (2): non ad formam abominandi tabernaculi Moloch, et Rempham (3), in quo per iguem doemoni saevissimo immolabantur filii. II. Ara mosayca quatuor angulos instar cornuum protensos habens (4), non aeque cornutas idolorum aras tunc referebat: sed deos ipsos quum tauros, boves, arietes inter coelestia signa elatos ab Ægyptiis summo Deo mactandos (5); tum cornifrontes (6) Iovem Ægyptium, Serapidem, Isidem, Graecum Ammonem, Bacchum, ceterosque nefarios. Nec deorum aras ante legem Moysis ornatas cornibus potest demonstrare testimoniis Ovidii, Martialis, et Callimachi a Spencero laudatis, quos omnes Moyses pracivit longissime. III. Byssinam, lineamque vestem sacerdotalem rectius quidem Cluerius (7) repetit ex traditione sanctae stirpis ante diluvium. IV. Crines plexos sacrare diis, nymphis, fluviis quidem consueverunt nedum pueri gentium pubescentes, sed etiam ad bellum, aut

(1) S. August. *de Civ. Dei lib. 7. cap. 27.*

(2) Exodi *cap. 25. vers. 40., et cap. 26. vers. 30.* Actor. *cap. 7. vers. 44.*, ad Hebraeos *cap. 8. vers. 9.*

(3) Amos *cap. 5. vers. 26. Et portastis tabernaculum Moloch vestro, et imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quae fecistis vobis.* Actorum, *cap. 7. vers. 43.* S. Stephanus idipsum Prophetae dictum referens: *et suscepistis*, ait, *tabernaculum Moloch, et sidus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, adorare eas.* Unum idemque idolum, cui vel cremebantur per iguem filii, nunc Baal, nunc Moloch promiscue appellat Ieremias *cap. 19. v. 5., et cap. 32. v. 35.* Et utrumque nomen diis omnibus commune fuisse monet Spencerus *lib. 2. cap. 10. sect. 1.*, praesertim Saturno, Marti, Mercurio, Lucifero, seu Veneri, et Soli saepius: simulacro nempe, quod lapidem in fronte pellucidum, orbiculatum, micantemque instar sideris haberet.

(4) Exodi *cap. 27. vers. 2.*

(5) Cum Pharao dixisset Moysi, et Aaron: *ite, et sacrificate Deo vestro in terra hac:* Moyses respondit: *Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quod si mactaverimus ea, quae colunt Ægyptii, coram eis: lapidibus nos obruent*, Exodi *cap. 8. vers. 26.*

(6) Quo spectat illud Ovidii carmen. *Qui cornigero de Iove natus erat.*

(7) Cluerius *lib. 1. antiqu. German. p. 243.* post recitatum illud Platonis; *color albus praecipue decorus Deo est*, continuo addit: *Haec opinio non a Platone primum, aut ullo alio mortalium fuit somniata, sed ab ipso aeterno Deo, primo mortalium Adamo cum reliquis sacrorum ritibus tradita, posteaque per Moysen populo suo Iudaeorum genti declarata*, Levit. 6. *v. 10.*

longinqua profecturi, et naufragio, vel morbo, aliave aerumna vexati (1). At aemulati mosaycos ii Nazaraeos videntur OEcumenio, quibusque mens sana est: quum incertae, ne dicam inanes coniecturae Spenceri, et recentiora Pentateucho testimonia ostendere non valeant morem eiusmodi ante Moysen alicubi viguisse. Adde maximam huc dissonantiam. Nazaraei enim Deo sese, vitamque sanctiorem, et impollutam ex voto abstemii consecrabant: dein oblatis agno, ove, ariete cum azymis, rasam ante ostium tabernaculi caesariem in ignem sacrificii comburendam deponebant (2): quum idolatrae illam deponerent vel in arbore capillari, vel in templis (3) servandam. V. Cur primam epularis sacrificii auctoritatem ab idolatria repetat Spencerus, communiori posthabita sententia, quae illud idolatris fuisse vetustius tradit (4), non miror. VI. Is porro festivam quoque laboris intermissionem denegat Deo Creatori, qui die septimo cum requievisset, factum est ab ipso orbis initio, ut Adae filii ad laborem perpetuo damnati in sabbatis concelebrandis festiva quiete fruerentur, Dominum suum collaudaturi. VII., et VIII. Et quod aeque absurdissimum est, sacras decimarum oblationes ab Abrahamo institutas obliviscitur, ut primos earumdem simul, et primitiarum auctores nuncupet idolatras.

XIV. Cum oculos luci meridianae sciens prudens occluserit oculatissimus rituum mosaycorum investigator: qua demum fide rationes speculabitur consiliorum Dei in moribus Iudaeorum, ac gentium; et sacris utrorumque ritibus? Duas tantum ab Apostolo traditas (5) novimus. Primum nempe Deus noster filios Abrahae voluit ab idolatris separare manifesto sacrorum discrimine: tum sacris eisdem futura Christi mysteria praenunciare. *Tantum interest*, inquam cum divo Augustino (6), *inter sacrificia Paganorum, et Hebraeorum, quantum inter imitationem errantem, et praefigurationem praenunciantem.* Non aeque constat alia ratio, quam in divinis consiliis potissimam putat Spencerus, indulgendi scilicet perduris Hebraeorum cordibus, postquam in idolatriam essent in deserto relapsi. Sacer enim Exodi textus habet mandatam Pharaoni a Deo dimissionem populi, ut sacrificia offerret in deserto (7). Et caeremonias splendidissimas iam in Sina Moysi Deus ius-

(1) Ad Æsculapium Martialis *lib. 9. epigram. 18. Hos tibi laudatos dominorum voce capillos. Ille tuus Latia misit ab urbe puer.* Statius *lib. 3. silv. 4. Accipe laudatos iuvenis Phoebeie crines, Quos tibi Caesareus donat puer.* Virgilius *lib. 7. Æneid: Te lustrare choros, sacrum tibi pascere crinem.* Iuvenalis *sat. 2 . . . Gaudent ubi vertice raso Garrula securi narrare pericula nautae.* Videsis Adrianum Iunium *de coma*, Prosperum Stellartium *de tonsura Paganorum*, Lipsium *comm. in Tacitum*, ceteros.

(2) Numerorum *cap. 6.*

(3) Xiphilinus, et Svetonius in Nerone *cap. 12.* narrant a Nerone, *institutis ludis Iuvenalibus*, primos eius barbae pilos in aurea pixide margaritis ornata Iovi Capitolino consecratos. Festus in *verb. capillus* tradit *capillarem arborem* exinde dictam, quod ex illa penderent sacri diis capilli.

(4) Ex infra dicendis *n. XVI.*

(5) Quae superius memoratae sunt *n. VII.*

(6) S. August. *lib. 20. contra Faustum cap. 21.*

(7) Exodi *cap. 8.*

serat, ante quam vitulus conflaretur (1), quamvis postea promulgatas.

XV. Suus itaque stet honos sanctae Patriarcharum stirpi, ut quae prima omnium externam Dei religionem variis colere coeremoniis praedocuit. Cumque illas sceleribus foedatas idolatrae postea usurpassent, divina lex per Moysen lata emendavit, effecit augustiores, avocavitque ab idolis ad Deum. Res aliter se habere non potuit. Si enim status innocentiae lapsam praecessit naturam, si Deus deos, si superstitionem religio, si veritas simulationem: necesse est, ut idolatriam gentium pomposam anteiverit exterior veri Dei cultus, sacrificiorum usus, et festiva sabbatorum concelebratio.

XVI. Ægyptii potissimum, et Chananaei religiosas filiorum Abrahae caeremonias fuisse iamdudum aemulati putentur. Quidni? Nonne viderat Ægyptus Abraham quatuorcentum, et amplius annos ante legem; et Pharaonem, eiusque domum flagellaverat Dominus plagis maximis propter Sarai uxorem Abrahae (2)? An apud multos gentium reges ab eo debellatos Deus excelsus non inclaruerat, et sacerdotium Melchisedech (3)? An quomodo Ioseph, et Iacob cum filiis suis Deum viventem colerent, dudum non inspexerant Ægyptii? In ipsa Pharaonis domo Ioseph cum fratribus suis religiosum celebravit convivium victimarum, in conspectu Ægyptiorum seorsum comedentium (4). Quare Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob maluit Dominus dictitari, nisi ut exinde intelligerent Ægyptii prae ceteris, et Chananaei, quos divinae religionis cultus a Patriarchis illis celebrioribus adhibitos et viderant, et audiverant eosdem faedatos, corruptosque ab seipsis impia, et errante imitatione transferri ad deos, qui non sunt? Cur immolarunt filios daemoniis per ignem, nisi quod probatissima Deo ante fuerat fides Abrahae ad filium suum Isaac iussu Domini immolandum super strue lignorum accincti? *Idcirco posui te*, ait ad Moysen Dominus (5), *ut ostendam fortitudinem meam, et narretur nomen meum in omni terra* (6). *Scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus Iosue.*

XVII. Fidem huic rei exploratissimam addit sacer Machabaeorum textus (7), haec habens: *Expandebant libros Legis, de quibus gentes scrutabantur similitudinem simulacrorum suorum.* Siquidem Iovis nomen a corrupto Iehovae nomine accepisse fabulae videntur. Ex combusta Pentapoli furentem igni praesidem Vulcanum, praecipitemque Phaetontem. Solis quadrigas ab igneo, qui Eliam in coelos rapuit, curru. Qui in sole posuit tabernaculum suum, Apollo, Phoebusque dictus est.

(1) Exodi *cap. 25. usque ad 31.*
(2) Genesis *cap. 12. vers. 17.*
(3) Genesis *cap. 14.*
(4) Genesis *cap. 43. v. 16, et 32.*
(5) Exodi *cap. 9. vers. 16.*
(6) Exodi *cap. 17. vers. 14.*
(7) 1. Machabaeorum *cap. 3. vers. 48.* Ex Hispanica, aliisque Bibliorum versionibus recitata huiusce textus verba sic alias ferunt Seldenus *de diis Syriis proleg. cap. 3.*, et Grotius *lib. 1. comm. in Matth. cap. 3. Libros legis rimabantur gentes, ut in eis inscriberent simulacra, vel picturas idolorum suorum.* Unus, idemque in utrisque sensus est, quem frustra intervertere conatur Spencerus.

Deus exercituum, Mars. Sapientia ab aeterno ordinata, Minerva. Spiritus Domini super aquas, Neptunus: Angelus non semel pro Domino locutus, Mercurius: Babiloniis immensam turrim molitis Aloidas gigantes subrogarunt, superis bellum inferentes. A virga Moysis, quem deum Pharaonis Deus ipse constituerat (1), virgas magorum devorante selectos, et inferiores deos commenti sunt. Ex rubo incombusto, vel fumante Sina, vel igne coram Domino iugiter ardente flammeum Vestae simulacrum. Quid amplius erratica gentium somnia, quae sunt innumera (2), persequar? Satis haec, superque indicant idolatras eo manifestius ab Israelitis esse innocuas sacrorum caeremonias mutuatos: quo ipsi maiore studio in sacris Bibliis evolvendis, tot tantasque fabulas deorum effinxerunt nedum inanes: sed etiam, ut M. Varro fassus est in. genue, *contra dignitatem, et naturam immortalium* (3).

XVIII. Insignes Graecorum, aliarumque gentium Philosophi, et Legislatores permulta ex hebraeis moribus, sacrisque libris adoptasse traduntur: praecipue Pythagoras, Plato, Aristoteles (4). Victos Iudaeos Romanis victoribus leges sacrorum dedisse scribit Seneca (5) mores speciatim sabbatorum, ieiuniorumque, quos memorat Rutilius (6), aliosque de lucernarum accensionibus, et cibis Fl. Iosephus (7) addit: *Omnia* igitur, inquam cum Tertulliano (8), *adversus veritatem de ipsa veritate constructa sunt, operantibus aemulationem istam spiritibus erroris. Ab his quaedam etiam fabulae immissae, quae de similitudine fidem infirmarent veritatis, vel eam sibi potius evincerent.*

XIX. Qui priscos ante legem idolatras pellexit ad foedandos nefaria aemulatione religiosos filiorum Abrahae mores, adorationemque a Christo Domino flagitare non dubitavit: idem ipse fecit, ut posteriores populi non mosaycas modo coeremonias, sed evangelica etiam sacra aemularentur. *Diabolus enim, cuius sunt*, Tertullianus (9) ait, *partes intervertendi veritatem, ipsas quoque Sacramentorum res idolorum mysteriis aemulatur: tingit et ipse quosdam utique credentes et fideles suos: expiationem delictorum de lavacro repromittit; et si adhuc memini, mithra signat illic in frontibus milites suos; celebrat et pa-*

(1) Exodi *cap. 7. vers. 1.*

(2) Videndus ad id Daniel Huetius *lib. demonstrat. Evangelicae.*

(3) M. Varro apud S. August. *de Civit. Dei lib. 6. cap. 5.*

(4) De quibus Fl. Iosephus *lib. 1. contra Apionem*, Clem. Alexandrinus *lib. 1. stromatum*, Origenes *lib. 1. contra Cels.*

(5) Seneca *lib. contra superstitiones*, qui deperiit, laudatus a S. Aug. ibidem *c. 11.*

(6) Rutilius *lib. 1. Itinerarii*, apud eundem S. Aug. *loc. cit.*

(7) Iosephus *lib. 2. contra Apionem. Populi multi a longo*, ait, *tempore cultum nostrum aemulantur. Neque enim civitas est Graecorum usquam, aut barbarorum, nec ulla gens, ad quam septimanae, in qua vacamus, consuetudo minime pervenerit, et ieiunia, lucernarum etiam accensiones: et multa circa cibos, quos nobis comedere nefas est, ab exteris observantur. Unusquisque si regionemque, domumque suam conspiciat: his, quae a me dicuntur, fidem dare non recusabit.*

(8) Tertullian. *apologetici cap. 57.*

(9) Tertull. *lib. praescript. cap. 40.*

nis oblationem , imaginem resurrectionis inducit , et sub gladio redimit coronam. Quid, quod et summum Pontificem unis nuptiis statuit ? Habet et virgines , et continentes. Fallacem eiusmodi aemulationem detexit etiam S. Iustinus (1): *non quod aliena sint a Christo*, ait , *instituta Platonis , Stoicorum , poëtarum , et historicorum , sed quod non omnino similia. Ut quisque enim disseminatae rationis divinae partem aliquam sibi cognatam videbat, praeclare locutus est.* Sunt itaque penitus vecordes haeretici, qui sacros Ecclesiae catholicae ritus ideo contemnunt, quia desumptos e gentium superstitionibus putant falsissime , fulgentem rei veritatem abnegantes.

XX. Ecclesia quidem in sacris suis a primordio multas habuit caeremonias apostolica traditione institutas (2). *Ut a Baptismate ingrediar*, inquam cum Tertulliano (3) , *aquam adituri . . . aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompae , et angelis eius: dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes , quam Dominus in Evangelio determinavit: inde suscepti lactis , et mellis concordiam praegustamus: exque ea die lavacro quotidiano per totam hebdomadam abstinemus. Eucharistiae Sacramentum et in tempore victus , et omnibus mandatum a Domino , etiam antelucanis coetibus , nec de aliorum manu , quam praesidentium sumimus . . . Harum, aliarumque eiusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum , nullam invenies ; traditio tibi praetendetur autrix , consuetudo confirmatrix , et fides observatrix.*

XXI. Potestatem ordinandorum rituum a Christo Domino Apostolis , Ecclesiaeque traditam ostendit Paullus; quum Corinthios , quomodo celebrandum Eucharistiae convivium Dominus iusserit , erudiens : *cetera*, inquit , *cum venero , disponam* (4). Haec ipsa verba perpendenti S. Augustino (5) videtur Dominus *ideo non praecepisse, quo deinceps ordine sumeretur* Eucharistia, *ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat , servaret hunc locum.* Si vero , quos deinde ritus disposuerint Apostoli , sacrae Litterae non pandunt : tamen eos a traditione apostolica , et prisca universalis Ecclesiae consuetudine accepi-

(1) S. Iustinus *apologia 2. num. 13.*

(2) Cathechism. Roman. *de Sacram. in gen. §. 18. Ac merito quidem*, inquit , *a primis usque Ecclesiae temporibus illud semper servatum est, ut Sacramenta solemnibus quibusdam caeremoniis ministrarentur.*

(3) Tertull. *lib. de corona militis cap. 4.* Ea in re contestes sunt SS. Iustinus *apologia 2.*, Basilius *lib. de Spiritu Sancto cap. 27.*, Cyprianus *ep. 63. ad Caecilium* , *ep. 76. ad Magnum* , alibique , Cyrillus Hieros. *in catechesibus* , Dionysius, quive sub eius nomine latet auctor *lib. de ecclesiastica hierarchia* , Augustinus *contra Pelagianos* , et alibi passim. Gregorius M. *in Sacramentario* cum Hugonis Menardi commentariis , Isidorus Hispalensis *de divinis officiis : tum* Alcuinus *de divinis officiis*, Amalarius *de sacro Baptismate* ad Carolum M., et *de ecclesiasticis officiis*, Durantes , vulgo Speculator in rationali divinorum officiorum , Card. Bona *de rebus liturgicis* , ceteri.

(4) *Ep. 1.* ad Corinth. *cap. 11. vers. ult.*

(5) S. August. *ep. 54.*, seu *lib. 1. ad inquisitiones Ianuarii num. 7.*, Petr. Lombard. 4. *sent. dist. 7. cap. formae.*

mus (1). Unde intelligimus, a S. Augustino etiam praemoniti (2), *totum illum agendi* Sacramenti *ordinem, quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso* Paullo, aliisque Apostolis *ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur:* vel a plenariis Conciliis. Tum sanctus Doctor auctoritatem apostolicae traditionis, et Concilii generalis aequans comprobat ritum ad Ecclesia laudabiliter institutum dandi Eucharistiam ieiunis, quam ab ipso Domino Apostoli post coenam utique acceperunt. Iure hinc meritissimo *declarat* Tridentina Synodus (3) *hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire iudicaret.*

XXII. Alii rituum christianorum *universales* sunt, aliique *particulares.* Quos divinae Scripturae praescribit auctoritas, vel tota per orbem frequentat Ecclesia: *ii universales* dicuntur, quia universi eosdem debent ubique servare, ut in domo Domini ambulent cum consensu. Huiusmodi sunt pronunciatio verborum formae sacris materiae elementis coniuncta, signum Crucis in omnium Sacramentorum administratione adhibitum (4), praevia elementaris materiae mysticis benedictionibus consecratio, exorcismi, preces, commonitiones. *Si quis* autem *dixerit*, sanxit Tridentinum, *receptos et adprobatos Ecclesiae catholicae ritus, in sollemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit* (5).

XXIII. *Particulares* ritus non iidem ubique, sed alii sunt in aliis Ecclesiis. *In una fide nihil officit sanctae Ecclesiae consuetudo diversa,* ad Leandrum Hispalensem Episcopum rescripsit S. Gregorius M. (6).

(1) Trid. *sess. 22. de sacrificio Missae cap. 5. Propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronunciarentur, instituit. Coeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, et traditione.*

(2) S. August. *loc. cit.* ibique praecedenti *num. 1.* haec habet. *Illa autem quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur: datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri. Can. illa 11. dist. 12.*

(3) Trid. *sess. 21. de ref. cap. 2., et sess. 22. cap. 5., et can. 7.*

(4) S. Augustinus *tract. 118. in Ioan. Nisi adhibeatur*, inquit, *frontibus credentium, sive ipsi aquae, quo regenerantur, sive oleo, quo chrismate inunguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.*

(5) Trid. *sess. 7. de Sacram. in gen. can. 13*, S. Augustinus *cit. ep. 54. num. 6., quid horum sit faciendum*, ait, *si divinae Scripturae praescribit auctoritas, non est dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus, ut iam non quomodo faciendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam et hinc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae insaniae est.*

(6) S. Greg. M. *ep. 41.* ad Leandrum. Huc pertinent, quae diximus *lib. 1. tit. IV. de consuetud. n. VII., et VIII.*

Omnis enim pulchritudo filiae regis intrinsecus, inquam cum Augustino (1) : *illae autem observationes, quae varie celebrantur, in eius veste intelliguntur. Unde ibi dicitur: in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Monet B. Hieronymus (2) *traditiones ecclesiasticas, quae fidei non officiunt, ita observandas, ut a maioribus traditae sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti. Sed unaquaeque Provincia abundet in suo sensu, et praecepta maiorum leges apostolicas arbitretur.*

XXIV. Latinis Ecclesiae Romanae ritibus, quos et *Rituale*, et *Caeremoniale Episcoporum* praescribunt, Latinoque sermone in sacris utuntur Occidentales fere omnes, praesertim Itali, Germani, Galli, Hispani, Lusitanique, priscam Latinorum linguam aevo apostolico vulgarem immota consuetudine retinentes. Quemadmodum et Orientales Graecam : bilingues Syri Graecam, et Syriacam, Ægyptii quoque Graecam, et Ægyptiacam, Æthiopes Æthiopicam ; Armeni Armenam, caeteri similiter quisque suam. Apostoli porro *linguis omnium loquebantur* (3). Omnesque unum sunt in Christo, Graecus, et Iudaeus, Barbarus, et Scytha.

XXV. Ab Romanis ritibus Graeci cum primis dissentiunt quum lingua, tum sacris moribus, quos tolerandos, permittendosve censuit Romana Ecclesia, quatenus catholicae fidei non adversentur. Ii porro nedum plura Sacramenta verbis deprecantibus, et Eucharistiam in pane fermentato probe conficiunt, eamque sub utraque specie cunctis etiam pueris ministrant : verum coniugatos etiam subdiaconos ad diaconatum, sacerdotiumque promovent, sacra simul, et liturgiam dissimiliter concelebrant (4). In Siciliam, multasque huius regni Neapolitani Ecclesias, praesertim maritimas expulsis Langobardis quum victores Graeci suos secum invexissent Sacerdotes, Praelatosque, quos Patriarchae Constantinopolitano, quam Papae subditos malebant (5) : Graeci ritus in iisdem invaluerunt, plura per saecula producti, donec Normanni Principes subactis Saracenis, Graecisque Siculas, et Neapolitanas Provincias Romano throno vindicarunt. Exinde factum monet scitissime Benedictus XIV. (6),

(1) S. August. *ep. ad Casulanum.*

(2) S. Hieronym. *ep. 28. ad Lucinium Boeticum.*

(3) Actorum *cap. 2. v. 6.*

(4) Quae omnia comprobarunt Synodus Florentina sub Eugenio IV. in decreto *de unione Armenorum*, seu Ecclesiae Orientalis Graecorum cum Romana ; tum Leo X. litteris sub annulo Piscatoris die 18. Maii 1521. datis, quae incipiunt *Accepimus nuper*. Clemens VII. alteris eadem Brevis forma datis die 26. Martii 1526., incip. *Provisionis nostrae*, et Benedictus XIV. novissima constitutione *de dogmatibus, et ritibus ab Italo Graecis tenendis, atque servandis*, quae incipit *Etsi pastoralis*, lata die 26. Maii 1742., *to. 1.* Bullarii sui *const. 57.* Adhaec videsis Leonem Allatium *de consensione Occidentalis, et Orientalis Ecclesiae*, Leunclavium *de iure Orientali*, Habertum *in Pontificali Ecclesiae Graecae* Philostorgium *in historia.*

(5) De quibus iam dixi *lib. 1. tit. XIV. de Patriarchis num. V.*

(6) Bened. XIV. in *ep.* ad Archiep. Messanensem data die 28. Febr. 1747, *to. 2. Bullarii const. 29. num. 11.*, post Papebrochium Bollandi continuatorem *in act. Sanct. mensis Iunii to. 4.* die 23. festo S. Agrippinae v. et m. § 2. *num. 2.*, et Canonicum Ioannem a Ioanne in *tract. de divinis Siculorum officiis cap. 12.*

ut Galli sacerdotes istuc adsciti latinos ritus, Graecis paullatim exolescentibus, in Sicilia restituerent, non alios, nisi Gallicos libros ad sacra adhibentes ex quibus profluxit Breviarium Gallo-Siculum (1).

XXVI. Verum dispersis per Italiam, Insulasque adiacentes Graecis, et Albanensibus, qui in Latinorum Episcoporum dioecesibus incolunt: iamdudum a Romanis Pontificibus (2) indultum est adeo stabiliter suos retinere ritus in Euchologio praescriptos, ut non liceat unquam sine auctoritate Sedis Apostolicae ad Latinos transilire, nec versa vice: quamvis perinde Graeci, atque Latini subiecti Latino uni, eidemque loci Episcopo pareant. Plures idcirco, variasque de ritibus, privilegiis, exemptionibus, moribusque Italo-graecis quaestiones in diem audivit, definivitque Sedes Apostolica, Curiaque Romana (3) pro diversis rerum, temporum, locorumque conditionibus.

XXVII. Firmandae pacis studio incensus Papa Benedictus XIV. constitutionem (4) tulit saluberrimam, ad cuius amussim dogmata, ritus, consuetudines, et privilegia Italograecorum sunt perpetuo dirigenda. Tradita primum graeca fidei professione, quae septem articulos exprimit a schismaticis controversos, declaratisque singulorum Sacramentorum ritibus, infra memorandis: §. 9. iubet haec rem nostram attinentia. I. Ut liberum sit Graecis suos in Missis, divinisque officiis ritus sine molestia cuiuslibet Latini Ordinarii observare. II. Verum communia utrique Ecclesiae praecepta secundum canones exequantur. III. Praesertim ieiunia, festosque dies Gregoriano Kalendario indictos. IV. Commemorationem Romani Pontificis, Episcopique dioecesani in Missis, et officiis. V. Generalem quamque Sedis Apostolicae constitutionem, qualis est ea contra sollicitantes. VI. Peculiares Dioecesis festos. VII. At ubi adest graeci ritus Parochia, non cogantur inviti ad Latinorum ieiunia, et vigilias. VIII. Tolerentur carnem comedentes die Sabbati. IX. Latini eorum famuli ab latino ritu non desciscant. X. Sabbato sancto ieiunent, aliis vero Quadragesimae sabbatis abstineant vetitis solum cibis. XI. Cetera Sabbatorum ieiunia latina illis in aliam diem latinus Episcopus transferat. XII. Esus piscium sanguineorum cum oleo, et vino in Quadragesima, diebusque esurialibus indulgetur. XIII. Ut Italo-graecus Latino Sacerdotio initiatus ne praeficiatur Graecis plebibus, et Parochiis. XIV. Nec Latini graeco umquam ritu ordinentur: sed Graeci duntaxat quum indigenae, tum advenae. XV. Latinique presbyteri nonnisi rogati sese Graecorum functionibus immisceant. XVI. Vicissim Graeci in latinis Ecclesiis, et canere Missas, et officia sol lemniter celebrare, Episcopo non permittente, prohibentur. XVII. In promiscuis Latinorum, Graecorumque functionibus praecedant sine ri-

(1) Quod reformavit Matthaeus Caldus, laudatque praelaudatus Benedictus XIV. *loc. cit.*, et Mongitorius *in bibliotheca Sicula to. 2. pag. 55.*

(2) Innocentio IV., Leone X, Clemente VII., Paullo III., Iulio III., Pio IV., et V., Gregorio XIII.; Clemente VIII.; et forsan aliis.

(3) Eas videsis apud Pignatell. *to. 5. consult. 62, to. 6. cons. 41.*, et passim, Pitonium *in coll. decret. etc.*

(4) *To.* 1. Bullarii Bened. XIV. *cit. const. 57.*

tus discrimine quum dignitate maiores, tum ordine antiquiores. XVIII. Sacris libris non aliis, nisi per Congregationem Romanam emendatis utantur. XIX. Dioecesanis Latinorum Episcopis subiaceant Graeci qua saeculares, qua regulares in Congregationem non redacti. XX. Nisi adsit in una, eademque Dioecesi Graecus etiam Episcopus iurisdictionem, curamque Graecorum seorsim a Praesule latino habiturus. XXI. At ubi solus praesidet latinus Episcopus: ibi Graecum Vicarium a Graecis ipsis vel probatum, vel electum, ipsorum stipendio sustinendum deputet: alterumque similiter in gradu appellationis Metropolitanus. XXII. Ut regularia SS. Patrum instituta graeci monachi, qui regulam S. Basilii in Congregatione non profiteantur, observent sub iurisdictione latinorum Praesulum. XXIII. Suis vero privilegiis fruantur Romana Graecorum Collegia, Corsinum in Calabria Seminarium, et Congregatio Regularis Ordinis S. Basilii. XXIV. Tandem aliis ubique Christianorum gentibus rituum ab Apostolica Sede probatorum usus permittitur.

XXVIII. Suo quemque ritu contentum omnino carere arbitrio ad alium transeundi, id nisi Papa indulserit, iam dixi. Quique Graecorum summo Pontifice dispensante, Latinum semel assumpserit: ad Graecum redire absque nova dispensatione prohibetur (1). At Graecorum filii ritu latino in casu necessitatis baptizati, sequi Graecum parentum tenentur (2).

XXIX. Monachis S. Basilii praelaudatus Benedictus XIV. (3) Graeci ritus observantiam, et linguae graecae studium enixe commendat, iubetque, ut Abbates, Priores, et Magistri ad Missam graecam celebrandam teneantur, Monachi vero simplices, ubi sex, pluresque in Graecis eiusmodi Monasteriis commorantur, unam, vel duas Missas latino ritu celebrent.

XXX. Praeterea confirmat Messanensi Ecclesiae catholicae S. Mariae *del Grafeo*, cui Protopapae dignitas, et Collegium presbyterorum inserviunt, vetustum graeco-latinum ritum, celebrandi scilicet divina officia, et sacrificia Missarum graeco idiomate, sed Romanis caeremoniis, in azymo, cum sacris Latinorum indumentis, et iuxta kalendarium Gregorianum (4). Eumque ipsum in monasterio Cryptae Ferratae Diocesis Tusculanae, a Cardinale Bessarione invectum auctoritate Pii II. anno 1462. servandum edixit, exemplo Maronitarum, et Armenorum eodem graeco-latino ritu utentium (5).

XXXI. Mozarabicus ritus, quem christiani olim mixti cum Arabibus

(1) Ibidem §. 7. *num. 20., et 25.* Idemque Pontifex Graecis Melchitis transitum inconsulta Sede Apostolica ad ritum non modo Latinum, sed Maroniticum quoque inhibuit alia *const. demandatam 87.*, ad Patriarcham Antiochenum, omnesque Episcopos Graecorum Melchitarum data, §. 12., et 15, eodem *to. 1. Bullarii*

(2) Ex *cit. const. 87. §. 16. et 17.*

(3) Idem in *const. etsi persuasum 44.* ad Abbates, Priores, et Vocales Ord. S. Basilii M. ad Capitulum generale convocatos data die 20. Aprilis 1751., *to. 3. Bullarii*, qua firmantur decreta Romanae eorundem Diaetae an. 1658.

(4) Idem in *const. Romana Ecclesia 81.*, lata die 18. Martii 1743. *to. 1.* Bullarii.

(5) In *const. inter multa 33. to. 2. Bullarii.*

conflarunt, in Hispaniarum Ecclesiis diutissime viguit ad saeculum usque XI., quoad auctoritate divi Gregorii VII., et faventibus Sancio Navarrae, Aragoniaeque, et Alphonso Castellae regibus, subrogatus ibidem est Romanus (1). At monumentum illius ex tenebris eruit Cardinalis Ximenius Archiepiscopus Toletanus, Missale Mozarabico tyris edito, institutoque Sacerdotum collegio concelebrantium in sacello Toletanae Ecclesiae Mozarabica sacra.

XXXII. Plura id genus alia liturgiae discrimina, nostrum non est heic memorare : si paucis ex istis iam intelligimus consultissimam agendi rationem catholicae Ecclesiae, Romanaeque omnium parentis, ac magistrae, quae tot unius fidei populos, tanta rituum, morumque varietate dissentaneos, sinu complectitur suo, invitosque superbe non cogit ad conformationem, exemplis apostolicis ducta. Iudaeis enim indulserunt Apostoli, ut custodirent aliquandiu cum evangelica fide caeremonias mosaycas: gentes autem ad Christum conversas fore non cogendas decreverunt ferre legis mosaycae iugum, sed abstinere duntaxat se a contaminationibus simulacrorum, suffocato, et sanguine. (2). Iique multa Iudaeorum instituta, psalmodiam, Prophetarum lectiones, festorum sollemnia, cetera in Ecclesiam adoptarunt (3), ab umbris ad lucem translata. Pariter in multis gentium institutis contigisse observat Baronius (4): *ut superstitionis earum usus sacris ritibus expiatus, ac sacros sanctus redditus, in Dei Ecclesiam laudabiliter introductus sit.* S. Gregorius M. in conversione Anglorum eadem vestigia ingressus est (5).

(1) Sancium ea de re collaudat divus Gregorius VII. *ep. 63. lib. 1.*, pariter Alphonsum *ep. 2. lib. 9. Noverit excellentia tua dilectissima*, inquit, *illud unum admodum nobis, immo clementiae divinae placere, quod in Ecclesia regni tui matris omnium S. Romanae Ecclesiae* Ordinem *recipi, et ex antiquo more celebrari feceris.* Nihilominus paulisper deinde perseverasse in nonnullis Monasteriis Officium Mozarabicum, tradit Rodericus Toletanus *lib. 6. de reb. Hispan. cap. 26.*

(2) Actor. *cap. 15., et 21.* Huc spectant, quae dixi *lib. 1. tit. VI. num. II.*

(3) De quibus Grotius *in S. Matth. cap. 18., in Acta cap. 11. 30.* et *de Imperio summ., Potest. cap. 11., sect. 16.*, Seldenus *de Synedrio lib. 2., cap. 14.*

(4) Baronius *in not. ad Martyrolog. Roman. 2. Febr.* et Casaubonus *exercit. 16.*

(5) S. Greg. M. *ep. 71. lib. 9. Idolorum fana*, scripsit, *in Anglorum gente destrui minime debent : sed ipsa, quae in eis sunt, idola destruantur. Nam si fana eadem bene constructa sunt, a cultu daemonum in obsequium veri Dei commutari debent : ut dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, et Deum unum agnoscens, et adorans ad loca, quae consuevit, familiarius concurrat. Et quia boves in sacrificio, et festo daemonum multos occidere solent, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari. Ut die dedicationis, vel natalitio Sanctorum omnium tabernacula sibi circa Ecclesias, quae ex fanis commutatae sunt, de ramis arborum faciant, et religiosis conviviis sollemnitatem celebrent. Nec diabolo iam animalia immolent : sed ad laudem Dei in esu suo occidant, et donatori omnium de satietate sua gratias referant. . . Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est.*

XXXIII. Quinam gentium ritus qua vetusti, qua novi redoleant superstitionem, aut fidei, vel honestati adversentur, an non, supremo Sedis Apostolicae iudicio definiendi sunt, quae ea in re adhibet suffragia Congregationum *S. Officii*, *Propagandae fidei*, *Sacrorumque Rituum*. Nemini porro fas est, inconsulto Romano Pontifice, ritus paganorum probare, aut convertere in christianam Religionem (1), aut quamlibet in iis observandis, mutandisve dispensationem indulgere (2). Quare Sinenses caeremonias ad trutinam pontificiam saepe revocatas Clemens XI., Benedictus XIII., Clemens XII., et Benedictus XIV., ut innocuas tolerare, ita superstitiosas reiicere censuerunt (3).

XXXIV. Mutabilis rituum natura non modicas peperit in Romana etiam Ecclesia varietates, quae innotescunt scrutantibus Sacramentarium S. Gregorii M., permultosque antiquos Rituales, et liturgiae libros (4), simul et novissimos auctoritate Sedis Apostolicae correctos, et recusos, praesertim Rituale Pauli V., et Pontificale Clementis VIII. His vim legis inesse monet Fagnanus (5), et palam ostendunt eorumdem Pontificum constitutiones. Quare praetermitti sine peccato nec possunt caeremoniae vulgatis Ritualibus praescriptae, nisi mors imminens, aliudve periculum in casu necessitatis celeriorem sine illis administrationem suadeat : tamen si quando omittantur, quoniam rei naturam non attingunt, nihil de vero Sacramenti valore imminui docet Catechismus Romanus (6).

XXXV. Longius, quam opinabar loquuto de Sacramentis generatim, sacrisque ritibus, operae mihi pretium est ad singula speciatim edisserenda properare. Praecipuam eorum, tutissimamque doctrinam non aliunde, nisi a Catechismo Romano imbibisse primum oportet candidatos Iuris Canonici ; mox animum advertere ad eam ipsam penitus intuendam in Sacramentorum controversiis : ut expensis utriusque partis rationibus sacros canones, praesertim Tridentinos probe calleant, Ecclesiaeque catholicae disciplinam. Meum esse proinde puto, naturali rerum ordine retento, figuras, et praedictiones propheticas, divinam institutionem, naturam, partes, ritus, effectus, usum, erroresque profligatos in singulis explicare pro virili.

(1) Ex voto S. Congregationis Cardinalium S. Fidei Inquisitorum, quae dubia Missionariorum super decretis Patriarchae Antiocheni Caroli Thomae Cardinalis de Tournon Legati a latere ad Indias Orientales expendit iussu Benedicti XIII, et Clementis XII., prolato die 16. Septem. 1733. *ad dub. 15.*, quod probavit Clemens idem, recensetque Benedictus XIV. in *const. omnium sollicitudinum 107.* de ritibus, caeremoniis, usibus, et consuetudinibus Indiarum Orientalium *to. 1. Bullarii.*

(2) Ex eiusdem S. Congr. decreto ibidem *ad dub. 1.*, et antedictis *lib. 1. tit. XII. num. XIV.* Adde Trid. *can. 13. sess. 7. de Sacr. in gen.*

(3) Liquent ex Benedicti XIV. const. *ex quo 59, et cit. const. omnium 107., to. 1. Bull.*

(4) Apud Mabillon. *to. 2. Musaei Italici*, et *lib. de liturgia Gallicana*, Card. Bona *lib. 2. de reb. liturgic.* et Iacob. Pamelium *lib. liturgicorum.*

(5) Fagnan. in *cap. presbyter. 3. de Sacram. non iter. num. 41.*

(6) Catech. Roman. *de Sacram. in gen. §. in hoc autem.*

TIT. IV.

De Baptismo

I. Hoc Sacramentum a Deo multis figuris, et praedictionibus praeordinatum ostendunt sacrae Litterae.

II. Poenitentiae Baptismum sine verbis ministravit S. Ioannes Baptista.

III. Ioannis Baptismus, an peccata remittendi vim aliquam habuisset, Patres dissentiunt.

IV. Cum Petiliano haereticos recentiores eamdem vim humano lavacro cum Baptismo Christi tribuentes damnavit Synodus Tridentina.

V. Sacramentum hoc in Iordane primum Christus, mox Evangelio suo instituit, tandem illius ministerium ascensurus in coelum discipulis mandavit.

VI. Variis Baptismum nominibus sacrae Litterae appellant.

VII. Sacramentum in aquae lavacro, et verbis evangelicis abluens animam, Baptismus videtur mihi definiendus.

VIII. Aqua solum naturalis vicem materiae gerit in Baptismo.

IX. Contrarium delirantes Manichaeos, Lutheranos, Calvinistas anathemate confixit Synodus Tridentina.

X. Eorum argumenta fallacissima exponuntur.

XI. Simul et refelluntur.

XII. Naturalem aquam mysticis benedictionibus, et chrismate suevit Ecclesia in solemni Baptismo praeparare, Marcosios execrans alium liquorem commiscentes.

XIII. Ablutionem sacramentalem perficit vel immersio, vel effusio, vel aspersio ex usu Apostolorum vario.

XIV. Cornelius Papa perfusionem in Baptismo indigni Novatiani neutiquam improbavit.

XV. Immersio apud Latinos olim frequentior, dein perfusio. Utramque probat, ac retinet Rituale Romanum.

XVI. Trina, an unica fiat ablutio, nil refert.

XVII. Verba Evangelica ego te baptizo, *vel* baptizatur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. *perficiunt in aquae lavacro Sacramentum.*

XVIII. Haereticos evangelicam Baptismi formam diversimode variantes Ecclesia damnat.

XIX. Apostolos in solo Christi nomine aliquando baptizasse, vulgaris, at fallax opinio est.

XX. Quae huic opinioni favent sacrae Litterae, exscribuntur.

XXI. Mox explicantur contra vulgarem opinionem a SS. Patribus Cypriano, Origene, Athanasio, Chrysostomo, Basilio.

XXII. Cum iisque S. Augustinus explicitas Trini Dei personas in apostolico Christi Baptismo apertius tradit.

XXIII. S. Ambrosii sententia obscurior conciliatur.

XXIV. Nicolai I. responsum vulgari opinioni favens, alii mendosum,

alii putant fuisse privati Doctoris excursum extra quaestionem ei de ministro propositam.

XXV. S. Thomas vulgarem eiusmodi opinionem retulit, sed non probavit.

XXVI. Opiniones de valido Baptismo sub invocatione unius ex tribus divinis Personis, vel Trinitatis generatim refelluntur.

XXVII. Sine verbis baptizo te *collatus Baptismus non valet.*

XXVIII. Animam abluit Baptismus ex peculiari virtute sua.

XXIX. Scilicet labem originariam, et omnia peccata adultorum, qui baptizantur, detergit cum plenaria remissione poenarum.

XXX. At peccati fomitem relinquit.

XXXI. Radi, ac tegi, et non imputari Baptismo peccata delirabant Lutherus, et Calvinus.

XXXII. Cuiusmodi errorem anathemate depulit Synodus Tridentina.

XXXIII. Peccatum originale negat Pelagiana haeresis.

XXXIV. Quam refellunt divina Scripturarum oracula.

XXXV. Animas labe originaria infectas ex traduce infecto fieri S. Augustinus putavit, novas creari, et in corpore infecto, velut aquam in vase foetido immitti S. Hieronymus rectius docuit.

XXXVI. Catholicam fidem de originali peccato explicant canones Tridentini.

XXXVII. Primam gratiam, seu spem aeternae vitae aeternas poenas remittentem, ut Baptismus, ita Poenitentia conferunt.

XXXVIII. Vitia solum naturae lapsae, pravique affectus animi ad exercendas virtutes necessarii permanent baptizatis.

XXXIX. Omnia Christi, et Ecclesiae praecepta servare, non fidem solam debent baptizati.

XL. Necessarium necessitate medii ad aeternam salutem Baptismum profitemur.

XLI. Unus aquae *Baptismum potest aliquando suppleri Baptismo* flaminis, *et* sanguinis.

XLII. Desiderantes Baptismum aquae cum fide Christi, et contritione cordis salutem consequuntur Baptismo flaminis.

XLIII. Quemadmodum et martyrium pro Christi fide patientes Baptismo sanguinis *fiunt salvi.*

XLIV. Recte baptizant iure ordinario Episcopi, et Parochi, delegato presbyteri, diaconique: extraordinario quilibet homo cuiusvis conditionis, et sexus, haereticus etiam, et paganus.

XLV. Ab haereticis collatum Baptismum valere ex apostolica traditione, contra Patres Africanos S. Stephanus Papa propugnavit.

XLVI. Ecclesiastici, et Ieremiae sententias a S. Cypriano obiectas non officere huic traditioni S. Augustinus ostendit.

XLVII. A paganis etiam baptizatos non esse rebaptizandos Nicolaus I., et Eugenius IV. definivere.

XLVIII. At seipsum nemini fas est baptizare.

XLIX. Natus quisque homo suscipiendo Baptismo idoneus est: clausus in utero materno secus.

L. In lucem vix editos infantes recte baptizari tenent catholici contra Anabaptistas.

LI. Etiam immaturos, et caeso matris utero extractos.
LII. Nonnulli Patrum hos Baptismo incapaces putasse videntur.
LIII. At reapse id ipsi non asseruere.
LIV. Miseris in utero periclitantibus foetibus celeri sectione uteri succurrendum iubet Rituale Romanum.
LV. Vivas etiam praegnantes ad sectionem perferendam, partumque caesareum obstringunt theologi recentiores.
LVI. Abortivi, quamvis informes sub conditione baptizandi sunt.
LVII. Natis parvulis Baptismus protrahi non debet.
LVIII. Adultos autem oportet catechismo praeparari.
LIX. Suspectos in fide, vel moribus indignos abigere ab hoc Sacramento suevit Ecclesia.
LX. Ad explorandam catechumenorum fidem, arcendamque superstitionem spectant solemnis Baptismi ritus, catechismus, exorcismi.
LXI. In cathedralibus, et parochialibus tantum Ecclesiis aqua consecrata solemnis datur Baptismus, nisi Episcopus eum in privata domo dari permiserit, vel necessitas urgeat.
LXII. Nomina baptizatorum ex martyrologio desumenda Parochus quisque in peculiari libro describere cogitur, natorum etiam ex occultis matrimoniis ad normam constitutionis Benedicti XIV.
LXIII. Infantes cum schedula collati Baptismi proiectos sub conditione baptizari oportet.
LXIV. Obstetrices Parochi formam Baptismi doceant, invitas examinari, vel suum iis munus prohiberi ab Episcopis non patitur laica Potestas.

I. Primum omnium humano generi salutiferum hocce Sacramentum Deus O. M. permultis figuris, praedictionibusque videtur ideo praeordinasse, ut summam ipsius necessitatem, dignitatemque magis ostenderet. Ab ipso quidem initio conditi orbis sacrae Litterae ferunt Spiritum Domini super aquas deambulantem, dein aquis diluvii exemptas animas in arca Noè (1), tum Israelitas per maris rubri undas ab Ægyptia servitute liberatos (2), amaras aquas ligno Moysis in dulcedinem versas (3), Syrum Naaman in Iordane lepra mundatum, probaticam languentium piscinam in angelico motu salutarem, totque alias Legis mosaycae ablutiones. Addita simul Prophetarum praenuntia clarissima, Ezechielis (4): *Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris . . . Erunt pisces multi satis, postquam illuc venerint aquae istae, et sanabuntur . . et stabunt super illas pisca-*

(1) Divus Petrus *ep. 1. cap. 3. vers. 21. In arca pauci, idest octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos fecit Baptisma.*
(2) Paullus *ep. 1. ad Corinth. cap. 10. vers. 1., et 6. Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, et in mari . . . haec autem in figura facta sunt nostri.*
(3) Exodi *cap. 15. vers. 23.* Tertullianus *lib. de Baptismo cap. 9. Lignum*, ait, *illud erat Christus, aquas Baptismi ex se remedians.*
(4) Ezechiel. *cap. 33. v. 25., et cap. 47. v. 9, et seq.*

tores. Isaiae (1) : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Zachariae (2) : *In die illa erit fons patens . . . in ablutionem peccatoris . . . disperdam nomina idolorum , et spiritum immundum , auferam de terra.*

II. Prophetarum ultimus Ioannes Baptista praemissus , ut baptizaret in aqua (3) praedicavit Baptismum poenitentiae, baptizavitque confitentes peccata sua in remissionem peccatorum proxime futuram in Christo Iesu. *Agebatur itaque* a Ioanne, inquam cum Tertulliano (4), *Baptismus poenitentiae, quasi candidatus remissionis, et sanctificationis in Christo subsecuturae.* Humano quidem Ioannis Baptismo sine ulla verborum forma , et absque Trinitatis invocatione adhibito non fuisse vim spiritalis regenerationis , signique imprimendi: Ioannes ipse primum aperuit, inquiens : *ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est . . . ipse vos baptizabit in Spiritu sancto* (5). Paullus Apostolus exinde discipulos Ephesi inventos, qui Spiritum sanctum in Ioannis baptismate, licet credentes non acceperant , denuo baptizatos in nomine Domini Iesu voluit (6). *Itaque non renascebantur , qui Baptismo Ioannis baptizabantur, sed Christo, in quo solo renasci poterant , parabantur :* monet S. Augustinus (7).

III. In ea vero quaestione, an Baptismus Ioannis reapse peccata remiserit, non unanimis est SS. Patrum sententia. Affirmant porro Basilius (8), Cyrillus (9), et Optatus Milevitanus (10). Alii negant, in his Augustinus (11), scribens: *Quamquam ita credam , baptizasse Ioannem in aqua poenitentiae in remissionem peccatorum , ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata , reipsa vero in Domini Baptismo id fieret : tamen ne quisquam contendat etiam in Baptismo Ioannis*

(1) Isaiae *cap. 12. vers. 3.*
(2) Zachariae *cap. 13. vers., 1. et seqq.*
(3) Ioannis *c. 1. v. 33.*, Marci *cap. 1. vers. 8.*
(4) Tertull. *de Baptismo.*
(5) Matthaei *cap. 3. vers. 11.*, Marci *cap. 1. vers. 8.*, Lucae *cap. 3.vers. 15.*, et Ioannis *cap. 1. vers. 25.*
(6) Actorum *cap. 16. vers. 1., et seqq.*
(7) S. Augustin. in *Enchyridio cap. 49.* Consentiunt SS. Ambrosius *in cap. 3.* Lucae, Hieronymus *ep. 83. ad Oceanum, et in dialogo contra Luciferianos*, Chrysostomus *in cap. 3. Matthaei* , Cyrillus Alexandr. *lib. 2. in Ioan. cap. 57.*
(8) S. Basil. *hom. 1. de Baptismo* ait: *Baptismus Ioannis nullam prorsus efficiebat perveniendi ad gratiam Dei dilationem, simul atque accesserat quis, et peccata sua quantacumque, et qualiacumque fuisset confessus , in Iordanis flumine baptizabatur , et confestim peccatorum remissionem accipiebat.*
(9) S. Cyrillus *catech. 2.* scribit: *Ioannis Baptismum remissionem peccatorum contulisse : Baptismum vero Christi adoptionem importare filiorum.*
(10) S. Optat. Milevit. *lib. 3. contra Parmen.*
(11) S. Augustinus *lib. 5. contra Donatistas cap. 10.* Suamque sententiam inibi apertius exponit , dum inquit : *Si Baptismo Ioannis peccata dimittebantur: quid amplius praestare potuit Baptismus Christi eis, quos Apostolus Paullus post Baptismum Ioannis Baptismo Christi voluit baptizari?* Et alibi in *can. Baptismus 26. de const. 4.* Plura de Ioannis Baptismo enucleat Doctor Angelicus *par. 3. quaest. 38.*

dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis, quos iussit Apostolus denuo baptizari, per Baptismum Christi esse collatam, non ago pugnaciter.

IV. At errorem Petiliani Donatistae, qui unum et Ioannis, et Christi Baptismum opinabatur tribus gradibus ita consecratum, ut aquam a Ioanne, Spiritum a Christo, ignem a Paracleto datum crederet: refellit acriter S. Augustinus (1). Qui vero longius aberrarunt Melancton Bucerus, Zuinglius, ceteri Ecclesiae hostes recentiores, humanum Praecursoris lavacrum divino Christi Baptismo prorsus aequantes, paremque utriusque virtutem facientes in ministerio, et effectibus: eos profligavit Synodus Tridentina (2): *Si quis* ergo *dixerit, Baptismum Ioannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

V. In Iordane primum Christus Dominus Baptismum instituit, ubi aquis tactu purissimi corporis sui ablutis vim sanctificandi dedit (3), coelisque apertis SS. Trinitatis mysterium caepit revelari. Mox ad salutem esse omnino necessarium edixit, inquiens (4): *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Tum idem ipse Christus in Spiritu sancto quidem, ut Ioannes praedixerat, sed ministerio discipulorum suorum multo plures, quam in aqua sola Ioannes, baptizavit (5). Novo tandem Testamento morte sua firmato, in coelum ascensurus dedit hominibus potestatem baptizandi *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (6). Instituto autem ante passionem dominicam Baptismo, nonnisi mors Christi foecunditatem indidit spiritalem, nam docente Apostolo (7), *quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.*

VI. Ex diversis sacrae Scripturae enunciationibus Baptismus diversa gerit nomina. Dicitur quippe *lavacrum regenerationis, secunda nativitas* filiorum Adae (8), et *adoptio filiorum Dei* (9), Sacramentum *fidei* (10), *illuminationis*, et *poenitentiae* (11), Sacramentum *mortis*, *et*

(1) S. August. *lib. 2.* contra litteras Petiliani *cap. 32.*, *34*, *et 37.*

(2) Trid. *sess. 7. de Baptismo can. 1.*

(3) S. Ambrosius *lib. 2. in Luc. Baptizatus est Dominus*, ait, *non mundari volens, sed mundare aquas: ut ablutae per carnem Christi . . . Baptismatis ius haberent.* Idemque *lib. 1. de Sacr. in can. per aquam 9. de consecr. dist. 4.* Consonat Chromatius in seq. *can. nunquam 10.* S. Aug. in *can. aliud est 39. eadem dist.* S. Thom. *par. 3. qu. 66. art. 2. in C. Virtutem hanc*, ait, *accepit Baptismus, quando Christus est baptizatus.*

(4) Ioannis *c. 3. v. 5.*

(5) Ioannis *cap. 3. vers. 22.*, *et seq.*, *et cap. 4.* Videndus ad id S. Augustinus *tract. 5. in Ioann.* supra laudatus *tit. 2. num. 43.*

(6) Ioannis *cap. ult.*

(7) *Ep. ad Romanos cap. 6. vers. 3.*

(8) Ex Nicodemi interrogationibus, et Christi responsis apud Ioannem *c. 3.*

(9) Ioannis *cap. 1. vers. 13.* Et Paullus ad Roman. *8. vers. 15. Accepistis*, ait, *spiritum* adoptionis filiorum.

(10) *Iustificans eum, qui est ex* fide *Iesu Christi*, ait Apostolus *ad Roman. 3. v. 27.* Quandoquidem in Baptismo publica fit Christianae fidei professio, societati fidelium, et Christi militiae nomen datur, et vicissim habitus fidei suscipitur.

(11) A S. Iustino *apologia 1. num. 61.* Nam Apostolus scribit *ad Hebraeos*

sepulturae Christi, *ac vitae novae* (1), *spes promissionis* (2), *circumcisio spiritualis* (3) *ianua*, *et fundamentum Sacramentorum omnium* (4), *et prima tabula post naufragium* (5).

VII. Quid sit Baptismus, quaerenti respondebis more Logicorum: *est Sacramentum in aquae lavacro*, *et verbis evangelicis*, *abluens animam* (6), nisi malis cum Romano Catechismo definire *Baptismum esse Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.*

VIII. Veram, naturalemque dumtaxat aquam, quae vilissima rerum et communissima, et cuique praesto semper est, quum maris, fontis, fluvii, stagni, putei, paludis tum glacialem, vel pluviam in hoc Sacramento vice materiae fungi, sic aperte indicant iam recitata Scripturae oracula, ut nihil supra (7). Addantur et alia ex Apostolorum Actis (8), aeque perspicua, quae simul ostendunt Candacis eunuchum a divo Philippo, Cornelium Centurionem, multosque Caesareenses ab Apostolorum Principe, nonnisi aqua naturali baptizatos.

6. v. 4. Impossibile est eos, *qui semel illuminati sunt . . . rursus renovari ad poenitentiam.* Et *cap. 10. v. 35. Rememoramini pristinos dies*, *in quibus* illuminati *magnum certamen sustinuistis passionum.* Hinc S. Cyrillus Hierosolymis catecheses *illuminatorum* inscripsit, idest baptizatorum. Hermeti opinanti aliam non admittendam fore post Baptismum poenitentiam respondit Angelus Baptismum non esse veram poenitentiam, sed remissionem *l b. 2. de Pastore mand. 4.* S. Iustinus in *dialogo cum Tryphone n. 14.*, *et 43. lavacrum poenitentiae*, *et cognitionis Dei . . . quod solum poenitentes*, puta adultos, *expiare potest.*

(1) Consepulti *enim sumus* (scribit Paullus) *ad Romanos 6. v. 47 cum illo per Baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris*, *ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Et rursus ad Colossenses *2. v. 12.* Consepulti *et in Baptismo*, ait, *in quo*, *et resurrexistis per fidem.*

(2) Idem *ad Ephesios cap. 2. v. 12. Eratis in illo tempore sine Christo...* promissionis spem *non habentes.*

(3) Idem *ad Colossenses cap. 2. v. 16. In Christo circumcisi estis* circumcisione non manu facta *in expoliatione corporis carnis: sed in* circumcisione *Iesu Christi*, *consepulti ei in Baptismo.* Videsis S. Iustinum in *dialogo cum Tryphone num. 43.* Hinc insignes nonnullorum circumcisiones ideo acuta petra factas monet divus Thomas, ut praenuntiaretur Christi, qui petra est Ecclesiae, spiritalis circumcisio.

(4) A Bonifacio VIII. in *cap. 2. de cognat. spirit. in VI.* Huc pertinet visio tertia Hermae, seu turris magnae venerabilis Mulieris super aquas extructae, quam refert Fleury *lib. 2. hist. num. 43.* S. Cyprianus *ep. ad Iubaianum* ait: *Inde* a Baptismo *incipit omnis fidei origo*, *et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio.*

(5) A Patribus Tridentinis *sess. 14. cap. 2. de Poenitentia.*

(6) Hanc definitionem conflant ea Apostoli verba ad *Ephesios cap. 5. vers. 25. Christus dilexit Ecclesiam . . . mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Alias vel redundantes, vel muncas, vel obscuras definitiones ita refellere, ut istam tutari Logicis promptum est.

(7) Tertullian. *lib. de Baptismo cap. 4.* Catech. Rom. *de Baptism. n. 3.*

(8) Act. Apost. *cap. 8. vers. 36*, *et seq. Dum irent per viam*, *venerunt ad quamdam* aquam, *et ait eunuchus: ecce* aqua, *quid prohibet me baptizari? . . et descenderunt uterque in* aquam, *Philippus*, *et eunuchus*, *et baptizavit eum.* Tum *cap. 10. v. 47. Respondit Petrus: numquid* aquam *quis prohibere potest*, *ut non baptizentur hi*, *qui Spiritum Sanctum acceperunt*, *sicut et nos?*

IX. Manichaei (1) aquam a malo principio proditam delirantes, Baptismum in aqua nedum inanem, sed noxium opinabantur. Luthero (2) omnium dementissimo quicumque liquor, vinum quoque, visus est aptum Baptismo elementum. Et lacte ob aquae penuriam Armenos baptizasse criminatur Thomas Valdensis (3). Audacior Calvinus evangelicam aquae regenerationem, non ad litteram de aqua naturali accepit, sed ad metaphoram de tribulatione, et cordis compunctione detorsit communem sensum. Qui sacrarum Scripturarum et sensus, et litterae severos sese custodes iactabant: cur nisi furentes utrumque in tanta re perspicuum perdidere? Eos itaque summo iure diris devovit Synodus Tridentina (4), definiens: *Si quis dixerit aquam veram, et naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque adeo verba illa Domini Nostri Iesu Christi*, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et *Spiritu Sancto, ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit.*

X. Obiiciunt haeretici illud Ioannis effatum (5): *ego baptizo vos in aqua. . . ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igne.* Hocque alterum Christi Domini post resurrectionem (6). Ioannes *quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos dies.* Exinde aquam in Christi Baptismo ita vetitam coniecerunt alii cum Seleucianis, et Hermianis (7), tanquam differentiae signum in baptismo Ioannis: ut Iacobitae, Cophtitaeque baptizandos in fronte signarent ferro ignito (8), et Simoniani praestigium ignis in lavacro baptismali adhiberent (9). Calvinistae demum somniatae in regenerante aqua metaphorae addunt metaphoram ignis, alteram altera tutantes.

XI. At vero Apostolorum consuetudo ex sacris etiam litteris explorata, et constans eorum traditio, quam tenent omnes Graeci, Latinique Patres, non modo necessarium in Baptismo elementum aquae naturalis ostendunt, eamque litterali sensu in Evangelio acceptam: sed

(1) Quos redarguit S. Augustinus *lib. de haeresibus haer. 46.* Iis adduntur Caiani Valentinianorum soboles, et Quintiliani, simul reiecti a Tertulliano *lib. de Baptismo cap. 1., et 2.*

(2) Luther. *in colloq. Symposian. cap. 17.*, quem sectatur Teodorus Beza *ep. 2. ad Thomam Tilium.* In partes suas si vocant Stephanum III. Papam saeculi VII., qui probasse Baptismum vino, quum aqua deficeret, collatum infanti moribundo, fertur apud Sirmondum *to. 2. Concil. Galliae* nil agunt. Nam responsum eiusmodi pontificium manifesta laborat falsitate.

(3) Th. Waldensis *lib. 2. cap. 114.*

(4) Matth. *cap. 3. v. 11.*

(5) Actor. *cap. 1. v. 5.*

(6) Quos memorat, refellitque S. Augustinus *lib. de haeresibus haer. 59.*

(7) Si credimus Bernardo Luthemburgensi *lib. 2. catalog. haereticorum ver. Iacobitas*, et Iacobo a Vitriaco *in hist. Hierosol. cap. 75.*

(8) De quibus Anonymus *in tract. de Baptismo*, S. Cypriani operibus post *ep. 74. ad Pompeium* intermixto. Eo imbutus errore videtur Spencerus scribens *tom. 1. de leg. Hebraeor. ritual. cap. 10. de prohibito transitu per ignem in honorem Molochi sect. 4. num. 5. pag. 481.*, quod *forsan Dominus noster Apostolos non aqua tantum, sed et igne baptizari, et regni sui mysteriis initiari voluit, ut instituta sua ad morem gentilium . . . accommodaret.*

(9) Ubi docet Catechismus Roman. *de Baptismo n. 7.*

ignem quoque in Christi Baptismo praedictum a Ioanne ad Sacramentum regenerationis nullimode pertinere. Nam ignis ille *vel ad intimum Spiritus sancti effectum*, *vel certe ad miraculum referri debet, quod die Pentecostes apparuit, cum Spiritus Sanctus e coelo in Apostolos ignis specie delapsus est* (1).

XII. Tametsi aquam in solemni Baptismo adhibendam consuevit Ecclesia quum exorcismis, et mysticis benedictionibus, tum chrismatis infusione praeparare : tamen execrata est Marcosios Gnosticorum sectarios, qui eam alio liquore omnino commiscendam rebantur.

XIII. Proba quidem semper est *ablutio* sacramentalis, tam si per *immersionem*, quam si per *effusionem*, *aspersionemve* adhibeatur aqua. Nam et immersos, seu tinctos, et perfusos, atque aspersos, qui ab initio baptizabantur, legimus: *Descenderunt uterque in aquam*, *Philippus*, *et eunuchus*, tum ascenderunt post Baptismum de aqua (2). Romanos immersos alloquens Paullus (3), *consepulti sumus*, inquit, *cum illo per Baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris*, *ita et nos in novitate vitae ambulemus*. Idipsum quoque ad Colossenses rescripsit. Tertullianus etiam, *quos Petrus in Tiberi tinxit*, memorat (4). *Dehinc*, alibi eumdem describens morem, ait, *ter mergitamur* (5). *Baptizari*, *et demergi deinde sursum remeare*, *et emergere*, *est symbolum*, *seu signum descensus ad inferos*, *et ex eo adscensus*, monet Chrysostomus (6). Haec plane commonstrant Apostolos immersione usos frequentissime. Sed aliquando iidem ipsi vel aspersionem, vel perfusionem adhibuisse feruntur, ubi vel aquarum copia deesset, vel vita periclitantibus, aliave causa praepeditis facultas ingrediendi aquas, et quum tria millia hominum uno die in Ierusalem sermocinanti Petro credentes baptizati sunt (7); non enim verosimile est potuisse tot, tantosque singulatim die uno immergi. Apostolicam consuetudinem, traditionemque secuta exinde Ecclesia consuevit catechumenos, vel in carceribus detrusos (8), vel aegrotos clinicos (9) aqua perfundere, quum baptizarentur.

(1) Eos refellit S. Epiphanius *haer. 34.*
(2) Actor. *cap. 8. vers. 39.*
(3) *Ep. ad* Romanos *cap. 6. vers. 4*, tum ad Coloss. *cap. 2. v. 12.*
(4) Tertull. *lib. de Baptismo.*
(5) Idem *lib. de coronâ militis cap. 3.*
(6) Chrysost. *hom. 40. in ep. 1.* ad Corinth. Consonant Cyrill. Hieros. *catech. 17. n. 8.*, et Synodus Toletana IV. *can. 6. to. 5. Conc.*
(7) Actor. *c. 2. v. 37.*
(8) Surius *to. 4. in actis B. Laurentii* haec habet: *Unus ex militibus, Romanus nomine*, *urceum adferens cum aqua opportunitatem captavit, qua eam offerret B. Laurentio*, *ut baptizaretur*. Hinc Walfridus Strabo *de reb. ecclesiast. cap. 26.* notat, *non solum mergendo*, *verum etiam desuper fundendo*, *multos baptizatos fuisse*, *et adhuc posse ita baptizari*, *si necessitas sit*, *sicut in passione B. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum.*
(9) Tertullianus *de poenitentia cap. 6.* vetustissimum aspersionis baptismalis morem innuit, scribens : *Quis enim* tibi (puta moribundo) *tam infidae poenitentiae viro asperginem unam cuiuslibet aquae commodabit ?* Cum Magnus Africanus Episcopus a B. Cypriano quaesivisset, an habendi essent legitimi Chri-

XIV. Cave, ne credideris a Cornelio Papa reiectum Baptismum aegrotanti Novatiano Antipapae perfusione collatum (1). Etenim epistola Cornelii attentius perpensa, indicat non de impresso charactere, aut Sacramenti validitate dubitasse Pontificem, sed an gratiam sanctificantem indignissimus Novatianus tunc Satana obsessus reapse accepisset.

XV. Immersionem utique apud Latinos quoque frequentiorem usque ad XIII. saeculum, quo S. Thomas floruit, fuisse, idemmet Angelicus Doctor (2) innuit. Dein perfusionis usus paullatim sine scripto iure adeo praevaluit, ut Latinos Graeci (3) post Florentinam Synodum temere criminarentur, quod ea in re antiquam mutassent disciplinam. Profecto ex iam dictis liquet alterutram abluendi formam a priscis Patribus aeque probatam, usuque sibi receptam. Utramque idcirco retinendam iubet Rituale Romanum Paulli V. (4).

XVI. Trina ablutio, an unica fiat, nihil referre tradit divus Gregorius M. (5) : quum et mysterium Trinitatis, et triduanam Christi sepulturam trina designet : unica vero Divinitatis unitatem. Attamen canonibus vulgo Apostolorum (6), et a Pelagio Papa (7) vetitum, ne baptizandi mergerentur semel. Sed Toletana Synodus IV. (8) simplam censuit adhibendam immersionem fore, ut errorem retunderet eorum, qui celebratum unica tinctione Baptismum putabant inanem. In illis Ariani fuere, coaequalem unius Dei essentiam in tribus Personis diffitentes ex

stiani aqua salutari non loti, sed abluti in infirmitate, et languore: Cyprianus *ep. 76.* ad eum respondit, Baptismum eiusmodi utique valere, nec iterandum fore. *Nec quemquam* (ait) *movere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur : quandoquidem Scriptura S. per Ezechielem Prophetam loquatur, et dicat:* Aspergam super vos aquam mundam . . . *Unde apparet aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere.* Idipsum trădit S. August. *lib. 6. contra Donatistas cap. 7.*

(1) Cornelius *ep. ad Fabianum* apud Euschium *lib. 6. hist. cap. 43. Huic* (puta Novatiano) *causam*, ait, *atque initium credendi praebuit Satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiu commoratus : cumque ab Exorcistis foveretur in morbum gravissimum collapsus, dum iam, iamque moriturus creditur, in ipso, in quo iacebat, lectulo perfusus Baptismum suscepisse dicendus est.*

(2) S. Thom. *par. 3. qu. 66. art. 7. in C. Tutius tamen est*, inquit, *baptizare per modum immersionis, quia hoc habet communior usus.*

(3) In his Marcus Ephesinus *epistola ad omnes orbis Episcopos* data post Florentinum Concilium, et Ieremias Patriarcha Constantinop. *resp. 1.* Porro Graeci adhuc immersionem fere solam usurpant.

(4) Rit. Roman. haec habet: *Baptismus licet fieri possit, aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem : primus tamen, vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.*

(5) S. Greg. M. Leandro Hispaniarum Episcopo in *can. de trina mersione 80. de cons. dist. 4.*

(6) *Can. si quis presbyter. 79. ead. dist.* Tertullianus *lib. de Trinit. contra Praxeam cap. 26. Nec semel*, ait, *sed ter ad singula nomina, in personas singulas tinguntur.*

(7) *Can. multi sunt 82. dist. 4. de cons.*

(8) Syn. Toletan. IV. in *can. propter vitandum 83.* ibidem.

triplici, distinctaque earum invocatione in Baptismo, et frustra baptizantes *in nomine Patris maioris, Filii minoris, et Spiritus Paracleti.* Quemadmodum et Anomaei eiusdem sectae in nominibus *Dei increati*, et *Spiritus sanctificantis a creato Filio procreati* (1).

XVII. Enimvero non aliis, nisi *evangelicis verbis* in Sacramentum evadit *aquae lavacrum:* videlicet *ego te baptizo*, ut Latini loquuntur, vel *baptizatur servus Christi*, ut Graeci, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (2). Haec ipsa porro verba Christus Dominus instituit in Evangelio (4). *Ecquis nesciat*, inquam cum S. Augustino (3), *non esse Baptismum Christi, si verba evangelica, quibus Symbolum constat, defuerint?* Itaque si *evangelicis verbis (in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti) Marcion Baptismum consecrabat: integrum erat Sacramentum* (5). *Si quis* autem *dixerit Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, non esse verum Baptismum anathema sit* (6).

XVIII. Praeter Arianos sunt et alii aeque perfidi, qui evangelicam Baptismi formam vitiare non dubitarunt. Simon magus primum, deinde Menander in nomine quisque suo Baptismum dare aggressi sunt (7). Marcosianos Marci praestigiatoris discipulos, et Valentinianos proscribit S. Irenaeus (8) baptizantes *in nomine ignoti rerum universarum parentis, et veritatis omnium genitricis, et illius, qui in Iesum descendit in unione, et redemptione, et communione virtutum.* S. Basilius (9) Montanistas execratur ausos baptizare *in nomine Patris, et Filii, et Montani, et Priscillae.* Paulli Samosateni sectarios, quod Trinum in personis Deum in Baptismo etiam conferendo abnegarent, unumque solummodo faterentur rebaptizandos in Ecclesia catholica fore decrevit prima Synodus Nicaena (10). Aliique Paulicia-

(1) S. Epiphan. *haer. 70. Anomaeorum.*
(2) Id quod iam superiori *tit. II. n. XXXVII.* praemonitum est.
(3) Matthaei *cap. 28.*, et Ioan. *cap. ult.* paullo superius laudato hoc *tit. n. 3.*
(4) S. Aug. *lib. 6. contra Donatistas cap. 25.*
(5) Idem *lib. 3. de Baptismo contra Donat. cap. 15.*
(6) Trid. *sess. de Baptismo can. 4.*
(7) Quos ideo derisit Tertullianus *de praescr. cap. 46. Quidquid se Simon dixerat, hoc se Menander esse dicebat, negans quempiam habere posse salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset.*
(8) S. Iren. *lib. 1. contra haeret. cap. 18*, et Theodoret *lib. 1. cap. 9.*
(9) S. Basil. *ep. 1. ad Amphiloch. cap. 1.* De iis loquens S. Gregorius M. *lib. 9. ep 61. ad Quirinum: Ili haeretici*, ait, *qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, sicut sunt Cataphrygae, quia Spiritum S. perverso sensu esse praecum quemdam hominem Montanum credunt . . . cum ad S. Ecclesiam veniunt: baptizantur.*
(10) Nic. Syn. I. *can. 19.* S. Augustinus *lib. de haeresibus ad Quodvultdeum cap. 44 Istos sane Paulianos*, scribit, *baptizandos esse in Ecclesia catholica, Nicaeno Concilio constitutum est. Unde credendum est eos regulam Baptismatis non tenere, quam secus multi haeretici, cum de catholica discederent, abstulerunt.* Nam idemmet Concilium *can. 8.* censuit, ut Novatiani ad Ecclesiam redeuntes non rebaptizarentur, sed sola manuum impositione reconciliandi essent: quippe qui *tremendis, venerandisque nominibus* SS. Trinitatis *in*

ni (1) illis aliis Christi verbis: *Ego sum aqua viva* (2), suos ad fidem initiabant inanem. *In tribus sine initio Principiis, et in tribus Filiis, et in tribus Paracletis* sacrum alii Baptismum profanarunt (3), praesertim Gnostici, et Priscillianistae, quos Synodus Bracarensis (4) damnavit, Trithaeistaeque. Adduntur a Theodoreto (5) Eunomiani, non in Trinitatis nomine, sed in Christi solum morte ministrantes Baptismum.

XIX. Quod in solo Christi nomine Apostoli aliquando baptizassent, vulgaris opinio (6) est, eaque omnino improbanda. Apostolis porro ipsis Christus Dominus iussit, ut *euntes* docerent omnes gentes, *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (7). Cur itaque fieri potuit, ut mysterium Trinitatis a Christo expresse imperatum, et praecipuum Christianae fidei fundamentum Apostoli baptizantes siluissent? Quo ipsi iure poterant legem sibi a Domino ita indictam spernere? Quaeque illius spernendae caussa umquam fuit? Ut nomen Christi, aiunt, Iudaeis, et gentibus exosum, fieret venerabilius. Unde id quaeso norunt, silentibus Scripturis et priscis Patribus? Num vero quis hic erit, qui sibi persuadeat ad nomen Christi maiorem fuisse gloriam ex Trinitatis silentio, quam ex invocatione accessuram? Num ne Apostoli a praedicando Trinitatis mysterio abstinuere, ut nomen Christi magis commendarent?

XX. Fertur quidem in Actis Apostolorum (8) divus Petrus dixisse: *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.* Et rursus, *numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut et nos? et iussit eos baptizari in nomine Iesu Christi.* Ad Saulum Ananias, *et nunc quid moraris?* inquit, *exurge, et baptizare, invocato nomine ipsius* (9). Ephesii quoque discipuli, audito Paullo ibidem (10) dicuntur *baptizati in nomine Domini Iesu.* Ad Ro-

Baptismate uterentur, inquit Innoc. I. *ad Episcopos Macedoniae cap. 5.* Consonant Synodus Arelatensis I. *can. 8.*, *et can. 49.* vulgo *Apostolorum*, atque unanimis SS. Patrum consensio.

(1) Quos ab alio quodam Paulo Manichaeo exortos sexto saeculo, tradit Card. Gotti *de verit. Relig. Christ. to. 2. cap. 79. §. 3. de Paulicianis.* Eorumque haeresim memorant Euthymius Panopliae *par. 2. tit. 20.*, et Vossius de Baptismo *disp. 1. thes. 2.*

(2) S. Ioannis *cap. 4. vers. 10.*

(3) *Can. 48.* vulgo *Apostolorum.* Vigilius Papa *ep. 2. cap. 6. Si quis*, ait, *in duobus, aut tribus Patribus baptizavit, aut in tribus Filiis, aut in tribus Paracletis, proiiciatur de Ecclesia Dei.*

(4) Syn. Bracaren. I. *can. 2. to. 5. Collect. Labbaean.*

(5) Theodoretus *lib. 4. haereticar. fabular., et can. 50.* vulgo *Apost.*

(6) Glossa in *cap. 1. de Baptismo*, et in *can. a quodam Iudaeo 24. de cons. dist. 4.*

(7) Matthaei *cap. 28. vers. 16., et seqq.* Auctor *can. 49.* vulgo *Apost. Non enim dixit Dominus: in mortem meam baptizate, sed profecti docete omnes gentes etc.*

(8) Actor. *cap. 2. vers. 38., et cap. 10. vers. 47., et seq.*

(9) Actor. *cap. 22. vers. 16.*

(10) Actor. *cap. 19. vers. 5.*

manos (1) deinde scribens Apostolus, *quicumque baptizati sumus* (ait), *in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem.* Tum quod *et Æthiops Candacis reginae baptizatus in Christo plenum mysterium consecutus est*, scribit B. Ambrosius (2), rationem addens: *quia . . . si Christum dicas, et Deum Patrem; a quo unctus est Filius, et ipsum, qui unctus est, Filium, et Spiritum, quo unctus est, designasti.* Et Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum respondit, *si in nomine sanctissimae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legimus, baptizati sunt, unum quippe, idemque est, ut S. exponit Ambrosius, constat eos non esse rebaptizandos* (3).

XXI. At quoniam recitatae Actorum Apostolorum enunciationes nullam porro voculam habent exclusoriam, quae nomen augustissimum Trium Personarum a baptizantibus Apostolis reapse reticitum significet, vel adscriptum iis privilegium, quod gratis effingunt, baptizandi in solo Christi nomine, variandique formam ab ipso Christo imperatam: ratio postulat, ut cum priscis Patribus et graecis, et latinis teneamus Apostolos, nonnisi verbis evangelicis, invocatoque SS. Trinitatis nomine baptizasse in virtute, et auctoritate a Christo accepta, quoties *in nomine Christi baptizantes* ii dicuntur. In primis S. Cyprianum (4) audiamus ita explicantem enunciata Actorum verba: *Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adiungeretur: ubi post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur*, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. *baptizare gentiles iubentur.* Quomodo *ergo quidam dicunt . . . . modo* in nomine Iesu Christi *gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari iubeat in plena, et adunata Trinitate?* Origenes (5) epistolam ad Romanos exponens inquirit, *cur hic Apostolus solius Christi in Baptismo nomen assumpsit, dicens:* quicumque baptizati sumus in Christo: *cum utique non habeatur legitimum Baptisma, nisi sub nomine Trinitatis? Sed intuere prudentiam Pauli, quoniam in praesenti loco non tam Baptismatis rationem, quam mortis Christi discutere cupiebat, ad cuius nos similitudinem etiam suaderet mori debere peccato, et consepeliri cum Christo. Et non erat utique conveniens, ut ubi de morte dicebat, vel Patrem nominaret, vel Spiritum Sanctum. Verbum enim caro factum est, et merito, ubi caro est, ibi de morte tractatur. Nec conveniebat, ut diceret:* quicunque baptizati sumus in nomine Patris, vel in nomine *Spiritus Sancti*, in morte ipsius baptizati sumus. *Unde observanda est in hoc loco, et in ceteris consuetudo Apostoli, quod non semper cum aliquid ex Scripturis assumit integrum textum ver-*

(1) *Ep*, Ad Romanos *cap. 6. vers. 3., et seqq.*
(2) S. Ambros. *lib. 2. de Sacram. cap. 5.* Sunt tamen, qui libros sex Sacramentorum falso inscribi divo Ambrosio tenent.
(3) Nicol. 1. saec. IX. in *can. a quodam Iudaeo 24. de cons. dist. 4.*
(4) S. Cyprian. *ep. 73. ad Iubaianum.*
(5) Origenes *lib. 5. in epist. ad Romanos.*

borum , ut in suo loco positus est , assumit : sed ea tantum , quae praesentis loci requirit assertio. Hucusque Origenes. S. Athanasius (1) idipsum requirens, *numquid praevaricatores,* ait, *mandati Salvatoris Apostoli effecti , et contra traditionem eius baptizarunt tantam multitudinem ? . . . Absit. Nam licet Filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen et Patrem, et Spiritum secum pronunciatum.* Ad Corinthios scribens Apostolus (2), his verbis utitur : *sed abluti estis, sed sanctificati estis in nomine Domini Iesu Christi , et Spiritu Dei nostri. Quid ,* Chrysostomus (3) inquit , *quid ergo heus tu? An non isti in Patris nomine baptizati sunt ? Si id ita est : ergo nec abluti , nec sanctificati sunt. Atqui Baptismo certe tincti fuerant. Quid ergo causae est , quamobrem non dixerit:* abluti estis in nomine Patris ? *Quia nihil referre censebat , an modo huius, modo illius Personae meminisset. Idque tu ipse in plerisque epistolarum locis in usu, atque consuetudine positum fuisse reperies.* Ante hos iam S. Basilius M. (4): *neminem vero ,* inquit, *in fraudem inducat illud Apostoli , quod Patris , et Spiritus Sancti mentionem in Baptismatis commemoratione frequenter omittit, neque ideo putet harum vocum usum esse indifferentem:* quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis: quicumque in Christo baptizati estis , in mortem illius baptizati estis. *Siquidem Christi appellatio, totius Deitatis est professio, quippe quae simul declarat et Deum , qui unxit , et Filium , qui unctus est , et Spiritum sanctum , qui est unctio , quemadmodum a Petro in Actis didicimus* (5) : Iesum Nazarenum , quem unxit Deus Spiritu sancto. *Videretur tamen interdum et Spiritus tantum in Baptismate mentionem fecisse Apostolus.* Omnes, *inquit* (6), in uno corpore, et in uno Spiritu baptizati sumus. *His illud consonat* (7) : Vos baptizabimini in Spiritu sancto. *At non ideo quis dixerit perfectum esse Baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est: oportet enim inviolabilem manere traditionem . . . Fides, et Baptisma duo sunt modi parandae salutis, inter se cognati, et inseparabiles. Nam fides perficitur per Baptismum , Baptismus vero fundamento fidei nititur , et utraque res per has voces impletur. Sicut enim credimus in Patrem , et Filium , et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.*

XXII. Ipsa Scripturae obiecta monimenta , si inspiciantur penitius , hunc a Patribus traditum sensum sat patefaciunt. Sciscitanti Paullo, an *Spiritum Sanctum* accepissent *credentes*, responderunt Ephesii discipuli : *neque si Spiritus sanctus est , audivimus.* Tum Paullus conti-

(1) S. Athanasius *lib. de Trinitate.*
(2) Ad Corinth. *cap. 6. vers. 11.*
(3) S. Io. Chrysost. *hom. 29. in ep. 2. ad Corinth.*
(4) S. Basil. *lib. de Spiritu Sancto cap. 12.* Consonant S. Iustinus *apolog. 2.*, Tertullianus *lib. de Baptismo cap. 13.*, Didymus *lib. 2. de Spiritu S.* Damascenus *lib. 4. de fid. orthod. cap. 16.*, Facundus Hermianensis Episc. *lib. 1.*
(5) Actor. *cap. 10. vers. 28.*
(6) *Ep. 1. ad Corint. cap. 12. v. 13.*
(7) Actor. *cap. 1. vers. 5.*

nuo: *In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: in Ioannis baptismate.* Deinde cum audissent ab Apostolo, quid inter Ioannis, et Christi Baptisma interesset, *baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, uti habet Actorum textus (1). Si consuevissent Apostoli baptizare in solo Christi nomine, cur Ephesios urgere Paullus posset, quod non audissent in Baptismate Spiritum sanctum? Itaque explicitam Trinitatis individuae professionem, invocationemque baptizantibus Apostolis in nomine Christi sacrae Litterae non adimunt. *Facienda omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias tamen agentes Deo, et Patri per ipsum*, idem docet Apostolus (2). Huic rei fax tandem addatur Augustini fulgentissima (3): Si *autem, quia non est*, ait, *nominatus Spiritus sanctus, quando de Filio dictum est:* omnia per ipsum facta sunt: *ideo putas Dei Spiritum non esse Creatorem, procul dubio nec in eius nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus:* Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi: *quia nec ait*, et Spiritus sancti, *nec in Patris, nomine, quia nec ipse est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre, et Spiritu sancto*, in nomine Iesu Christi *iussi sunt baptizari, et tamen non intelliguntur baptizati, nisi* in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *cur non sic audis de Filio Dei* (omnia per ipsum facta sunt), *ut et non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum sanctum?*

XXIII. Hanc ipsam Augustini, et Basilii, aliorumque Patrum sententiam nunc pronum est deprehendere in obiectis divi Ambrosii verbis paullo obscurioribus reconditam, quae aliorsum detorquere conantur adversarii. Id unum porro adstruit sanctus Doctor, nil defuisse ad mysterii plenitudinem, valoremque Baptismi, ubi unam SS. Trinitatis Personam sacer textus exhibet invocatam, ex implicita trium omnium fide. At nusquam alicubi asserit Apostolos in forma Baptismi solum Christi nomen expressisse.

XXIV. Enucleandum superest Nicolai I. responsum, quod ea in re, ut mendosam privati Doctoris opinionem respuunt Theologi (4). Cardinalis Bellarminus (5), ut ceteros praeteream, respondet: *Nicolaum non definiendo quaestionem de fide illud dixisse, sed solum, ut doctorem particularem exposuisse obiter opinionem suam. Nam quod ille intendebat docere in illo canone, non erat de forma Baptismi, sed tantum de ministro, de quo interrogatus fuerat. Itaque postea quam responderat, et definierat, Baptismum esse ratum, etiamsi a Iudaeo, vel a Pagano detur, quae erat praecipua quaestio: additur obiter Baptismum esse ratum, sive in nomine trium Personarum, sive in nomine solius Christi detur.*

(1) Actorum *cap. 19.*
(2) Ad Colossens. *cap. 3. vers. 5.*
(3) S. Aug. *lib. 2. contra Maximin. Arianum Episc. cap. 27.*
(4) Melchior Canus *lib. 6. de locis theolog. cap. 8. ad 7*: Estius *in 4. sent. dist. 3. §. 5*, Sylvius *comm. in par. 3. S. Thom. qu. 26. art. 6.*
(5) Bellarmin. *lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 12.*

XXV. In partes adversas sunt qui trahant divum Thomam (1) dicentem, *quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudaeis, et gentilibus, honorabile redderetur.* Reponunt autem cordatiores Thomistarum (2) id ab Angelico Doctore dictum non ex animi sui sententia, quippe qui rem ab Apostolis gestam praeteriit expendere : sed ut, ea ipsa re per hypothesim concessa, refelleret eos, qui opinantur datum in solo Christi nomine Baptismum apostolico exemplo valere.

XXVI. Reprobanda simul ex iam dictis est Magistri Sententiarum opinio quamvis ambigua (3) : *verum Baptisma dari posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus Sancti tantum: si tamen ille, qui baptizatur, fidem Trinitatis teneat . . . Tutius esse tamen tres Personas nominare.* Quemadmodum et alia divi Bernardi (4) apertius falsa, de valido Baptismo collato *in nomine Dei, et sanctae, et verae Crucis.* Tum ea Cardinalis Caietani (5) Baptismum ratum habentis *in nomine Trinitatis* generatim, cum trium Personarum silentio. Nam nisi earum singulae invocentur iisdem omnino verbis evangelicis a Christo Domino enunciatis, quae idcirco sunt immutabilia Sacramentum esse validum nequibit.

XXVII. Eodem Christi praecepto, qui *docete*, inquit, *baptizantes eos*, praetermitti non potest verbum *baptizo te* (6). Non defuere, quibus id supervacaneum videretur (7). Ecclesiam mundari *lavacro aquae in verbo vitae*, Apostolus docet (8). Et *verbum* accedere ad elementum, ut inde Sacramentum fiat, explicat S. Augustinus (9). Si quaeras, *quodnam est illud verbum, quo accedente ad elementum fit Sacramentum?* Magister Sententiarum (10) respondet: *invocatio Trinitatis* verbum *dicitur*, *quo Baptisma consecratur*, *et haec est forma verborum, sub qua traditur Baptismus.* Attamen Alexander III (11) consultissime rescripsit puerum ter in aquam *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* immersum ab eo, qui nuspiam dixerit, *ego te baptizo* non esse baptizatum. Adversamque opinionem proscripsit etiam Alexander VII. (12).

XXVIII. Quae hactenus dicta sunt de *aquae lavacro*, et *verbis evangelicis*, praeseferunt externam Baptismi differentiam a ceteris Sa-

(1) S. Thom. *par. 3. qu. 69. art. 6. ad 1.*
(2) N. Alexander *in hist. saec. III. diss. 13.*
(3) Petrus Lombard. *lib. 4. dist. 3.*
(4) S. Bernard. *ep. 340.* ad Henricum Archidiaconum.
(5) Card. Caietan. *comm. in S. Thom. par. 3. qu. 66. art. 5.*
(6) Quod exposui superiori *tit. 2. num. 37., et seq.*
(7) Praepositus *par. 4. sum. theolog.* scribit eam Parisiensibus Theologis sententiam arrisisse, quam et ipse sectatur.
(8) Ad Ephesios *cap. 5. vers. 25.*
(9) Superius laudatus *tit. 2. num. 30.*
(10) Magister Sentent. *lib. 4. dist. 3.*
(11) *Cap. si quis 1. de Baptismo, et eius effectu.*
(12) Inter propositiones 31. ab eo damnatas *num. 27.*

cramentis. Nunc interior altera explicanda superest, *abluens animam*, quae in definitione simul additur. *Baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur spiritalis effectus, quod delictis liberamur*, inquam cum Tertulliano (1).

XXIX. Propria quidem huius Sacramenti virtus est labe originaria, cunctisque superadditis peccatorum sordibus *animam abluere* cum plenaria remissione poenarum : *Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis*, ait Apostolus (2). Et rursus: *quicumque baptizati sumus . . . hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato* (3). Ipseque hoc ab Anania audiverat (4) : *exurge, baptizare, et ablue peccata tua.* Itidem Apostolorum Princeps Iudaeos, Paganosque adlocutus : *baptizetur*, inquit, *unusquisque vestrum . . . in remissionem peccatorum vestrorum* (5). Consonant Prophetarum oracula superius memorata (6), et subsequens Patrum traditio. Tertullianus (7) : *Felix Sacramentum aquae, quia ablutis delictis pristinae coecitatis in vitam aeternam liberamur.* S. Cyprianus (8) : *Undae genitalis auxilio universam superioris labem detergi, expiari pectus hominis Christiani, et purum fieri : Baptismum esse mortem criminum, vitam virtutum.* S. Ambrosius (9) : *Aqua est, qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum: sepelitur illic omne vitium.* S. Augustinus (10) : *Baptismus abluit peccata omnia, prorsus omnia factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quae ignoranter, sive quae scienter admissa sunt.* Ceteri omnes in hoc unanimes.

XXX. Id unum in ablutis permanet, infirmitas naturae ad peccandum proclivis (11) seu stimulus carnis, angelus satanae, lex membrorum, fomes peccati, concupiscentia, ad agonem spiritalem relicta, ut qui legitime certaverit, coronetur. Eam in semetipso expertus Apostolus, *scimus*, ait (12), *quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato . . . Non enim quod nolo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me* peccatum . . . *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in* lege peccati, *quae est in membris meis.* Quum ab Apostolo *peccatum* dicta metonymice sit concupiscentia, quia illud

(1) Tertull. *lib. de Baptismo cap. 7.*
(2) *Ep. 1. ad Corinth. cap. 6. vers. 11.*
(3) Ad Romanos *cap. 6. vers. 6.*
(4) Actor. *cap. 22. vers. 16.*
(5) Actor. *cap. 2. vers. 38.*
(6) Hoc eodem *tit. 4. n. 1.*
(7) Tertull. *initio lib. de Baptismo.*
(8) S. Cyprian. *ep. ad Donatum.*
(9) S. Ambros. *lib. de initiandis cap. 2.*
(10) S. August. *lib. 3. contra duas Pelagianor. epistolas.*
(11) Pascasius in *can. iteratur 71. de cons. dist. 2.*, S. Aug. *in can. per Baptismum 2. de cons. dist. 4.*, Trid. *sess. 5. can. 5.*
(12) *Ep.* ad Romanos *cap. 7. vers. 14. et seqq.*

haec parit in illis tantum, qui ei consentiunt, et succumbunt: secus qui eam coercent viriliter obsistentes, quemadmodum et lingua vocari linguae locutio, et manus scriptura manu facta solent, uti exponit S. Augustinus (1); Synodus Tridentina (2) declarat, *Ecclesiam catholicam numquam intellexisse* peccatum *appellari concupiscentiam, quod vere, et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

XXXI. Hoc canone Pelagianorum error, in quem sunt Lutherus, et Calvinus etiam collapsi, depellitur. Peccata Baptismo non prorsus ablui, sed ita solummodo radi, instar capillorum, ut radices ea rursum pullulaturae relinquantur, ii somniabant (3). Idque S. Augustinum (4) sensisse calumniabantur, eoque antiquiorem Tyri Episcopum Methodium (5). Lutherani tum iactant pro se illud Davidicum (6): *Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Si remissis iniquitatibus peccata teguntur, si non imputantur: isti hinc ea seu tecta, seu non imputata manere adstruunt, deleri, aut ablui negant.

XXXII. At metaphora hac ambigua ultro falluntur, falluntque vecordes, dum alias contemnunt perspicuas. De hyssopo aspergente locutus idem ipse David, *mundabor,* inquit, *lavabis me, et super nivem dealbabor.* Hoc loco dicitur peccatorum remissio, ex Bellarmini senten-

(1) S. Aug. *lib. 1. de nuptiis, et concupiscentia cap. 23. Ipsa quidem concupiscentia iam non est* peccatum *in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur, atque, ut ea perpetrentur, a regina mente membra non dantur . . . Sed modo quodam loquendi* peccatum *vocatur, quod et peccato facta est, et peccatum, si ea vicerit, facit . . . . sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, et manus vocatur scriptura, quam facit manus.*

(2) Trident. *cit. sess. 5. can. 5.*

(3) Leo X. hunc *art. 2.* Lutheri iam profligaverat. *Aliud est omnia peccata remitti, aliud omnia tolli; Baptismus omnia remittit, sed nullum penitus tollit.* Calvinus *in antid. Conc. Trid. ad sess. 5.* haec evomit. *Manet vere peccatum in nobis, neque per Baptismum statim uno die extinguitur: sed quia deletur reatus, imputatione nullum est.*

(4) S. August. *lib. 1. contra duas ep. Pelagianor. cap. 13. Dicimus,* inquit, *Baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, et auferre crimina, non* radere, *nec, ut omnium peccatorum* radices *in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata. Nam et istam similitudinem comperi suae illos adhibere calumniae, tanquam nos hoc sentiamus, atque dicamus.*

(5) S. Epiphanius *haeresi 64.* tradit haec Methodium *lib. de resurrect. carnis contra Originem* scripsisse: *Vivente adhuc corpore necesse est simul vivere peccatum, intus in nobis suas radices abscondens, etiamsi forinsecus fuerit refroenatum . . . Quare constat contrahi quidem, ac sopiri per fidem nunc peccatum, ut ne fructus noxios producat, non tamen radicitus.* At qui aequiore animo integrum Methodii locum perspexerit eum ab Apostoli sensu intelliget nil discessisse.

(6) Psalm. 31. *vers. 1., et* 2. Huc spectat et illud Isaiae *cap. 1. vers. 18. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, quasi nix dealbabuntur, et si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt.*

tia (1), non solum *tegere* maculam, sed vere abluere; et non solum vere abluere, sed addere nitorem: nec solum tollere nigredinem, sed addere albedinem tam veram, ut nivis candorem superare dicatur. Ad *imputandi* verbum quod attinet: monet scitissime Bellarminus Prophetam ab indulgentia Dei peccata plurimorum remittentis transisse ad innocentiam alicuius, qui nullum omnino peccatum propria voluntate admiserit, nec solum facto non peccavit, sed nec *dolus* inventus est *in spiritu eius. Vel non imputabit Dominus peccatum*, exponit S. Iustinus (2), *cui poenitenti Deus peccata remittet: non . . etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint.* Itaque iure meritissimo, *si quis per Iesu Christi Domini Nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram, et propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantum radi, aut imputari anathema sit* (3).

XXXIII. Quoniam non in carne peccatum, sed in anima sedem habet, anima vero non a parentibus conceptu corporeo, sed a Deo singulis infunditur foetibus: Pelagiana item haeresis genus humanum originali peccato non inquinatum effinxit, et Adam, Evamque mortales in statu etiam innocentiae creatos praevaricatione sua sibi tantum nocuisse, praeterea nemini. Exinde arguunt infantes in eo, quo Adam ante praevaricationem statu fuit, oriri, eosque sine Baptismo morientes aeterna, beataque vita frui inter damnationem, regnumque coelorum media. Pro se illud in primis iactant Ezechielis (4): *Ecce omnes animae meae sunt, ut anima patris, ita et filii mea est; anima, quae peccaverit, ipsa morietur. . . . filius non portabit iniquitatem patris.* Qui peccantem Adam imitantur, eos illius noxam imitatione propria, non paterno semine contrahere garriunt.

XXXIV. Isthaec Pelagianorum somnia divinis oraculis Scripturarum refelluntur adeo claris, et evincentibus, ut nihil supra. David se *in iniquitatibus* conceptum fatetur, seu potius *in iniquitate*, ut ex Hebraeo vocabulo vertit divus Hieronymus. *Nemo* a Iob dicitur (5) *mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram... Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? Eramus*, scribit Apostolus (6) *natura filii irae, sicut et ceteri.* Idemque rursum docet Uberius (7): *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt... etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praeva-*

(1) Cardinal. Bellarmin. *in eundem psalm. 31.* Beatus vir, cui non imputavit etc., *idest qui nihil mali propria voluntate fecit, ob quod reus ac debitor sit coram Deo. Vel si peccatum ita remissum, et condonatum fuerit, ut iam non sit, quod imputetur.*

(2) S. Iustin. *in dialogo cum Tryphone.*

(3) Trident. *sess. 5. can. 5.*

(4) Ezechielis *cap.* 18. *vers.* 4., *et 20.*

(5) Iob. *cap. 14.*

(6) Ad Ephesios *cap. 2. vers. 3.*

(7) Ad Romanos *cap. 5. vers. 12., et seq.*

ricationis Adae ... si unius delicto mors regnavit per unum : multo magis abundantiam gratiae , et donationis , et iustitiae accipientes in vita ; regnabunt per unum Iesum Christum. Quid apertius ex sacris Litteris de mortifera propagatione insiti Adae peccati proferri potest ? Postrema simul verba Pauli patefaciunt mentem Ezechielis, Prophetam scilicet locutum de futura filiorum Adae salvatione per Christum unum , quam Apostolus factam praedicat. Quidni? Ezechiel ipse id praemonuit, inquiens ibidem : *Patres comederunt vuam acerbam , et dentes filiorum obstupescunt. Vivo ego , dicit Dominus Deus , si erit ultra vobis parabola haec proverbium in Israel. Ecce omnes animae meae sunt* etc. Hisce verbis propheticis *promissionem Testamenti novi , et spiritualis hereditatis ad alterum saeculum pertinentis* , contineri docet S. Augustinus (1) : *id enim agit gratia Redemptoris , ut paternum chyrographum deleat , et unusquisque pro se rationem reddat.*

XXXV. Ostensuro ipsi Augustino peccatum Adae in animas mortalium transfundi , visae sunt animae singulorum ex traduce fieri , hoc est maculata ex anima Adae propagari , ne Deus O. M. putaretur vel animas creare maculatas, vel punire innoxias. Non enim cohaerere posse cum dogmate originalis culpae, sententiam de novis animabus creatis putabat. Verum in ea quaestione dubius , quam dirimere, nec divinis Scripturis , nec traditione posse fatebatur , maximum doctorem Hieronymum consuluit (2). *Quae cum ita sint* , ait, *quaerenda caussa est, et reddenda , quare damnentur animae , quae novae creantur singulis, quibusque nascentibus , si praeter Christi Sacramentum parvuli moriantur ? Damnari enim eas et sancta Scriptura , et sancta testis est Ecclesia. Unde illa de animarum novarum creatione sententia , si hanc fidem fundatissimam non oppugnat , sit et mea : si oppugnat , non sit , et tua.* Tamen posterior Hieronymi sententia , quam omnes fere Theologi tuentur, probaverit, si quatuor ab ea, ipso monente Augustino (3), depellantur errores. Ut enim purissima in vas foetidum aqua immissa foetidat , et mentem in furioso corpore invadit furor , sic infusas a Deo animas in singulis inquinatae stirpis corporibus coinquinari plane intelligimus.

XXXVI. Itaque *si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse , aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum , mortem et poenas corporis tantum in omne genus hu-*

(1) S. August. *lib. contra Iulianum cap. 9.*

(2) Idem August. *ep. 28. , et 29. ad Hieronymum.*

(3) Idem S. Aug. *lib. 1. de anima , et eius origine cap. 17. Quicumque volunt* , ait , *defendere , quod dicuntur animae novae nascentibus insufflari , non de parentibus trahi , aliquid illorum quatuor caveant omni modo , hoc est , ne dicant a Deo fieri animas peccatrices per alienum originale peccatum. Ne dicant parvulos , qui sine Baptismo exierunt , pervenire posse ad vitam aeternam . . . Ne dicant animas peccasse alicubi ante carnem , et hoc merito in carnem peccatricem fuisse detrusas. Ne dicant peccata , quae in eis inventa non sunt , quia praescita sunt , merito fuisse punita... quoniam quodlibet eorum falsum , atque impium est.*

manum transfudisse , non autem et peccatum , quod mors est animae : anathema sit. Simul et qui *hoc Adae peccatum , quod origine unum est , et propagatione , non imitatione transfusum omnibus* , tolli negat *per meritum unius mediatoris D. N. I. C. per Baptismi Sacramentum.* Quique *parvulos baptizandos negat , etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti : aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari , sed nihil ex Adam trahere originalis peccati , quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, anathema sit, definit Tridentinum* (1).

XXXVII. Si abluti Baptismo in reatu nec Adae , nec suo sunt amplius , et eriguntur *in spem aeternae vitae , cohaeredes , et comparticipes promissionis in Christo Iesu* (2) : consequens est , ut iis hocce Sacramentum aeternas futurae vitae poenas simul remittat, quemadmodum et relapsis indulget Poenitentia, quum utrique Sacramento communis sit virtus conferendi primam vitae gratiam sanctificantem iam superius expositam (3). Nam *si mortui sumus cum Christo... consepulti cum illo per Baptismum in mortem . . . credimus , quia simul etiam vivemus cum Christo* (4). *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum , et transtulit in regnum dilectionis suae* (5). Praestantia vero peculiari Baptismus temporarias quoque poenas ignis purgantis, piacularesque operas ita prorsus remittit , ut morientes post Baptismum , si deinceps nihil deliquerint , regnum coelorum nulla interposita mora ingrediantur (6): superstites autem hac in vita de admissis ante criminibus opus non habeant aliqua satisfactione Deum propitiare (7). Secus est de iniuriis, damnisque proximo illatis, omnino reficiendis etiam post Baptismum : namque id S. Thomas docet (8) non esse poenam exsolvere , sed suum cuique reddere , quod nequit sine peccato retineri.

XXXVIII. Permanent nihilominus integra in baptizatis mala Naturae lapsae, pravique affectus animi, ut virtutibus exercendis locum faciant (9).

(1) *Ex Trid. sess. 5. can. 2., 3. , et 4.*
(2) Ad Ephesios *cap. 3. vers. 6.*
(3) *Tit. II. num. 18., et 24.*
(4) Scribit Apostolus *ad Romanos cap. 6. vers. 4, et 8.*
(5) *Ad Colossenses cap. 1. vers. 13.*
(6) S. August. *lib. 2, de pecc. merit. et remiss. cap. 28.*, Conc. Florentin. *in decr. unionis Armenorum*, et Trid. *sess. 5. can. 5.*
(7) Trid. *sess. 6. cap. 14.*, *sess. 14. cap. 2. de differentia Sacram. Poenit., et Baptismi* , *et cap. 8. de satisfactionis neces., et fructu.*
(8) S. Thom. *par. 3. qu. 68. art. 5. ad 3.*
(9) Lactant. *lib. 6. de vero cultu cap. 15. Ubi vitia non sunt* , ait , *nec virtuti quidem locus est : sicut nec victoriae quidem , ubi adversarius nullus est. Ita fit , ut bonum sine malo esse in hac vita non possit. Et lib. 2. de origine erroris cap. 8. Deus facturus hominem , cui virtutem ad vivendum proponeret , bonum , et malum fecit , ut posset esse virtus : quae nisi malis agitetur , aut vim suam perdet , aut omnino non erit. Nam ut . . . valetudinis , et sanitatis voluptas ex morbo, ac dolore cognoscitur: ita bonum sine malo in hac vita esse non potest: et utrumque licet contrarium sit, tamen ita cohaeret , ut alterum si tollas , utrumque sustuleris.*

Iugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae (1), quod ferre adhuc coguntur et parvuli, et adulti post lavacrum regenerationis, *ut intelligamus* cum divo Augustino (2) *totum, quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem venturorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem praesentium pertinere.* Praeterea captivos, servosque humana captivitate, ac servitute cum non liberet Baptismus: *quicumque sunt sub iugo servi*, scribit Apostolus (3), *dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini, et doctrina blasphemetur.* Humanis quoque legibus, et iudiciis inflictas poenas adhuc subire post Baptismum noxii coguntur, eas nisi religiosi Principis pietas indulserit (4).

XXXIX. Ut omnia mandata servarent baptizati, eosque id baptizantes Apostoli docerent, Christus ipse iussit (5). Quid igitur dominico Legis iugo exuere fideles contendit effroenissimus Lutherus, eos fidei dogmatibus tantum, non praeceptis servandis obnoxios faciens, nisi ut sibi habeas ad flagitia laxaret? Ad illum, eiusque sectarios coercendos itaque pertinent hi duo Tridentini canones (6): *Si quis dixerit, baptizatos per Baptismum ipsum solius fidei debitores fieri, non autem universae Legis Christi servandae anathema sit.* Simul et qui dixerit, *baptizatos liberos esse ab omnibus S. Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.*

XL. Si propria Baptismi virtus est, qua porro alia Sacramenta carent, originariam noxam abluere: hunc ipsum omnibus hinc intelligimus necessarium omnino esse ad salutem *necessitate medii*, ut loquuntur scholae. Nam renatos tantum ex aqua, et Spiritu S. introire Dei regnum Christus Dominus edixit. Quod *si quis dixerit Baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem, anathema sit* (7). Proscriptus hoc Tridentino canone cum Pelagianis est Calvinus, qui aliud esse regnum Dei a regno coelorum somnians largiebatur baptizatorum parvulis sine Baptismo regnum coeleste: adultos vix fore praecepto divino baptizandos putabat.

XLI. *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma* idcirco praedicatur ab Apostolo (8). Unus quippe Baptismus *fluminis*, nempe aquae, veram Sacramenti rationem habet: quo sua quispiam culpa si neglexerit expiari, nullam poterit spem salutis habere. Duo alii, qui *fluminis*, et *sanguinis* Baptismi ideo dicuntur, quia vicem Sacramenti supplent,

(1) Ecclesiastici *cap. 40. vers. 1.*
(2) S. Aug. *in enchyrid. cap. 66.*
(3) *Ep. 1.* ad Timoth. *cap. 6. vers. 1.* Rursus ad Corinth. *ep. 1. cap, 7. vers. 20., et seq.* nec non *ep.* ad Philemonem pro servo Onesimo.
(4) S. Thom. *par. 3. qu. 69. art. 2. ad 3.*
(5) Matthaei *cap. 28. vers. 19., et cap. 19. vers. 17.*
(6) Trid. *sess. 7. can. 7. et 8.* Videsis dicta superius *lib. 1. tit. 5. de constitut.*
(7) Trid. *sess. 6. de Baptismo can. 4.*
(8) Ad Ephesios *cap. 4. vers. 5.*

Sacramenta reapse non sunt. *Tres sunt*, scribit Ioannes (1), *qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt.*

XLII. Qui fidem Christi, et contritionem cordis habentes in desiderio Baptismi morte abripiuntur, ii ut in aeternum salvi sint, efficit Baptismus *flaminis*. Ex divi Augustini sententia (2), *quantum valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus* (3): corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem: *in illo latrone declaratum est, cui non baptizato dictum:* hodie mecum eris in Paradiso. *Sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Id Apostolorum Acta commonstrant apertius. Dum enim Petrus adhuc evangelizaret Cornelio centurioni, eiusque omnibus consanguineis, amicisque: *Spiritus Sanctus cecidit super omnes, qui audiebant verbum*, antequam baptizarentur. Petrus autem (4), *numquid*, ait, *aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, sicut et nos?* Hinc anonymus (5) probe distinguit duos Baptismos, alterum *aquae*, alterum *Spiritus sancti*. Porro utrumque distinxit Christus Dominus, dum inquit (6): *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto*. Fertur etiam S. Ambrosius de Valentiniano II. in Gallia interempto, dum ad illum is baptizandum adscitus properaret, dixisse: *ventrem meum doleo, quia quem regeneraturus eram, perdidi: ille tamen gratiam, quam poposcerat, non amisit* (7). Optime hinc iure Innocentius III. rescripsit, et Iudaeum Baptismi cupidum, et presbyterum non baptizatum, sed in catholica fide perseverantem, quum ambo vita cessissent, aeternam salutem adeptos (8). Secus de iis est, qui fidem Christi habentes, Baptismo vel neglecto, vel contempto mortem obiverint (9): nam perinde ipsos, atque manifestos peccatores, immo

(1) Ioannis *ep. 1. cap. 5.*

(2) S. August. in *can. Baptismi vicem 34. dist. 4. de consecr.* S. Ambrosius in *orat.* de obitu Valentiniani iunioris, S. Bernandus *epist.* ad Hugonem de S. Victore *cap. 2.*, S. Thom. *par. 3. qu. 68. art. 2. in C.*

(3) Ad Romanos *cap. 10. vers. 10.*, *et ep. 1.* Petri *cap. 3.*

(4) Actorum *cap. 10. vers. 44, et seq.*

(5) Anonymus *in tract. de Baptismo haereticorum* inter Cypriani opuscula.

(6) Ioannis *cap. 3. vers. 5.*

(7) S. Ambros. in *orat.* funebri de obitu Valent., *et cap. apostolicam 2. de presbytero non baptizato.*

(8) *Cap. debitum 4. de Baptismo*, et *cit. cap. apostolicam 2. de presb. non baptiz.* Verum quod catechumeno eiusmodi luenda supersit poena temporaria pro peccatis suis, tenet S. Thomas *par. 3. qu. 68. art. 2. ad 2.*

(9) S. August. in *can. non dubito 49.*, *et can. catechumenum 37. de cons. dist. 4.* Istos voto Baptismi expertes catechumenos precibus, et oblationibus fidelium fore non iuvandos, tametsi antea per ignorantiam esset aliter usurpatum, sanxit Synodus Bracarensis I. *can. 35.*, et praemonuit divus Chrysostomus *hom. 3. in ep. ad Philip.*, dum ait: *Catechumeni vero neque hac dignantur consolatione, sed omni auxilio sunt destituti, uno quodam excepto. Quale vero hoc? Licet pauperibus pro ipsis dare, atque hinc aliquid percipiunt refrigerii.*

infideles habet Ecclesia, suffragia precum, et sacrificiorum denegans utrisque.

XLIII. *Sanguinis* Baptismus denique martyrium pro Christo passis coelestem sine mora gloriam largitur (1). Nam *qui perdiderit animam suam propter me*, ait Dominus (2), *inveniet eam.* Hinc Innocentes parvulos ab Herode, ut Christum recens natum simul interimeret, occisos colit Ecclesia, ut beatos. *Hi sunt* enim, *qui laverunt stolas suas in sanguine Agni, et sunt ante thronum Dei* (3). Eademque gloria fruituros alios item infantes nedum natos, sed in materno adhuc utero clausos, qui odio Christianae fidei necarentur, tenent insignes Theologi (4). Hactenus institutio, natura, partes, effectusque Baptismi explicita sunt: dicendum superest de ministro, suscipientibus, ritibusque.

XLIV. Ministrorum genus triplex. Iure *ordinario* primum Episcopi, nunc et Parochi; tum *iure delegato* presbyteri, diaconique sollemni ritu baptizant: *extraordinario* tandem *iure* in casu necessitatis extremae sine caeremoniarum pompa fas quidem est cuilibet quum clerico, tum laico (5) quamvis haeretico, aut pagano (6), et foeminis (7) etiam baptizare: servato, ubi plures adsint, ordine conditionis, et sexus, vel habito ad pudorem, peritiamque respectu. *Sine Episcopi iussione neque presbyterum, neque diaconum ius habere baptizandi*, docent S. Hieronymus (8), et Tertullianus (9). Quibus animarum cura mandata semel est, ii quidem presbyteri ex officio, et generali Episcopi mandato ius administrandi Baptismum, simul et alia Sacramenta parochialia habent (10). Eosque ipsos Eugenius IV. spectavit, inquiens (11).

(1) Tertull. *de Baptismo cap. 16.*, S. Cyprianus *ep. 73.* S. Ambrosius *cit. orat. pro Valentiniano*: S. Aug. in *cit. can. Baptismi vicem 34, et can. catechumenum 37. de cons. dist. 4*, ceteri ore uno. *Quid enim pretiosius morte, per quam fit, ut et delicta omnia dimittantur, et merita cumulatius augeantur?* inquit idem S. Doctor in *psalm. 115. vers. 6.*

(2) Matthaei *cap. 16. vers. 25*, Lucae *cap. 17. v. 33.*, Ioan. *cap. 12. v. 25.*

(3) Apocal. *cap. 7. vers. 14.*

(4) In his Dom. Sotus *in 4. sent. dist. 3. qu. un. art. 11.*, Silvius *in par. 3.* S. Thom. *ad art. 11. qu. 66*, quidquid contra senserit Iacobus a Vitriaco *in hist. occident. cap. 36.*

(5) S. Isidor. in *can. constat 19.*, S. August. *in can. in necessitate 21. de cons. dist. 4.*

(6) S. Isid. *in can. Romanus 23.*, *et* Nicolaus I. *in can. a quodam Iudaeo 24. ead. dist.* Trid. *sess. 7. de Baptismo can. 4.*

(7) Urban. II. in *can. super quibus C. XXX. qu. 3*, et Gratianus post *can. mulier 20. dist. 4. de cons.*

(8) S. Hieronym. *in dialogo contra Luciferianos.*

(9) Tertull. *de Baptismo cap. 17. Dandi Baptismi*, ait, *habet ius summus Sacerdos, qui est Episcopus: dehinc presbyteri, et diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est.* S. Leo *ad Episc. Germ., et Gall. ep. 88.* scribit. *Sed neque coram Episcopo licet presbyteris in baptisterium introire, nec praesente Antistite infantem tingere, aut signare, nisi illo iubente:*

(10) Ex supradictis *lib. 1. tit. XXX. de Parochis num. XI., et XII.*

(11) Eugen. IV. *in decr. pro instruct. Armenor.*

Minister huius Sacramenti est sacerdos, cui ex officio competit baptizare. Idcirco in parochiali solum Ecclesia, ubi fons est baptismalis, cunctos fore baptizandos, exceptis Regum, vel Principum liberis, sanxit Clemens V. in Concilio Viennensi (1). Sacerdotes, et diaconi, quamvis potestatem baptizandi, dum ordinantur, acceperint, eam sine speciali aut Episcopi, aut Parochi permissu exercere prohibentur (2).

XLV. Ab haereticis datum Baptismum valere, iterandumque non esse, quidquid aliter S. Cypriano, aliisque Africae, Numidiaeque Episcopis (3) visum, docet apostolica traditio, quam S. Stephanus Papa cum ceteris Patribus contra eos propugnavit (4). Plura S. Cyprianus obiiciebat, praecipue illud Ecclesiastici (5): *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio eius?* Illudque Ieremiae (6): *Quare factus est dolor meus perpetuus, et plaga mea desperabilis renuit curari? facta est mihi, quasi mendacium aquarum infidelium. Quae*, S. Cyprianus urgebat, *est haec aqua mendax, et perfida? utique ea, quae Baptismi imaginem mentitur.*

XLVI. Responde ad 1. Integer Ecclesiastici sermo, quem S. Cyprianus truncum protulit, in eum probe torquetur: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum:* sacer textus habet, *quid proficit lavatio eius?* Proficiet igitur ei, qui mortuum, puta haereticum rursus non tetigerit, seque iterum non contaminaverit. *Si autem ille, a quo baptizatur, talis est*, ait S. Augustinus (7), *iste vero non falso corde ad Deum convertitur, non ab illo mortuo baptizatur, sed ab illo vivo, de quo dictum est:* ipse est, qui baptizat, *quolibet corporaliter operante.* Ad 2. una cum S. Augustino (8) dic: *non est aqua profana, et adultera, super quam nomen Dei invocatur, etiamsi a profanis,*

(1) In Clem. *un. de Baptismo*, tum Rit. Roman. *hoc tit.* Synodus Provin. Neap. an. 1699. *hoc eodem tit. n. 4.*, suspensione, poenisque arbitrariis coercet baptizantes extra parochialem Ecclesiam.

(2) Ex iam traditis eodem *lib. 1. tit. XXXI. de Presbyteris num. IV. usque ad VII.* Tametsi Catechismus Romanus *de Baptismo n. 22.* iure suo Sacerdotes indiscriminatim, Diaconos, nonnisi ex Episcopi, aut Sacerdotis concessione baptizari docet, attamen de Sacerdotibus curam animarum habentibus sensisse videtur. Cumque S. Isidorus *lib. 2. de offic. eccles. cap. 24.* scripserit *Baptisma a solis Sacerdotibus esse tractandum:* Diaconos vetustissimo munere omnino expertes noluit, *can. constat 19. de consecr. dist. 4.* Nam Apostolorum Acta *cap. 8. vers. 12; et 38;* ferunt et Samaritanos, et eunuchum a Philippo Diacono baptizatos. Cuiusmodi exemplum dein saepe usurpatum Patres tradunt.

(3) *Ep. 71., et seq.*, et Synodus Carthaginensis *synodica epist. 70.* inter Cyprianicas.

(4) De qua superiori *tit. II. de Sacramentis num. LII.* Eamdem tenuere Patres in Conc. Nicaeno *an. 325.*, et Capuano *an. 389.*, Trident. *sess. 7. de Bapt. can. 4.*, alibique saepissime apud Gratianum *can. 38., et sequentibus de cons. dist. 4.*

(5) Ecclesiastici *cap. 34. vers. 30.*

(6) Ieremiae *cap. 15. vers. 18.*

(7) S. Aug. *lib. de Baptismo cap. 34.*

(8) Idem *lib. 3. de Bapt. c. 10.*

et adulteris invocetur . . , Baptismus Christi verbis evangelicis consecratus, et per adulteros, et in adulteris sanctus est. His , aliisque iam praemissis cetera S. Cypriani obiecta hebetiora eliduntur facilius. *Si quis* ergo *dixerit verum , et rite collatum Baptismum iterandum esse illi , qui apud infideles fidem Christi negaverit , cum ad poenitentiam convertitur : anathema sit, sanxit Tridentinum* (1).

XLVII. Paganos nullo unquam Baptismo initiatos posse valide baptizare, Luciferianis,et Cyprianistis aientibus, negavit S. Hieronymus (2). In illa tamen quaestione ita dubius haesit S. Augustinus , ut eam plenario Concilio definiendam optaverit (3). Post invaluit adfirmans sententia , a Nicolao I (4) , et Eugenio IV. comprobata (5).

XLXIII. Semetipsum quis poterit baptizare , quum a Ioanne baptizari Christus voluit ? Repugnat porro eum ipsum , qui accipit , dare sibi. Rebaptizandum idcirco Iudaeum fore, qui sese in aquam immergens dixerat: *ego me baptizo in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti*, iuremerito rescripsit Innocentius III (6).

XLIX. Suscipiendo Baptismo idoneum habet Ecclesia quemvis natum, vivumque hominem, sine ullo aetatis, aut conditionis discrimine. Si enim ex aqua Baptismi unusquisque renascitur , natus antea sit oportet (7). Etiamsi praegnans catechumena , dum in puerperio periclitaretur, baptizata esset : infantulum mox natum ex ea fore baptizandum tradit S. Augustinus (8). Illum in errorem prolapso Caietano, ut putaret puero etiam in utero moribundae matris clauso Baptismum suffragari ex pia parentum voluntate, quamvis id refellere abstinuisset Synodus Tridentina : tamen S. Pius V. expungendum ex commentariis eius decrevit. Sanius est Gersonii consilium de orationibus pro foetu misero fundendis (9). Cave ne credideris Baptismum pro mortuis ab Apostolo traditum, dum scripsit (10) : *Quid faciunt, qui baptizantur* pro mortuis, *si omnino mortui non resurgunt ? Ut quid et baptizantur pro illis ? Ut quid et nos pereclitamur omni hora ?* Quibus verbis male intellectis , mortuos catechumenos baptizandi abusum omnino deridendum invexerunt Marcionitae insipientissimi. Enimvero eos refellunt , deri-

(1) Trid. *sess. 7. de Baptismo can. 11.*

(2) S. Hieronym. in *dialogo adversus Luciferianos cap. 5. Novam rem asseris , ait ut christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit christianus.* Consonant Nicephorus *lib. 11. historiae cap. 11.*

(3) S. Aug. *lib. 2. contra ep. Parmen. cap. 13.*, *et lib. 7. de Bapt. contra Donat. cap. 53.*

(4) Nicol. I. ad consulta Bulgarorum in *can. a quodam Iudaeo 24. de cons. dist. 4.*

(5) Eugen. IV. in decreto *pro instruct. Armenor.* Rituale Romanum *hoc tit.*

(6) Inn. III. in *cap. debitum 4. de Baptismo.*

(7) S. Isidor. in *can. si quis in materni 115. de cons. dist. 4.* S. Aug. *lib. 2. de pecc. merit., et remiss.* tum *ep. 157. ad Dardanum , et alibi.*

(8) S. Aug. in *can. si quidquid 35. , et can. si ad matris 114. de cons. dist. 4.*

(9) Gerson. *orat. de nativ. Virg. Mar.*

(10) *Ep. 1.* ad Corinthios *cap. ult. v. 29.*

dentque prisci Patres (1) : simul ellypticam Apostoli locutionem sic explicant, ut resurrectionem carnis probaturus haec ipse dixerit. Si mortalium resurrectio futura non est, cur baptizantur fideles pro semetipsis morituris? Cur baptizati tot pericula, et mala vitae praesentis aequo ferunt animo, nisi pro futura consequenda?

L. Infantes vero in lucem vix editi, parvulique usu rationis expertes, non secus, quam furiosi, et amentes, Baptismum probe accipiunt ex apostolica traditione, vetustaque consuetudine. Æquissimum porro est, divinaeque iustitiae admodum congruit, ut quos non sua, sed Adae culpa, et aliena voluntas contaminavit, et perdidit, eos vicissim redundans Christi gratia, fides parentum, et pia matris Ecclesiae voluntas expiet, atque restituat in salutem (2). Quidni? *Si enim unius delicto*, Apostolus docet (3), *mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae, et donationis, et iustitiae accipientes in vita regnabunt per unum Iesum Christum.* Discipulisque impedientibus, quominus parvuli a parentibus offerrentur Christo Domino tangendi, Iesus ipse indignatus, *sinite parvulos*, ait, *venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium est enim regnum coelorum* (4). Eos Lucae textus appellat modo *infantes*, τα βρεφη, modo *puerulos*, τα παιδια. Matthaeus, et Marcus τα παιδια. Cuiusmodi verbis non grandiusculi pueri significantur suis Christum pedibus adiisse, sed infantes quum progrediendo, tum intelligendo ita impares, ut nonnisi gestati ab aliis sisterentur coram Domino. *Numquid* ergo *parvuli*, inquam cum divo Augustino (5), *homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est:* vult omnes homines salvos fieri? Futile id est, quod Anabaptistae obiiciunt, fide in puerilibus animis deficiente, pueros ab hoc Sacramento procul fieri, ex illis Domini verbis (6) : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Affirmat sane S. Augustinus (7), quum Ecclesia, parentes, patrini suis pro parvulis profiteantur, spondeantque fidem : ipsos etiam parvulos sine praesenti cordis affectu fidem habere propter fidei Sacramentum, et simul credere ob futuram ex data sponsione fidem. Addo, cum suffectus Circumcisioni Baptismus esset (8), fieri non potuisse, ut hunc nova Lex gratiae parvulis denegaret, illam antiqua largiretur. Id omne confirmat apostolica traditio, et consuetudo aevo abhinc martyrum ducta; quoniam SS. Irenaeus, et Cyprianus una cum Origene, aliisque supparibus paedobaptismi usum commemorant (9).

(1) Tertullianus *de resurrect. carnis cap. 48*, et *contra Marcian. lib. 5. cap. 10.*, S. Chrysost. *hom. 40. in 1. ad Corinth.*, alii.
(2) *Can. parvuli 74.*, *et can. nihil est 76. de cons. dist. 4.*
(3) *Ep. ad Romanos cap. 5. vers. 17.*
(4) Matthaei *cap. 19. vers. 13, et 14.* Lucae *cap. 18. v. 15*, Marci *cap. 10. v. 13., et 14.*
(5) S. August. *lib. 4. contra Iulianum.* — (6) Matth. *cap. ult. v. 16.*
(7) S. Aug. *in can. parvuli 74., et can. nihil 76. de cons. dist. 4.*
(8) Ex supradictis *num. 6.*
(9) Fleury *to. 2. hist. lib. VI. n. 20.*, ex Origene *in Levit. hom. 8.* Bingham. *orig. Eccl. lib. 1. cap. 4. §. 5., et seqq. to. 4.*

LI. Suo ne tempore, an immaturo sit editus, an caeso mortuae matris utero extractus, qui baptizetur, infantulus, nil omnino refert, dummodo vivens corpusculum aqua reapse tangat (1). Paullulum dubitatur de foetu in lucem plenam non egresso. Eum si quoquo modo possit in utero moribundae parturientis aqua siphunculo, fistulave iniicienda in ipso puerperio tangere, aut quodvis apparens membrum, pedem licet, vel manum: esse tunc etiam in extrema necessitate sub conditione, *si capax est*, baptizandum, probe monet cum primis S. Antoninus (2) contra Sotum (3), et Comitolum (4), ceterosque aliud perperam sentientes. Non arctanda porro quum sit divinae misericordiae largitas, idque noceat nemini: satius quidem erit cum Sacramento vel dubio, quam cum nullo miserandos eiusmodi homunculos iuvare, illudque immo validum firmiter aio. Si enim Baptismus lavacrum *regenerationis* ab Apostolo dicitur: eo quidem ablui posse foetus vix *genitos* iam intelligimus, qui, dum in ventre latent, *nati* etiam solent sacris Litteris appellari. *Quod in ea* natum *est*, *de Spiritu Sancto est*, inquit de Virgine Deipara ad Patriarcham Iosephum Archangelus. Duplex inde *nativitas* distinguenda est, prior *in utero*, posterior *ex utero*. Quum ergo *nati ex utero*, etiam non vitales renascantur ex aqua, nihil sane obstat, quominus *in utero nati* possint eadem ex aqua renasci, vel saltem regenerari, quoties vel aperto, vel dissecto ventre, ipsi ea vere perfundantur.

LII. Contra ea dices. Negat aperte S. Augustinus (5) nativitatem *in utero* inchoatam suffragari foetibus in eo clausis, ut renascantur per aquam, Spiritusque gratiam. Iique Alberto M. (6) visi sunt posse privilegio tantum divino, quemadmodum Ioannes Baptista, *in utero* nati labe originaria mundari: at nonnisi *ex utero* iam exorti posse ab ho-

(1) Scotus in 4. sent. *dist. 4. qu. 5. Si parvulus* (ait) *corio includeretur ita, quod aqua non tangeret corpus, non esset baptizatus: sed si tangeretur, bene.*

(2) S. Antoninus *par. 3. tit. 14. cap. 15. §. 1.* Consentiunt Suarez *par. 3. qu. 68. art. 10. sect. 2., et art. 11.* Io. Riolan. *Anthropogr. lib. 6. cap. 8.* Bodowing. Ventilabr. *par. 2. qu. 20.* Roncaglia *tom. 2. tract. 17. de Baptismo cap. 4,* et P. Gabriel Gualdi Cler. Regul. *lib. de Baptismo puerorum in utero existentium*, tandem Bened. XIV. *de Syn. Dioec. lib. 7. cap. 5.*, qui tamen foetus ita baptizatos docet fore sub conditione rebaptizandos, nisi abluta pars fuerit caput.

(3) Sotus *in 4. disp. 5. qu. un. art. 11.*

(4) Comitol. *respons. moral. lib. 1. qu. 13.*

(5) S. August. 187. *ad Dardan. cap. 10. n. 33. tom. 2. Dominus autem cum sic loqueretur:* nisi quis renatus fuerit denuo: *eam scilicet computavit nativitatem, quae fit matre pariente, non concipiente, atque praegnante, quae fit ex ea, non quae fit in ea: nec enim renatum dicimus hominem, quem mater peperit, tanquam iterum natus sit, qui iam semel natus fuerat in utero... Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus* in utero *potest: quoniam restat adhuc nasci, renascitur ergo, antequam nascitur, quod nullo modo fieri potest.*

(6) Albert. Magn. *in 4. sent. art. 9.*

mine baptizante ablui. His adde S. Thomam, S. Bonaventuram, et Scotum (1).

LIII. Respondeo : S. Augustinum de solo foetu intra uterum penitus contecto locutum, sua ipsius verba iam ostendunt, quippe qui alios in ipso partu, aut abortione periclitantes silentio praeteriit. Cuiusmodi sententiae rationem divus Thomas, qui eum sequitur, inquirens, cur *non debet aliquis baptizari, priusquam ex utero nascatur*, ait: *nam de necessitate Baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur. Corpus infantis antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua* (2). Igitur a contrario sensu posse puerum ex utero non egressum baptizari, eum si quando aqua possit abluere, Angelicus negare non videtur, sicuti nec Scotus id negasse visus est Iqueo eius interpreti (3), nec S. Bonaventura.

LIV. Tanto beneficio ne fraudentur miserandi obeuntium praegnantium foetus, eos celeri sectione materni uteri fore quamprimum extrahendos, baptizandosque iubet Rituale Romanum (4). Nam divinae charitatis praecepto cogimur opem ferre, quoad fieri potest miseris eiusmodi homunculis : ut, si corporea nequeat eis vita servari, quae haud semel eximiis caesonibus (5) servata feliciter est, spiritalem ipsi, aeternamque lucem sortiantur Sacramento aquae. *Videte*, ait Christus Dominus (6), *ne contemnatis unum ex his pusillis . . . Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis.* Prisca etiam lex Romanorum (7) vetat *mulierem, quae praegnans mortua*

(1) S. Thom. *par. 3. qu. 68. art. 11., non debet* (ait) *aliquis baptizari, priusquam* ex utero *nascatur*. S. Bonav. *dist. 3. part. 1. art. 2. qu. 2. ad 2. Sacramentale remedium respicit operationem Ecclesiae, et operatio Ecclesiae non se extendit ad parvulum, nisi* extra uterum. *In primo statu, h. e.* in utero, *cum soli Deo notus sit, potest per eius voluntatem sanctificari, non per nostram cooperationem, cum non cognoscat eum Ecclesia, nec sit de foro eius.* Scotus *in 4. sent. dist. 4. qu. 5.* — (2) S. Thom. *loc. cit.*

(3) Iqueus in *comm. Scoti 4. sent. dist. 4. qu. 5. Vel puer*, inquit, *secundum omnes sui partes est in utero matris, vel secundum aliquam partem apparet extra uterum. Si primo modo, dico quod non potest baptizari . . . Ratio autem est, quia nequit ablui, aut tangi aqua. Quod si contrarium posset fieri, et salvari sufficiens ablutio : valide baptizaretur a contrario sensu.* Consonat Cardinalis Caietanus *in comm. par. 3. divi Thomae*, cuius opinionem in Synodo Tridentina tuendam suscepit Card. Seripandus, uti hereticam insimulavit Dominicus Sotus, ex Pallavicino *lib. 9. hist. cap. 8*, et N. Alexandro in *hist. saec. XVI. diss. 12. de Syn. Trident. art. 5.*

(4) Rit. Rom. *de Bapt. parvul. tit. VII. n. 3*, et S. Carolus *Actor. par. 4. instruct. pro Baptismo.*

(5) Videlicet Scipioni Africano, cui propterea, eiusque familiae inditum Caesaris nomen a caeso matris utero, ferunt Plinius *lib. 7. cap. 9.*, et Solinus *lib. 4.* Tum S. Lamberto Episcopo Vincennensi, S. Drogoni, S. Raymundo Nonnato, Gregorio XIV., Gaspari Garziae Hispanorum Regi, ceteris.

(6) Matthaei *cap. 18. vers. 10., et 14.*

(7) Marcellus iureconsultus in *l. negat 2. D. de mortuo inferendo.* Hanc legem a Numa regum Romanorum religiosissimo latam putat Gothofredus *ibidem*, addens ex Valerio Gorgiam quondam Epirotam in funere matris suae utero elapsum, vagituque suo ferentes funus consistere coegisse.

sit, humari, antequam partus ei excidatur: qui contra fecerit, spem animantis cum gravida peremisse videtur. Spectat huc et illud Apostoli (1): *Spiritum nolite extinguere.* Nam *extinctores eius merito dicuntur* ab Augustino, *qui sic agunt, ut extinctum velint* (2). Hinc ubi desint periti, partum caesareum esse Parochi opera, manibusque extrahendum monet Wanespenius (3): eamque ob rem oportere, ut Parochi praesertim rurales istiusmodi sectionem praediscant. Cuius usum, et necessarium, et facillimum nupera edicta Episcoporum, et Magistratuum Siciliae, regiaque illius Regni pragmatica anno 1748. maximopere inculcant, condocent, ac iubent (4).

LV. Et quoniam ineunte abhinc saeculo XVII chirurgos, medicosque peritiores docuit experientia, vivis etiam praegnantibus, quae maturum edere partum desperaverint, nullamque a speculo matricis opem expectent, chirurgica manu caesones educi prospere, vitamque utriusque simul, et matribus, et infantibus ita servari (5): theologi recentiores idcirco putant eas quidem debere caesaream perferre sectionem sibi, et proli profuturam (6), posthabita antiquiorum sententia, quae eam ipsam improbabat ob properatam maternae vitae iacturam ex imperitia tunc inevitabilem (7).

LVI. Abortivi etiam, quantumvis perexigui, et informes, spernendi non sunt, sed sub conditione baptizandi. Cum porro anatomici recen-

(1) *Epist. ad Thessalon. cap. 5.*

(2) S. Augst. *in can. quaeris a me 119. de cons. dist. 4.*

(3) Wan-Espen *par. 2. tit. 2. de Baptismo cap. 4. num. 25.* Videsis Possevin. *de offic. Curat. cap. 6. qu. 10.* Theophyl. Raynaud. *tit. 1. de ortu infant. per sect. caesar. cap. 6. num. 22., et 23.* Gobat *append. 3 ad tract. 2. de Baptismo n. 24.*

(4) Typis vulgata in appendice tractatus numeris omnibus absoluti *de embriologia sacra* in lucem editi a Francisco Emmanuele Cangiamila Panormitano Theologo, et Iurisconsulto clarissimo, eiusque Compendio Labronensibus typis recuso an. 1756.

(5) Cum primis Franciscus Rousset Gallus *de partu caesareo sect. 7.* Duvall. *de hermaphrod. cap. 24.* Heister. *tom. 2. sect. 5. cap. 113*, ceteris apud *cit.* Cangiamila *lib. 3. cap. 1., 2., et 3.* permultas connumerant partibus caesareis non semel servatas, quae alios postea foetus genuere. Valleriola *in observat. medicis* unam habet inscriptam: *quibus mulieribus Arelate exsectus sit infans chirurgica manu, matre salva.* Tum Scipio Mercurius *exsectionem*, inquit, *foetus suo tempore adeo vulgarem, atque usitatam fuisse in Gallia, quam sanguis missionem contra capitis dolorem in Italia.* Et Bartholinus *de insol. part. cap. 12., minor*, ait, *patriae nostrae aversum ab hac sectione animum, quo multi pereunt, qui servari possent.* Sunt qui adhuc viventium sectioni adversantur, cum Io. Baptista Biancho Taurinensi in *tract. de naturali, vitiosa, et morbosa generat.* At eos multis refellit praelaudatus Cangiamila eodem *lib. 3. cap. 2.*

(6) Raynaud, et Gobat *loc. cit.* Quos sequuntur Siculi Episcopi edictis iam memoratis.

(7) S. Thom. *2. 2. qu. 26. art. 5. ad 3. Non est de ratione charitatis, quod homo proprium corpus exponat pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur eius saluti providere, sed quod aliquis sponte ad hoc se offerat, pertinet ad perfectionem charitatis.*

tiores novis experimentis, et microscopiis iam deprehendissent distinctas in embryone humano, instar vegetabilium seminum partes includi, quae a primo conceptionis tempore paullatim explicantur, fiuntque ampliores : fallax iam detecta est Aristotelis opinio de hominum foetibus, nonnisi post 40. dies, si masculi, post 80., si faemellae forent, animatis. Longaevo sic depulso errore, invaluit sententia, foetibus rationalem inspirari animam in ipso generationis initio (1), eosque vel a paucis diebus conceptos baptizandos omnino esse, si vitalem quomodolibet motum indicent (2).

LVII. Vitales etiam nati, quos non raro inopinata mors intercipit, non sunt ad aetatem adultam, ut baptizentur, protrahendi, sed sine mora ulla salutari fonte sanctificentur (3). Parentes ultra octavam ab ortu diem id negligentes, arbitrio Dioecesani puniendos iubet Neapolitana Synodus provincialis (4). Vix paucos dies solemnioribus festis praevios morari licet (5).

LVIII. Quo citius regenerare infantes, et quoslibet moribundos curavit semper Ecclesia: eo longiorem ad plures annos moram nectere consueverunt in baptizandis adultis, nullo periculo vitae laborantibus prisci post aevum apostolicum Episcopi, fidem eorum, et conversionem sedulo prius, quandiu, et quomodo censuissent, exploraturi (6). *Rudes* propterea paganos fidei rudimentis primum instruebant in privatis domibus (7), poenitentiaeque operibus expiabant, et diutius quidem relapsos catechumenos, quam ceteros antea criminosos; unde sunt *poenitentes* (8)

(1) Hanc tenent post Paullum Zachiam Fortunatus Fidelis *lib. 3. relat. medic. sect. 6. cap. 2.*, Barth. Corte *ep. de tempore, quo infunditur anima*, Mich. Albertus *in physiolog. cap. de generat., et in iurisprud. medic. cap. 7. de animat. foetus*, ceteri apud *cit.* Cangiamila *lib. 1. cap. 9.*

(2) La Croix *lib. 6. par. 1. de Baptismo dub. 4. num. 294.*, ceteri a Cangiamila laudati ibidem *cap. 8.*

(3) Ex sententia S. Cypriani *ep. 59.*, alias *64. ad Fidum*, eiusque Synodi Carthag. *ibidem* memoratae, quam sententiam firmavit Iustinianus *l. 10. de paganis*, et *Nov. 144. §. 2.*, a Photio repetita in *Nomocan. tit. IV. cap. 4*, et Balsamon. *const. Eccl.* apud Iustell. *bibliot. Iur. Can. t. 2.* Benedictus XIV. in *const. omnium 107. to. 1. Bullarii*, evangelicos operarios monet, ut accelerent sacrorum canonum memores Baptismum infantium. Huc spectant *can. 12., et 13. sess. 7.* Trid. *de Baptismo.*

(4) Syn. Neap. Prov. sub Card. Cantelmo *hoc tit. num. 2.* Nunquam placuit Patribus mora triennalis, quae B. Greg. Nazianzeno *or. 40.* arriserat.

(5) S. Aug. *serm. 160. de tempore*; S. Ambr. *de mysterio Paschae cap. 5. to. 4.*

(6) Nam Petrus *ep. 1. cap. 3. Vos*, ait, *salvos facit Baptisma non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio :* sincera scilicet fides, et voluntas probam instituendi vitam. Paullus etiam, *accedamus*, inquit, *cum vero corde in plenitudinem fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda.*

(7) Ad id pertinet S. August. liber *de catechizandis rudibus.*

(8) De poenitentia ante Baptismum necessaria videsis *can. tres sunt de poenit. dist. 1. can. omnis, et can. agunt de consec. dist. 4.* Eamque diuturniorem obire criminosi cogebantur pro qualitate criminum, Bingham. *orig. eccl. t. 4. lib. 11. cap. 6.*

etiam dicti. Mox iidem ipsi in religiosum tyrocinii auditorium admissi, ut audirent a catechista sacrae paginae explicationem, et Religionis mysteria, appellatique ideirco *audientes* (1). Sat instructis, et expiatis deinde indulgebatur Ecclesiam ingredi, communesque preces cum fidelibus effundere; qui tunc *orantes* dicebantur. Tum examine probati, sua qui nomina dedissent; instantius simul petendo Baptismi gratiam, *electi*, et *competentes* nuncupabantur (2). Ita post diuturnum quoque ieiunium diebus Paschatis, Pentecostes, et Epiphaniae, aliisve festis, tandem ritu sollemni Baptismum accipiebant ab Episcopo, vel Archipresbytero, iisque deficientibus, a plebano, vel diacono (3). Per eosdem fere gradus, arbitrio tamen episcopali moderandos, nunc etiam, si multi una pagani ad fidem convertantur, sunt ad hoc Sacramentum, ut in Ecclesia Neapolitana adhuc fit, promovendi (4).

LIX. Propterea procul habebantur a Baptismate, quotquot suspectam vel fidem, vel vitam prae se ferrent: praesertim idolatrae, idolorumque artifices, quive ludos olympicos, circenses, ceteros id genus diis sacros aut curarent, aut exercerent, augures, astrologi, magi, superstitiosi, et amuleta facientes, lenones, meretrices, histriones, pantomimi, gladiatores, cuncti eiusdem furfuris, nisi finem improbis artibus ante fecissent (5). In easque relapsi catechumeni cogebantur poenitentiam longe diutius protrahere.

LX. Eo spectant solemniores ante Baptismum ritus tum abrenunciandi diabolo, eiusque pompis, et operibus, tum profitendi summa Christianae fidei capita, spondendique obedientiam cunctis Domini mandatis. Dein adduntur et exorcismi ante sacram ablutionem, signaculo Crucis iterato saepius, ad sacrilegas gentium superstitiones expiandum omnimodis, execrandumque tot impias deorum invocationes olim usurpatas (6). Id nimirum fit, quod Christus Dominus inquit: *nunc princeps*

(1) *Can. ante Baptismum de cons. dist.* 4. Tres annos *audientium* statui indixerat Synodus Nicoena *can.* 2., et sexta synodus *can.* 95., duos Eliberitana *can.* 42., et Iustinianus *Nov.* 145. Ritum inaugurandi *audientes* describit S. Gregorius M. in *sacramentario* tit. *ad catechumenum ex pagagno faciendum*, et refert Iuvenin. *diss.* 2. *de Bapt. qu.* 7. *cap.* 2. *art.* 1.

(2) S. Cyrill. *praefat. in catecheses mystagogicas*, S. August. *serm.* 13. *ad neophytos*, Siricius Papa *ep. ad Hymerium Tarraconen cap.* 2, Synod. Agathen. an. 506. *can.* 34.

(3) Tertull. *de Baptismo cap.* 19., S. Hieronymus *ep.* 61. ad Pammachium *cap.* 16., et Nazianz. *orat.* 11., *et* 39.

(4) Ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 6., Catechism. Rom. *de sacr. Bapt.* §. *sed cum ceterarum.*

(5) Ex const. vulgo Apost. *lib.* 8. *cap.* 32., Tertulliano *de idolatria cap.* 11., S. Cypriano *ep.* 61., *alias* 2. *ad Eucratium*, S. Aug. *lib.* 2. *de civ. Dei cap.* 14., Syn. Chartag. III. *can.* 35, et passim.

(6) Uti monet Fleury *tit.* 2. *hist. lib.* 5. *num.* 32. Tertullianus *lib. adversus Hermogenem*, *et de anima* post susceptam Montani haeresim tradit homines ab ipso nativitatis suae momento obsessos a daemone tot superstitionibus paganis invocato, quippe qui praegnantem ventrem fasciis circumligare coram idolis, deas mox invocare *Alemonam* pro foetus nutritione: *Nonam*, *et Decimam* pariendi tempus impleturas, *Partulam*, quae partum prosperaret, *Lu-*

mundi huius eiicietur foras (1). Ob id etiam prius consecratur aqua, ut eiuratis idolatrarum inquinamentis (2), apparcat ad sanctificandum ipsa paratior. Hasce speciatim caeremonias prisca traditione apostolica institutas ferunt Tertullianus, et SS. Iustinus, Cyprianus, Basilius, Ambrosius, Cyrillus, Augustinus, ceteri (3).

LXI. Novo iure cautum in singulis quum cathedralibus, tum parochialibus tantum Ecclesiis sacrum baptisterium inesse, ut a suo quisque Parocho, vel Episcopo rite consecrata inibi aqua regeneretur (4). Vetustaeque Synodi, et Iustiniani lex (5) vetant simul *parabaptismum*, qui nempe in privatis domibus confertur, illicitum idcirco extra necessitatem, nisi quando speciatim annuat Episcopus. Et si quis ob necessitatem sit absque coeremoniis ablutus aqua, eae suppleantur citius (6).

LXII. Nomina baptizatorum (ex matyrologio tantum Romano desumenda (7), reiectis falsarum religionum, idolorumque nominibus), simul est parentum, patrinorumque, ac diem nativitatis, datique Baptismi, munus est Parochi describere in libro ad id compacto. Hunc apud se in tuto habere, quotannis in episcopali visitatione revidendum, Parochi tenentur (8), cui fides habetur plene probans baptizati aetatem non ita *filiationem* ut aiunt, puta ex conscriptis ibidem parentibus nativitatem, coram iudice suo aliunde ostendendam: quum testis vel unus, dum integer sit, collatum Baptisma fere probet (9). Natos ex occultis

cinam, et *Dianam* in ipsis pariendi doloribus, mensa *Iunoni* simul per hebdomadam erecta, *Statinam* in primo infantis ortu. Sacra demum facere diis vovendo dicandoque nati caput. Quo spectasse etiam videtur Apostolus *ep. 1. ad Corinth. 7. vers. 14.* scribens filios infidelium immundos, fidelium sanctos esse.

(1) Ioannis *cap. 12. v. 31.*

(2) De quibus dictum superiori *tit. III. num. XIX.* S. Iustinus *apol. 1. num. 62. Hoc lavacrum*, ait, *doemones cum per Prophetam praedicatum audissent, perfecerunt, ut templa eorum ingrediuntur, seipsos aquae aspersione lustrarent: atque illud etiam, ut proficiscentes penitus lavent, antequam ad ea ipsa deveniant.*

(3) Tertull. *de corona milit. cap. 4*, S. Iustin. *apol. 1.*, S. Cypr. *ep. 76.*, S. Basil. in *can. ecclesiasticarum 5. dist. 11.*, laudatus *sup. lib. 1. tit. III. de tradit. n. II.*, S. August. *lib. 6. contra Iulian. cap. 2.*, *et lib. 2. de nupt.*, *et concup.*, *cap. 19.*, S. Gregorius M. *in Sacramentario.*

(4) Clem. *un. de Baptismo, et eius effectu*, Rit. Rom. *h. tit.* Synodus Neap. Prov. an. 1699. *tit. III. cap. 2. num. 4.* suspensionem, poenasque arbitrarias in transgressores sancit. Benedictus XIV. *const. 89. §. 20. to. 1. Bullarii sui* vetat communem, aut lustricam aquam in solemni Baptismo extra casum necessitatis adhiberi. Graecum vero morem benedicendi aquam in ipsa Baptismi administratione non abrogatum vult in ritu Italo-graeco, *const. etsi pastoralis 57. §. 2. num. 6. eodem to. 1.*

(5) Nov. 42. §. 3.

(6) Ex Ben. XIV. *cit. const. 89. §. 19. et const. 107. §. 3. dicto to. 1. Bullar.*

(7) Idem *cit. const. 107.*

(8) Rit. Rom. *h. tit.* et Neap. Synod. Prov. *loc. cit. num. 6.*, *et 7.*

(9) *Can. parvulos 110.*, *et can. cum itaque 112. de cons. dist. 4*, *et cap. nuper 51. de testibus*, *ibique gl.* Bened. XIV. *de Syn. Dioec. lib. 7. cap. 6. n. 4.*

etiam matrimoniis conscientiae filios fore quamprimum baptizandos, legitimamque ipsorum nativitatem ab alterutro parente denunciandam Parocho, ut in secretum baptizatorum codicem, quem Episcopus clausum obsignatumque apud se, aut aliquem ex ministris suis habebit, Baptismus eiusmodi prolis legitimae, expressis parentum nominibus, referatur, sancitum est a Benedicto XIV. (1), alias connubia coniugum id per mensem negligentium evulgentur, ubi suppressis erit parentibus baptizata proles.

LXIII. Et quoniam schedula proiectis infantibus adfigi consueta, nisi qui eam scripserit, innotescat, collatum revera Baptismum haud satis probat (2): ipsorum quisque idcirco est sub expressa conditione baptizandus, si baptizatus non sit. Eaque ipsa conditione Baptismum oportere iterum conferri, quoties probabiliter vel in facto, vel iure dubitetur, an sit alicui valide collatus, tradit scitissime saepe laudatus Benedictus XIV (3): simul monens formam eiusmodi conditionalem a priscis patribus, et Synodis, praesertim S. Cypriano, probatam, usurpatamque tacite fuisse, quae saeculo abhinc VIII (4) coepit expresse pronunciari, tum indicta generatim est novo iure Decretalium (5). At ubi nulla, vel futilis omnino emerserit dubitatio Baptismi rite collati: eum tunc etiam sub conditione iterare, sacrilegium est (6) poenis canonicis expiandum (7).

LXIV. Quo in necessitate tutius baptizentur parvuli: mulieres obstetricia procurantes Parochi formam baptizandi docere satagant. Sed eas neque ad examen invitas cogi, neque ab obstetriciis ob id prohiberi, aut in contumaciam ab Episcopis plecti patitur laica Potestas (8).

(1) Ben. XIV. in *const. satis vobis 35.* §. *11.*, lata die 17. Nov. 1741. *to. 1. Bullarii.*

(2) Ex decreto S. Congr. Conc. quod sequitur, firmatque Benedictus XIV. *const. postremo 28. num. 31., to. 2. Bullarii*, et *cit. lib. 7. de Syn. Dioec. l. c.*

(3) Saepe laudatus Ben. XIV. in *cit. const. postremo 28.* §. *51.*, *et 52*, et fusius *lib. 7. de Syn. Dioec. cap. 6.* Nam S. Cyprianus *ep. 76. ad Magnum* rescribens de clinicis baptizatis, *si aliquis existimat*, ait, *eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, sed inanes, et vacui sint, non decipiantur, ut si incommodum languoris evaserint, et convaluerint, baptizentur.* Idipsum in dubio infantium Baptismate caverunt Synodus Carthaginiensis V., alias VI. an. 401., et alia Carthag. sub Bonifacio *an. 525.*, S. Leo M. ep. ad Rusticum Narbonensem, et Neonam Ravennatem *in can. cum itaque 12. de cons. dist. 4.*, et Gregorius II. *ep. 2. num. 9.* ad Bonifacium Episc. in *can. parvulos 110. de cons. dist. 4.* Flexit se paullum a vero N. Alexander *in hist. Eccl. saec. IV. cap. 4. art. 12*, coniiciens ex priscorum formam conditionalem in antiqua Ecclesia nullatenus usitatam. Turpius aberrare quotquot contendunt eam a scholasticis adinventam, ostendit Martene *de antiquis Eccl. ritib. lib. 1. cap. 1. art. 16. num. 10. to. 1.*

(4) S. Bonifacius Archiep. Moguntinus in statutis suis *an. 745.* conditis, a Luca Ducherio editis, *cap. 28.*, et Capitularia *lib. 6. cap. 184.* apud Balutium *to. 1.*

(5) Alex. III. in *cap. 2. de Baptismo*, Ioan. XXII. apud Raynaldum *ad an. 1333 num. 42.*

(6) Ex Catech. Roman. *hoc tit. num. 57.*, et Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. Dioec. loc. cit. num. 2.*

(7) Ex *can. 42. vulgo Apostolorum*, S. Greg. *in can. sicut semel 1. dist. 68.*

(8) Neapolitana Synodus Provincialis *an. 1699. hoc tit. num. 3.* Parochos ea in re negligentes mulcta sex ducatorum punit, obstetrices non item.

TIT. V.

De Confirmatione.

I. Sacramentum unctione Chrismatis cum impositione manuum, conceptisque verbis regeneratum hominem signans, et Spiritu S. in fide roborans, Confirmatio est, ac dicitur in sacris Litteris.

II. Impositione manuum ab Apostolis datum Spiritum S. sacrae Litterae docent.

III. Sacramentum hoc divinitus institutum, non nudam coeremoniam contra Lutheranos, et Calvinistas profitemur.

IV. Id multis S. Scripturae enunciationibus ostenditur, et concordi Patrum traditione.

V. Sacram huiusmodi unctionem praefiguravit columba Noe, et Iesu a Ioanne baptizati, et propheticum laetitiae oleum.

VI. A Christo Domino institutum in praecepto regenerationis ex aqua, et Spiritu Sancto adstruimus, S. Cypriano duce.

VII. Viventibus post Baptismum necessaria, et proficua est Confirmatio.

VIII. Renatus ex aqua moriens, innoxius regnum coelorum adit sine Chrismate, quemadmodum parvuli sine suo actu fidei baptizati, et catechumeni fidem habentes sine aqua.

IX. Sacramentum Chrismatis unum, idemque cum Baptismo effutiunt Dallaeus, et Binghamus, instar Sacramenti panis cum vino.

X. At unum eucharisticae mensae convivium longe differt a disparibus Baptismo, et Chrismate.

XI. Duplicem habet materiam Confirmatio, unctionem scilicet Chrismatis, et manuum impositionem.

XII. Utramque ab Apostolis adhibitam Patres tradunt.

XIII. Scholae recentiores materiae unitatem spectantes, impositionem manuum in ipsamet unctione Chrismatis confundere putarunt.

XIV. Prisci Patres unam ab altera dissociarunt apertissime.

XV. Manuum episcopalium impositio connexam habet orationem ex more Apostolorum.

XVI. Explicatur sententia Innocentii III., et IV, et Eugenii IV. circa materiae unitatem.

XVII. Manus impositio triplex, tangens capita, elevata, et extensa.

XVIII. Sola manuum impositione perfici Sacramentum nonnul-

li ex Theologis nostris putant, alii pro duplici materia contendunt probabilius.

XIX. Oleum ne solum sufficiat, an requiratur, ut sit balsamo commixtum latino ritu, aut XXXV. aromatibus graeco more, disputant nostri.

XX. Odoriferum Chrisma ab aevo Apostolorum profluxisse videtur.

XXI. Chrisma ex oleo, et balsamo confectum comprobant Eugenius IV, et Rituale Romanum.

XXII. Innocentius III. his ipsis revera non adversatur.

XXIII. Chrismatis oleum consecrant Episcopi tantum.

XXIV. Nonnisi olivarum oleo communi Chrisma conficitur.

XXV. Forma Confirmationis duplex duplici respondet materiae, oratio scilicet impositioni manuum, et concepta verba unctioni.

XXVI. Orasse Apostolos, et Spiritum S. invocasse, dum imponebant manus, tradunt ipsorum Acta, et Patres.

XXVII. Graeca forma verbis tantum, non re a Latina differt.

XXVIII. Calvinistae falso negant verba alterutrius formae sacramentalis reperiri in sacris Litteris.

XXIX. Ordinarius Confirmationis minister Episcopus est.

XXX. Presbyteris quum graecis, tum latinis huius Sacramenti ministerium demandare prisci Episcopi sueverunt.

XXXI. Iisque Innocentius I., et Gregorius M. quum baptizatos episcopali Chrismate ungere, praeterquam in fronte generatim permisissent: aliquibus etiam in fronte signare speciatim Gregorius idem indulsit.

XXXII. Tum S. Leo M., et Gelasius chorepiscopis, et presbyteris frontes baptizatorum chrismate signare vetuerunt.

XXXIII In Bulgaria Latini Episcopi baptizatos a presbyteris ritu latino unctos confirmare non omiserunt, reclamante Photio.

XXXIV. Innocentius III. latinis presbyteris Constantinopoli commorantibus Sacramentum Confirmationis temeritate sua ministrare prohibuit, graecis non item.

XXXV. Eugenius IV. Confirmationis ministros ordinarios docuit Episcopos esse, extraordinarios ex apostolica dispensatione presbyteros.

XXXVI. Fratribus Minoribus in regiones Orientis, et Septemtrionis, et presbyteris Societatis Iesu in Brasiliam ad fidem propagandam missis confirmare baptizatos indulsit Sedes Apostolica; tum nonnullis Abbatibus, et Regularium Superioribus.

XXXVII. Refellitur Petrus Suavis carpens canonem tridentinum de ordinario Chrismatis ministerio Episcopis vindicato, et pontificia delegatione presbyterorum extra ordinem.

XXXVIII. Consuetudinem ritus graeci, quae presbyteris man-

dat Chrismatis ministerium , Romana Ecclesia nunquam improbavit.

XXXIX. In graecis regionibus latino , aliove imperio subactis irrita est presbyteralis Confirmatio sine dispensatione apostolica.

XL. Consecrandi Chrismatis facultatem, an presbytero delegare summus Pontifex valeat , dubitatur adhuc.

XLI. Hanc Prelatis, et Abbatibus, et aliis privilegio chrismandi utentibus indulgere non consuevit Sedes Apostolica.

XLII. Saeculo VI. lata lex de conficiendo quotannis novo Chrismate , quod antea sueverant Episcopi sine temporis discrimine pro libito conficere.

XLIII. Baptizatos etiam parvulos confirmant graeci,saltem septennes adultos , aut moribundos parvulos latini.

XLIV. Ex divino praecepto baptizati omnes confirmandi sunt, id contemnentes periculum subeunt aeternae salutis.

XLV. Non baptizati inaniter confirmantur, et ubi dubitatur de valida chrismatione , sub conditione repetenda ea est.

XLVI. Ut Baptismus , ita Confirmatio iterari nequit.

I. *Sacramentum unctione Chrismatis cum impositione manuum, conceptisque verbis regeneratum hominem signans, et Spiritu S. in fide roborans*,Confirmationem esse definio ex apostolicis Litteris.Paullus enim Corinthios docens (1) : *qui* confirmat *nos*, ait, *vobiscum in Christo, et. qui* unxit *nos Deus; qui et* signavit *nos , et dedit pignus* Spiritus *in cordibus nostris.* Et rursus (2): *in quo et credentes* signati *estis* Spiritu *promissionis* sancto , *qui est pignus haereditatis nostrae.* Simul Ioannes (3) inquit : *Scribo vobis* infantes , *quoniam cognovistis Patrem. Scribo vobis iuvenes, quoniam* fortes *estis. et verbum Dei manet in vobis , et vicistis malignum. Vos* unctionem *habetis a Sancto . . .* unctionem , *quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Quemadmodum *fortes iuvenes* a Ioanne dicuntur *uncti:* sic Petrus *infantes modo genitos* appellat ex aqua Baptismi tantum renatos, inquiens in priori epistola (4) : *sicut modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Tum in altera (5) *confirmatos* quoque alloquitur, dum ait : *Incipiam vos semper commonere de his : et quidem* scientes , et confirmatos *in praesenti veritate.*

(1) *Ep. 2.* ad Corinth. *cap. 1. vers. 21., et seqq.* Quo spectare quoque videntur ea, et alia verba prioris epistolae *ad Corinthios cap. 1. vers. 6., et seq. Testimonium Christi* confirmatum *est in vobis ita, ut nihil vobis desit in ulla gratia . . . qui et* confirmabit *vos usque in finem sine crimine.*

(2) Ad Ephesios *cap. 1. vers. 14.*

(3) *Ep. 1.* Ioannis *cap. 2. vers. 14., 20. et 27.*

(4) 1. Petri *cap. 2. vers. 2.*

(5) 2. Petri *cap. 1. v. 12.*

*

II. Quod Apostoli orantes, imponentesque manus hocce Sacramento dedissent Spiritum sanctum, praesertim Petrus, et Ioannes Samaritanis, Ephesiisque Paullus, eorundem Apostolorum Acta (1) ferunt. Rem cum Samaritanis actam expendens S. Cyprianus (2): *quia legitimum, et ecclesiasticum Baptismum*, ait, a Philippo Diacono *consecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Ioanne, et Petro factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita, invocaretur, et infunderetur super eos Spiritus S. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram* orationem, *ac* manuum impositionem *Spiritum Sanctum consequantur, et* signaculo dominico *consummentur.* Ea ipsa ex re Chrysostomus (3) arguens docet: *virtutem illi quidem septem discipuli acceperant faciendi signa, non autem dandi aliis Spiritum Sanctum. Igitur hoc erat in Apostolis singulare: unde et praecipuos, et non alios videmus hoc facere.* Priscis etiam saeculis episcopalium manuum impositione dari Spiritum Sanctum iis, qui iam acceperant Baptismi gratiam, consuevisse contestantur et alii Patrum coaevi (4).

III. Quum Apostolorum scripta, et mores, traditioque non interrupta satis, superque ostendant Confirmatione apostolicis primum, dein episcopalibus praecipue manibus per sacram unctionem data baptizatis superinfundi gratiam Spiritus sancti uberiorem, et signum permanens, dubitari profecto non potest. Quin ea verum sit Sacramentum novae Legis divinitus institutum. Quid ergo aliud in causa fuit, ut id impudentius negarent Lutherus, et Calvinus, nisi perfidia, et insania utriusque foedissima? Vix coeremoniam sacramentalem esse fatentur; qua olim Episcopi fidem baptizatorum solemni catechismo exploratam probarent, sponsionemque per patrinos in Baptismo datam ab iis ipsis certiorem acciperent. Addunt Apostolos precibus, et manuum impositione contulisse non gratiam sanctificantem, sed illam, quae a theologis dicitur

(1) Actorum *cap. 8. vers. 14, et seqq.* Cum *audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset* Samaria *verbum Dei: miserunt ad eos Petrum, et Ioannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum S: nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu: tunc* imponebant manus *super illos, et accipiebant Spiritum santum.* Tum *cap. 19. v. 5, et seqq.* Ephesii *baptizati sunt in nomine* Domini Iesu, *et cum* imposuisset *illis* manus *Paullus, venit* Spiritus S. *super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.*

(2) S. Cyprianus *ep. 73. ad Iubaianum.*

(3) S. Io. Chrysost. *hom. 18. in cap. 8. Act. Apost.*

(4) S. Hieronymus *in dial. contra Luciferianos*, S. Augustinus *tract. 6. in Ioannis ep. 1., et lib. 3. de Baptismo cap. 16.* Innoc. I. *ep. 1. ad Decentium cap. 3.* S. Isidorus Hispalensis *lib. 6. de offic. cap.26,* Ven. Beda *in cap.8. Actor.* Rabanus Moguntinus Archiep. *lib. 1. de inst. cler. in can. 5. de cons. dist. 5*, Synodi Aurelianensis, Meldensis, Tarraconensis *ibidem.* Ante Siricianas Urbani, Melchiadis, Eusebii decretales a Gratiano exscriptas in *can. 1, et seqq. de cons. dist. 5.* libentius praetereo, quod eae vel spuriae, vel suspectae sint, indicandis moribus octavi, quo confictae sunt, saeculi aptiores.

gratis data, manifesta scilicet linguarum et prophetiae dona dumtaxat cum Spiritu sancto (quem et ipsi cum iisdem donis aeque acceperant in die Pentecostes sine Sacramento) malis etiam hominibus aliquando concessa. Inde arguunt, ex quo desiit gratia linguarum, et prophetiae profluens ex apostolicis manibus, precibusque, otiosam, et vacuam Confirmationis coeremoniam effectam esse.

IV. Certe at quidem nugantur perfidi, ad Scripturas intelligendum pertinaciores, quam hebetes. *Confirmat nos in Christo, unxit, signavit, dedit Deus pignus Spiritus in cordibus nostris, pignus haereditatis nostrae, signati Spiritu promissionis sancto, unctionem a Sancto, quam accepistis, imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum :* haec, et similia saepe repetita ab Apostolis verba non caeremoniam Sacramento vacuam, sed verum Sacramentum sic aperte indicant, ut nullus dubitandi locus supersit. Si qua vero emerserit dubitatio : priscos Ecclesiae Patres interrogemus, qui nobis Apostolorum mentem annunciabunt fidelissime. S. Cyprianus(1) non modo Baptismum, sed Confirmationem quoque *Sacramentum* appellat. *Parum est*, ait, *eis manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi et accipiant Ecclesiae Baptismum. Tunc plene sanctificari, et esse filii Dei possunt, si* utroque Sacramento *nascantur ; quum scriptum sit:* nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Et iterum: *qui legitimo, et vero, atque unico S. Ecclesiae Baptismo ad regnum Dei regeneratione divina praeparantur*, Sacramento utroque *nascantur*. Tertullianus (2), *egressi de lavacro*, inquit, *perungimur benedicta* unctione . . . . *in nobis carnaliter currit* unctio, *sed spiritualiter proficit : quomodo et ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur.* Et rursus : *caro abluitur, ut anima emaculetur : caro* ungitur, *ut anima consecretur: caro* signatur, *ut anima muniatur: caro* manus impositione *adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur.* Idemque alibi: *Fideles aqua signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit.* S. Augustinus (3) *Sacramentum Chrismatis* (ait) *in genere visibilium* signaculorum *sacrosanctus est, sicut et ipse Baptismus . . . discerne ergo visibile sanctum* Sacramentum. Quid apertius pro huius Sacramenti veritate potest ex unanimi Patrum traditione proferri ? Quo magis magisque confundantur procaces Sacramentorum hostes : adhuc S. Augustinum audiant, qui eorum perversam insipientiam iamdiu sic refellit (4): *Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus, et loquebantur linguis, quas non didicerant... Signa erant temporis opportuna : oportebat enim ita significari in omnibus Spiritus sanctus, quia Evangelium Dei per omnes linguas*

(1) S. Cyprian. *ep. 72., et 73.*

(2) Tertull. *lib. de Baptismo cap. 7., lib. de resurrect. cap. 8, et de praescrip. cap. 36.*

(3) S. August. *lib. 2. contra litteras Petiani Donatistae cap. 104.* Ceteri Patrum passim consentiunt.

(4) Idem *tract. 6. in ep. 1. Ioannis.*

cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, et transiit. Numquid modo, quibus imponitur manus, ut accipiant Spiritum S., hoc expectatur, ut linguis loquantur? aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum, utrum linguis loquerentur? et cum videret eos linguis non loqui ita perverso corde aliquis vestrum fuit, ut diceret: non acceperunt isti Spiritum Sanctum, quia si accepissent, linguis loquerentur? Si ergo per haec miracula modo testimonium praesentiae Spiritus Sancti non fit: unde cognoscit quisque se accepisse Spiritum Sanctum? interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Quid plura? Eos diris Tridentina Synodus meritissime devovit, et anathema semper sit quisquis dixerit: *Confirmationem baptizatorum otiosam coeremoniam esse, et non potius verum, et proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant* (1).

V. Divinam huiusce Sacramenti institutionem praefiguravit nedum columba cum olivae ramo post diluvii aquas ad aream regressa (2): verum etiam Spiritus sanctus in columbae specie super caput Iesu in Iordane vix baptizati, demissus a Patre (3), non ut Unigenito Dei vero Deo adderet gratiam, sed ut indicaretur gratia Spiritus sancti, ab Homine Deo ad homines, tanquam a Capite ad membra, mox effundenda, instar unguenti, quod descendit in barbam Aaron usque ad oram vestimenti eius (4). Propterea Christum uti hominem *unxit Deus oleo laetitiae prae consortibus suis* (5): quia consortes homines eodem erat

(1) Trid. *sess. 7. de confirm. can. 1.*

(2) Tertull. *de Baptismo cap. 7. Quemadmodum enim*, ait, *post aquas diluvii . . . post Baptismum, ut ita dixerim, mundi, pacem coelestis iraeque praeco* columba *terris adnunciavit, demissa ex arca, et* cum olea *reversa... eadem dispositione spiritualis effectus carni nostrae, emergenti de lavacro post veteris delicta,* columba S. Spiritus *advolat, pacem Dei adferens, emissa de coelis, ubi Ecclesia est arca figurata.* Rabanus Maurus, qui IX. sacc. floruit, *lib. de institut. clericor.* idipsum monet: *Huiusce per* unctionem *sanctificationis typum praeferebat* columba *illa, quae in diluvio ad aream reportavit ramum olivae virentibus foliis, significans utique, quod Spiritus Sanctus per* Chrismatis unctionem *virorem confert fidelibus coelestis gratiae.*

(3) Optatus Milevitanus *lib. 4. pag. 94. edition. Paris. an. 1679.*, haec habet: *Descendit in aquam Iesus, non quia erat, quod in Deo mundaretur, sed venturum* oleum *aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda, et ornanda, et implenda Baptismatis. Lotus quum in Ioannis manibus haberetur, secutus est ordo mysteriis, complevit Pater, quod rogaverat Filius, et quod nunciaverat Spiritus S. Apertum est coelum, Deo Patre ungente, spirituale* oleum *statim in imagine* columbae *descendit, et insedit capiti eius, et perfundit eum, unde coepit dici* Christus, *quando* unctus *est a Deo Patre. Cui ne* manus impositio *defuisse videatur, vox audita est Dei de nube dicentis:* Hic est Filius meus, de quo bene sensi, hunc audite. Rabanus Maurus *loc. cit: Baptismo*, inquit, *continuatur* Chrismatis unctio, *qua Spiritus sanctus, qui per illud* Chrisma *sanctificat credentes, baptizato Iesu, statim super illum in* columbae *specie descendit.*

(4) *Psalm. 132. vers. 2, et 3.*

(5) *Psalm. 44. vers 9.*

oleo unctarus, atque iam *de plenitudine eius nos omnes accepimus* (1). *Quia Confirmatio est*, ut divus Thomas (2) monet, *Sacramentum plenitudinis gratiae, non potuit habere aliquid respondens in veteri Testamento, quia nihil ad perfectum adduxit lex* (3).

VI. Si verum Legis novae Sacramentum est Confirmatio: id ab ipso Christo institutum fuisse oportet (4). Docet Angelicus (5), *quod Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Ioannis XVI. vers.* 7, si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos: *et hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem, et ascensionem, secundum illud Ioannis VII. v. 39.*, nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Nihilo tamen minus de hocce quidem Sacramento suscipiendo legem a Christo Domino latam, ubi ait: *nisi quis renatus fuerit ex* aqua, *et* Spiritu sancto, *non potest introire in regnum Dei*, dicere ausim. Enim vero si ex aqua Baptismi saepius regenerari homines, quam renasci palam dictitant sacrae Scripturae paullo ante recitatae, nil obstat, quominus sacro Chrismate ungendos Christus dixerit ex Spiritu renaturos (6). Quippe qui, ut S. Cyprianus modo iam explicuit, *unico Baptismo ad regnum Dei* regeneratione divina *praeparantur*, Sacramento utroque *nascantur* oportet adeo plena maturitate, ut vitam trahere spiritualem valeant robustiores. Nemesianus item in Concilio S. Cypriani ait, *neque* Spiritus *sine* aqua *operari potest, neque* aqua *sine Spiritu.* Anonymus (7) hinc duplicem a Christo institutum Baptismum considerans, ait: *Baptisma* aquae . . . *minus est: Baptisma vero* Spiritus, *quo quis in* Spiritu S. *per manus impositionem Episcopi baptizatus est, maius est. Salvos* (scribit (8) Apostolus) *nos fecit per lavacrum* regenerationis, *et* renovationis *Spiritus sancti.* Ab Apostolo *regeneratio* Baptismi, et *renovatio* Confirmationis Spiritus Sancti idcirco dicitur nos utraque salvos fecisse, quia Christus nedum ex *aqua*, sed ex *Spiritu sancto* etiam renatum iussit introire regnum Dei. Patres Laodicaeni hoc ipsum videntur explicatius declarasse (9): *Oportet* aiunt, *eos, qui illuminantur, post Baptisma inungi supercoelesti Chrismate, et esse regni Christi participes.* Eliberitana quoque Synodus (10): *lavacrum integrum* habere eos

(1) Videsis Catech. Roman. *hoc tit.* §. *2.*
(2) S. Thomas *par. 3. qu. 72. art. 1. ad 2.*
(3) Ut dicitur in *ep.* ad Haebreos *cap. 7. v. 19.*
(4) Ex supra expositis *tit. II. num. XII., et XIII: XXXII. et XXXV.*
(5) S. Thomas *par. 3. qu. 72. art. 1. ad 1.*
(6) Tametsi Anonymus in superiori *tit. IV. num. XLII.* laudatus ea ipsa verba de duplici Baptismo fluminis, et flaminis etiam exponit.
(7) Idem Anonymus in *tract. de Baptismo* contra S. Cyprianum inter Cypriani opera.
(8) *Ep. ad* Titum *cap. 3. v. 5.*
(9) Syn. Laodicaena an. 320., *can. 48.*
(10) Eliberitana an. 305., *can. 38. Posse fidelem*, ait, *qui* lavracum *suum*

sensit, quos et aqua Baptismi, et unctio Spiritus sancti per manus impositionem *perfectos* fecerit christianos. Huc etiam allusit S. Leo M. (1) inquiens: *Permanete stabiles in ea fide . . . in qua renati per aquam, et Spiritum sanctum accepistis, Chrisma salutis, et signaculum vitae aeternae.* Fit exinde, ut baptizatus Chrisma cum impositione manus ab Episcopo accipere contemnens, a regno Dei excludatur. Utrumque porro Sacramentum nobis ad aeternam salutem est necessarium, diverso licet respectu; Baptismus nempe *necessitate medii*, Confirmatio vero *necessitate praecepti.*

VII. *Si* quaeres *quid prodest post mysterium Baptismatis ministerium confirmantis?* respondet Eucherius lugdunensis (2): *quia in hoc mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes, et pericula gradiendum est: in Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam. Ac si continuo transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem sunt* necessaria *Confirmationis auxilia . . . Qui post Baptismum cum adquisita innocentia immaculatus pervenit ad mortem, confirmatur morte, quia iam non potest peccare post mortem.*

VIII. Dices fortasse adhuc haesitans, baptizatum sine Chrismate procul dubio regnum coelorum introire, idque nullo pacto fieri tunc posse, quum ex Spiritu sancto renatum Christus Dominus eum dixisset, qui foret oleo sacro inunctus. At in rebus uno sermone coniunctis morem sacrae Scripturae, quae illas solet sensu dissociare, si consideraveris omnem procul habebis dubitationem. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, a Christo dictum etiam legimus. Numquid ergo baptizatus infans, qui non crediderit, non salvabitur? An catechumenus contra non baptizatus, qui crediderit, damnabitur? Ambo salvos fore iam nostis (3). Itaque fieri sane id potest, quod et saepe fit, ut coeleste regnum introeat renatus ex aqua, sed Spiritu sancto non confirmatus per Chrismatis unctionem, non aliter, quam credens catechumenus non baptizatus, aut baptizatus parvulus non credens.

IX. Sunt ex morbido grege extra ovile dominicum aberrantes, in his Dallaeus (4), et Binghamus (5), qui Sacramentum Chrismatis a Baptismo distinctum nolunt agnoscere, contendentes non aliud esse, nisi coeremoniam, quae Baptismum aqua inchoatum perficiat, eam dicere suis cum ducibus impudentioribus otiosam veriti. Et quemadmodum duabus panis, et vini speciebus una conficitur Eucharistia, ita duabus aquae, et chrismatis partibus unum constare Baptismum coarguunt.

integrum *habeat, nec sit bigamus, baptizare in necessitate: ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut* per manuum impositionem perfici *possit.*

(1) S. Leo M. *serm. 4. in Nativ. Domini.*

(2) Eucherius, quive sub Eusebii Emisseni nomine latet auctor *hom. de Pentecost. in bibl. Patr. to. 6.*

(3) Ex dictis superiori *tit. IV. XLII., et L.*

(4) Dallaeus *lib. 1. de Confirm. cap. 8., et lib. 3. cap. 13.*

(5) Bingham. *orig. lib. 12. cap. 1. §. 4. et 5. to. 4.*

X. Quum error istorum dèpulsus iam sit praemissa Patrum unanimi traditione, quae duo plane Sacramenta, alterum Baptismi, Confirmationis alterum enumerat (1): sat erit comparationem disparem, et inania ipsorum refellere argumenta. Quoniam Corpus, et Sanguis Domini ad unam, eandemque victimam, et aram; panis et vinum ad convivium unum, mensam unam, unumque alimentum cibo, ac potu simul constans referuntur: Eucharistiam idcirco unam ambo partes praecipuae conflant (2). Sed aliud aqua Baptismi spectat, aliud unctio Chrismatis. Nam Baptismus labem originariam detergit, animasque peccatorum veneno demortuas excitat ad vitam: Confirmatio vero nec abluit peccata, nec vitam mortuis animabus largitur, sed mundas ampliori gratia vestit, vivasque, at imbecillas ita corroborat, ut ipsae veluti ab infantia ad iuventam adolescant robustiorem, ac plenam. Tanta quum discrimina inter Baptismum, Confirmationemque posita oraculis apostolicis sint, cur gregales hostes non puduit, disparia Sacramenta duo cum binis unius Eucharistiae speciebus aequis comparare?

XI. Hucusque *Sacramentum* esse Confirmationem ostendimus: de materia nunc, et forma dicendum, quae alias a Baptismo differentias indicant apertius. *Chrisma*, scilicet oleum balsamo commixtum, consecratumque ab Episcopo, simul et *impositio manuum*, idonea huic Sacramento materia sane putatur. *Chrisma graece*, inquam cum S. Isidoro (3), *latine* unctio *nominatur*, *ex cuius nomine*, *et Christus dicitur*. Manus impositio *ideo fit*, *ut per benedictionem advocatus*, *invitetur Spiritus sanctus: tunc enim ille Paracletus post mundata*, *et benedicta corpora*, *libens a Patre descendit:* Christianos idcirco fore nonnisi accepto Chrismate appellandos, scribit S. Cyrillus (4).

XII. Utramque in Confirmatione materiam consuevisse ab apostolicis usque temporibus adhiberi, ostendunt affatim antedicta Scripturarum, Patrumque testimonia, et per manus tradunt Rituales libri, praesertim S. Gregorii M. Sacramentarium, et Ordo Romanus, simul Gregorius III (5), et hodiernum, ut ceteros sileam, Pontificale Romanum. Apostoli quod manus tantum imposuissent, in eorumdem Actis legimus. At *utebantur* procul dubio, divus Thomas (6) ait, *Apostoli communi-*

(1) Videsis dicta paullo superius *hoc tit. num. IV., et VI.*

(2) Videsis antedicta *tit. II. de Sacramentis n. XV.*

(3) S. Isidor. *lib. 6. origin. cap. ult.* Eumque praecivit Tertullianus] *de Baptismo cap. 7.*, inquiens: *Dehinc* manus imponitur *per benedictionem advocans*, *et invitans Spiritum sanctum . . . tunc ille sanctissimus Spiritus super emundata*, *et benedicta corpora libens a Patre descendit.*

(4) S. Cyrill. Hierosol. *catech. 3: Huius sancti* Chrismatis *dono accepto*, ait, *merito appellamini* christiani, *veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: ante enim, quam haec gratia vobis donata esset, non eratis proprie digni eo nomine.* A Gratiano fertur in *can. 1. dist. 5. de consecr.* S. Urbanus Pontifex et Martyr rescripsisse, quod *per manus impositionem pleni Christiani* fiant. Sed latet sub Urbani nomine pseudo-Isidorus.

(5). Gregorius III. *ep. 7.* ad Bonifac. Germanorum Episcopum rescripsit, *oportere eos per* manus impositionem, *et sacri* Chrismatis unctionem *confirmari.*

(6) S. Thom. *par. 3. qu. 72. art. 2. ad 1.*

ter Chrismate in exhibitione Sacramenti. Namque multa quidem esse, *quae licet taceantur in Scripturis gratia brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda* , monet S. Augustinus (1). Multa , S. Thomas condocet (2) : *servabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quae in Scripturis communiter propositis non sunt tradita.* Ut Eucharistiam materia ex aequo duplex , panis , et vinum conficiunt : sic absurdum non est, quod materia pariter dupla, Chrismate sacro , et manuum impositione , integrum constet Sacramentum Confirmationis.

XIII. Scholae sequioris aevi quum absonam putarent duplam huius Sacramenti materiam, ad unam contrahere coeperunt, asseverantes unum, idemque esse pollice episcopali frontem cum Chrismate inungere, atque baptizato manum imponere : quum .sine manu peragi unctio nequeat. Eiusmodi sententiae favisse cum primis videtur Innocentius III (3), dum *per frontis chrismationem* , ait , *manus impositio designatur* , *quae alio nomine dicitur Confirmatio.* Et rursus (4) : *Sacramentum Confirmationis chrismando renatos soli debent Episcopi per manus impositionem conferre.* Tum Innocentius IV. (5) *soli Apostoli* , inquit, *quorum vices gerunt Episcopi* , *per* manus impositionem, *quam* Confirmatio , vel frontis chrismatio *repraesentat, Spiritum S. tribuisse leguntur.* Simul Eugenius IV. (6) : *loco illius manuum impositionis* , *per quam Apostoli dabant Spiritum S.* , *datur in Ecclesia Confirmatio . . . cuius materia est* Chrisma confectum ex oleo , et balsamo. Catechismo itidem Romano (7), *Chrisma* esse materia huius Sacramenti dicitur.

XIV. Qui vero curatius perscrutantur ritus et priscos, et medios, et hodiernos ab Ecclesia semper usurpatos, ac traditos, manus impositionem ab unctione sacra non temere dissociant. *Caro ungitur*, Tertullianus (8) habet , *ut anima consecretur : caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur.* S. Cyprianus (9): *per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo dominico consummentur.* S. Gregorius M. (10): *Pontifex veniens ad infantes, tenente Archidiacono Chrisma, elevata* manu *super capita omnium, dicit :* Omnipotens sempiterne Deus . . . emitte in eos septiformem Spiritum tuum . . . *Pontifex tincto pollice in* Chrismate, *facit crucem in fronte.* Gregorius III (11) rescribit *oportere eos per*

(1) S. Aug. *lib. de fide, et operib. cap. 9.*
(2) S. Thom. *loc. cit. art. 4. ad 1.*
(3) Innoc. III. Archiep. Trinonitano Primati Bulgariae in *cap. cum venisset 1. de sacra unctione.*
(4) Idem ad Lucium Constantinop. Vicarium in *cap. quanto 4. de Consuetudine.*
(5) Innoc. IV. *ep. 10.* ad Othonem Cardinalem *cap. 4.*
(6) Eugen. IV. in decreto *pro Armenis.*
(7) Catech. Rom. *hoc tit.*
(8) Tertull. *de resurrect. carnis cap. 8.*
(9) S. Cyprian. *ep. 73.*
(10) S. Gregor. M. *in Sacramentario.*
(11) Gregor. III. *ep. ad Bonifacium.*

manus impositionem, *et sacri Chrismatis* unctionem *confirmari.* Ven. Beda (1) : *fideles omnes cum* impositione manus *sacerdotalis, qua Spiritus S. accipitur,' hac* unctione *signentur.* Synodus Wormatiensis (2) sanxit non licere *presbyteris per* impositionem manus *Paracletum Spiritum tradere , nec* Chrismate *baptizatorum frontem signare.* Rupertus Abbas (3): *per* impositionem manuum, *sacrique Chrismatis* unctionem , *secundam , qui renatus est , gratiam accepit.* Cum Latinis Patribus , et Ritualibus consentiunt Graecorum Euchologia. Nam *impositio manuum ,* monet clarissimus Renaudotius (4), *in plerisque graecorum libris Ritualibus praescripta reperitur , quanquam pro praecipua Confirmationis parte non habeatur. Quod non ideo fit , quasi Graeci, et Orientales magnam in* impositione manuum *efficaciam non agnoscant sed quia, cum in omnibus pene Sacramentis fiat,* unctionem , *quae paucorum propria est, principalis materiae tenere locum existimant.*

XV. *Impositio manuum* latius accepta, a S. Augustino definitur *nihil aliud esse , nisi oratio super hominem* (5). Primos enim Patriarchas filiis suis benedicturos constat precibus Deum invocasse , ut coelestem benedictionem , dum super eos ipsi manum imponebant, largiretur. Cum primis Iacob decussatis manibus , quae futuram Christi Crucem praefigurasse videntur Tertulliano (6), tangens Ephraim simul et Manassem nepotes suos , filios Ioseph , deprecatus legitur Deum suum, ut pueris benediceret (7). Christus Dominus et parvulos ad benedicendum, et infirmos ad sanandum , et mortuos ad resurgendum manibus tetigit suis. Eoque more usos Apostolos , quoties curarent energumenos, et aegros, aut benedictionem aliquam cuique impertirentur , illis etiam , quos ab se dimitterent , praesertim Saulo , et Barnabae (8) palam est. Sed proprio, strictoque sensu non aliud *impositio manuum* sonat, nisi vel Confirmationis , vel Ordinis Sacramenta irreiterabilia. *Cum simpliciter aliquem benedicimus* , tradit Hincmarus (9), *manus ei antiquo more im-*

(1) Beda in *cap. 1. Cantic., et commentar. in cap. 8. Act. Apost.*

(2) Synod. Wormatiensis an. 868. *can. 8.*

(3) Rupert. Abbas *lib. 5. de divinis officiis cap. 16., et lib. 3. de operib. Spiritus S.*

(4) Eusebius Renaudot *de perpetuitate fidei to. 5. lib. 2. cap. 12.* Imponi manum , et Spiritum S. baptizatis infundi, unum, idemque esse , scribit Photius in *cap. 6. ep. ad Hebraeos.*

(5) S. Aug. *lib. 3. de Baptismo cap. 16.*

(6) Tertull. *de Baptismo cap. 7. Manus imponitur,* ait, *per benedictionem advocans, et invitans Spiritum sanctum. Sed et hoc quoque de veteri Sacramento, quo nepotes suos ex Ioseph, Ephraim, et Manassem, Iacob capiti impositis, et intermutatis manibus benedixerit, et quidem ita transversim obliquatis in se , ut Christum efformantes , iam tum portenderet benedictionem in Christo futuram.*

(7) Genesis *cap. 48. vers. 13, et seq.*

(8) Actor *cap. 13. vers. 3. Segregate mihi Saulum, et Barnabam . . . tunc ieiunantes , et orantes , imponentesque eis* manus dimiserunt *illos.*

(9) Hincmarus Rhemensis *lib. de var. capitul. cap. 16.* Fide nil sincera Gro-

ponimus . . . sive autem manus impositio *pro reconciliatione poenitentium, sive pro depulsione infirmitatis, vel diaboli, sive pro simplici benedictione impendatur: iterari, quoties opus fuerit, non prohibetur. Cum vero pro* Confirmatione, *sive* Ordinatione *impenditur, non iam pro sola* oratione , *sed etiam pro* Sacramento *habenda est, quam sancti Patres iterari prohibuerunt.* Apostolus hoc ipso vocabuli sono peculiari Hebraeos (1) instruens scribit , se *non rursum* iacere *fundamentum poenitentiae . . . Baptismatum doctrinae,* impositionis *quoque* manuum. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati... et participes facti sunt* Spiritus sancti . . . *rursus renovari ad poenitentiam* (2). Attamen haec eadem *impositio manuum* connexam habet orationem ex more Apostolorum ; utpotè qui *oraverunt* pro Samaritanis neophytis , *ut acciperent Spiritum S., tunc imponentes manus super illos* (3). *Neque enim* , docet S. Augustinus (4), *aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum S.* Orabant *quippe, ut veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis Praepositis etiam nunc servat Ecclesia.*

XVI. Itaque si obiecta Innocentii III., et IV., et Eugenii IV. verba videntur in unctione Chrismatis commiscere impositionem manuum , et hanc ut supervacaneam coeremoniam ab essentia Sacramenti segregare : *distinguitur* ab iis, inquam cum Bellarmino (5), *non ritus a ritu, sed modus loquendi a modo loquendi , et personae a personis ; et denique illa impositio* aevi apostolici *ab ista , quae modo est. Siquidem tunc dicebatur hoc Sacramentum communiter* impositio manuum, *nunc dicitur communiter* Confirmatio : *praeterea illam dabant Apostoli , istam Episcopi. Denique illa erat efficacior, quia cum effectu interno dabat etiam externum , et cum gratia gratum faciente dabat etiam dona gratis data linguarum , et miraculorum , . . Hac ergo ratione dici potest id , quod nunc fit, esse loco eius, quod tunc fiebat , licet sit idem quoad substantiam.*

XVII. Nil omnino refert, num episcopalis manus singula confirman-

tius *ep. 329. par. 1.*, scribit *impositionem manuum* esse unam ex coeremoniis Iudaicis , usurpatam a Christianis iure non divino , sed ex consuetudine , quoties ad Deum preces funderentur pro aliquo , ad significandam , invocandamque Dei potentiam in manuum impositione super caput eius, pro quo fiebat oratio.

(1) *Ep.* ad Hebraeos *cap. 6. Impositionem manuum* (exponit Haymon Halberstatensis *in comm. ad hoc cap. 6. ep. ad Hebr.*) *appellat Apostolus, per quam plenissime creditur accipi donum Spiritus sancti, quod post Baptismum ad Confirmationem unitatis in Ecclesia a Pontificibus fieri solet.*

(2) Superiori *tit. IV. de Baptismo num. VI.* iam praemonui Baptismum in Scripturis quandoque appellatum , et *Poenitentiam* , et *Illuminationem.*

(3) Actor. *cap. 8. vers. 15.* , *et 17.* Hac in re necessitatem orandi exemplo quoque suo videtur Christus Dominus praenunciasse, dum ait: *Ego rogabo Patrem , et alium Paraclitum dabit vobis* , Ioann. *cap. 14. vers. 16.* Alium scilicet ab ipso Dei Filio quod ad personam, secus quod ad divinam naturam utrique simul, et Patri communem.

(4) S. August. *lib. 15. de Trinit. cap. 26.*

(5) Bellarmin. *de Confirmat. lib. 2. cap. 9.*

dorum capita tangat, an elevata, vel extensa desursum adumbret. Utrovis modo imponatur, proba quidem erit Confirmatio. *Levata manu super capita omnium* fundi orationem pro confirmandis invocantem Spiritum S. tradit Sacramentarium divi Gregorii M. Ordo Romanus *imposita super capita eorum orationem* fieri *super eos cum invocatione septiformis gratiae Spiritus S.* Novissimo Pontificale Romano praescriptum, ut *extensis versus confirmandos manibus*, dicatur oratio. Hunc adumbrandi capitis morem elevata, extensave manu antiquissimum sat ostendit Tertullianus (1).

XVIII. Rebus ita plane se habentibus, eo progressi sunt P. Sirmondus, aliique non spernendi Theologi nostri, hoc ut maxime contendant, sola manus impositione Sacramentum perfici: quum in Actis unctionem silentibus ferantur Apostoli ea solummodo dedisse Spiritum Sanctum, et addant consuevisse in Ecclesia quum Latina, tum Graeca usque ad saeculum XIII. sine Chrismate non alia materia baptizatos confirmari (2). Idemque suo Sirmondus adversario Petro Aurelio mox reponit (3) verbis aequo asperioribus, *somnium ridiculum esse* impositionem manus *in frontis* unctione *quaerere, nihilque posse fingi absurdius.* Sirmondi sententiae subscribit, sed modestius Natalis Alexander (4). Neutram ex istis pugnantibus opinionibus mihi refellere in animo est: quamvis probabilior ea videatur, quae et impositionem manuum, et unctionem Chrismatis, ceu materiam duplicem postulat, utriusque necessitatem satis superque adstruens ex recitatis Scripturarum, Traditionisque perpetuae testimoniis (5). Iisque adde canonem Tridentinum (6) anathemate proscribentem, qui dixerit, *iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt.*

XIX. Operae nunc pretium est nonnulla speciatim de Chrismatis materia explicare. Oleum balsamo commixtum, et ab Episcopo consecratum adhibet Latina Ecclesia (7); Graeca vero superaddit trigintaquin-

(1) Tertull. supra laudatus *hoc tit. num. 4.*

(2) P. Sirmondus e Soc. Iesu *to. 1.* Conc. Galliae in *can. 2. Syn. Arausicanae*, *an. 441.* Sambovius Sorbonicus *disp. 3. de Sacr. Confirm.* Morinus *de Sacram. Poenit. lib. 9. cap. 9.*

(3) Sirmond. in *antichretico 2. contra Petr. Aurel.*

(4) N. Alexander in *hist. saec. II. diss. 10. de Sacr. Confirm.*

(5) Hanc tenent sententiam P. Roncaglia *in not.* ad praedictam Nat. Alexandri *dissert.* Iuvenin. *hoc tit. quaest. 2. cap. 3*, Doctor Sorbonicus *de Re sacramentaria to. 1. lib. 3. hoc tit. qu. 3. cap. 1., et 2.*

(6) Trid. *sess. 7. de Confirm. can. 2.*

(7) S. Gregor. M. illud Canticor. 1: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi:* sic exponit. *In vineis Engaddi (quae fontem hoedi sub symbolo Baptismi significat)* balsamum *gigni*, *quod cum* oleo *benedictione pontificali* chrisma *efficitur*, *quo dona Spiritus S. exprimuntur.* Idem *lib. Sacramentarii in can. Dom.* scribit: *praeparantur ampullae duae cum* oleo, *quarum melior defertur Pontifici*, *ut accepto* balsamo, *et commixto cum* oleo, *manu sua impleat eam.* Ordo Romanus *eod. tit: Primo misceat* balsamum *cum* oleo. Alcuinus, vel quisquis est auctor *lib. de divinis officiis*, *conficitur* chrisma, ait, *ex* oleo *mundissimo*, *et optimo* balsamo. Amalarius Fortunatus *de eccles iast. offic. cap. 12.* ritum conficiendi chrismatis describens, ait: *Hic non so-*

que aromatum species, vino antea concoctas (1). Sunt nihilominus, qui oleum tantummodo ad essentiam Sacramenti attinere putant, praecipue Cardinalis Caietanus, Sotus, et Estius (2) mixturamque balsami, aeque ac aliorum aromatum recentiori Ecclesiae praecepto institutam sexto abhinc saeculo (3). Hanc quippe silentio sic praeteritam a priscis Patribus Graecis, et Latinis fatentur, ut Apostolorum neque usu, nec traditione manifestari posse contendant. Cumque materiam aliis Sacramentis praebeant res vulgarissimae, aqua, panis, vinum, oleum : cum istis non congruere autumant sumptuosum balsami liquorem. Negant praeterea inopes Apostolos tantam balsami copiam, quanta inungendis tot millibus fidelium sufficeret, comparando pares fuisse.

XX. At vero manent adhuc indicia, quae, ni fallor, usque a temporibus Apostolorum ferunt originem odoriferi chrismatis. Antiquissimus auctor *constitutionum* vulgo *apostolicarum* (4) baptizatum quemque liniri odorifero *unguento* tradit, inquiens. Μετά τϐτο βαπτίσας αὐτὸν, χρισάτω μύρω ἐπιλέγον. A S. Dionysio (5) explicatius dicitur, quod *unguenti illa consummans unctio, eum, qui initiatur*, odoris *suavitate perfundit.* Ἤδε τῆ μύρϐ τελειωτικὴ χρισις ευωδη ποιτι τον τετελεσμενον. S. Cyrillus Hierosolymitanus (6) neophytos instruens, *et vobis*, ait, *postquam ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est* chrisma, καὶ ὑμῖν ομοιως αναβεβὶκοσιν ἀτὸ πῆς κολυμβῆθρας τῶν

lum oleum, *sed et* balsamum *consecratur.* Eugenius IV. in decreto *pro Armenor. instruct.* Confirmationem secundum Sacramentum esse docet, *cuius materia est chrisma confectum ex* oleo, *quod significat nitorem conscientiae, et* balsamo, *quod significat odorem bonae famae, ab Episcopo benedictum.* Catechis. Roman. *hoc tit.*

(1) Graecus auctor, sub nomine S. Dionysii Areopagitae latens, libri *de ecclesiast. hierarch. cap. 4.* tradit *unguenti* confirmatorii *confectionem, concretionem esse quamdam* materiarum bene olentium, *quae in se magnam vim, et copiam* fragrantium qualitatum *continent, cuius qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant.* Goar in *eucholog. Graec.* ritum praeparandi unguentum Chrismatis ex fragrantibus XXXV. herbis in vino decoctis describit.

(2) Card. Caietan. *par. 3. qu. 72. art. 1., et 2.*, Dom. Soto *in 4. sentent. dist. 7. qu. un. art. 2.*, Estius *in 4. dist. 4 cap. 8*, quos sequuntur N. Alexander in *hist. saec. II. cit. diss. 10. de Sacram. Confirm. qu. un. §. 21.*, et Iuvenin. *diss. 3. de Confirm. cap. 4. art. 2.*

(3) Synodus Bracarensis II. (an. 563) in *can. placuit 102. Caus. I. qu. 1*, damnat abusum exigendi tremissem a singulis Ecclesiis pro modico *balsami* benedicti. Eodem saeculo VI. balsami commixtionem commemorant S. Gregorius M. in *supra cit. Sacramentario*, et Gregorius Turonensis *de gloria martyrum cap. 41.*, qui una colloquentes idolatram flaminem, et Iulianum apostatam sic repraesentat. *Require, sacratissime Imperator, quis adest ablutus balsamo unctus, et abscedet. Quis hic*, reponit Iulianus, *nominibus nostris, ac Religionis Christianae socius, qui frontem Chrismatis inscriptione signatam ferat.*

(4) Auctor *const. apost. lib. 7. cap. 43.*

(5) Sive *cit.* Auctor *lib. de hierarch. ecclesiast. cap. 2., et 4.*

(6) S. Cyrill. Hieros. *catech. mystag. 3. n. 1.* Pretiosum unguentum, quo Magdalena unxit caput Iesu, μύρον etiam dicitur in Graeco Evangeliorum textu Matth. *cap. 26. v. 7., et 9.*, Marci *cap. 14. v. 3, et 4.*, Ioan. *cap. 12. v. 3, et 5.*

ἱερῶν χαμάτων εδεδη χρίσμα. Idemque S. Doctor explicans vim consecrationis episcopalis, subdit: *Quemadmodum panis Eucharistiae post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est Corpus Christi: sic et sanctum hoc* unguentum *non amplius est* unguentum *nudum, postquam consecratum est, sed est* Chrisma *Christi.* Quod primodicti Graeci auctores μυρον dixerunt, h. e. unguentum odorum, idipsum χρισμα quoque appellat S. Cyrillus : Graecis enim scriptoribus *Chrisma* non modo unctionem, sed etiam unguentum sonat. Hinc apud Augustinum (1), Latinosque alios Patres saepissime occurrit vocabulum *chrismatis* pro *unguento* accepti. Non igitur ex institutione recenti, sed a consuetudine vetustissima in oleo Confirmationis infunditur succus beneolens. Quo forsan respexit Apostolus, scribens (2) : *Christi bonus odor sumus.* Quique Iudaeam, et Ægyptum balsami arboribus maxime scatere, tum perpaucas eiusdem vel guttas, vel miculas in chrismate infundi considerat, mixturam huiuscemodi non alienam existimabit ab Ecclesiae primordiis, et paupertate Apostolorum, qui nihil habentes omnia possidebant ex ultroneis fidelium largitionibus. Neque absonum est in hocce Sacramento non absolute necessario, nec iterabili rem adhiberi non ita vulgarem, ut aquam in Baptismo ad salutem omnimodis necessario, ut panem, vinumque in Eucharistia iteranda saepissime, ut purum oleum moribundis opitulaturum ex tempore (3).

XXI. Apostolicam itaque traditionem sequutus conspicitur Eugenius IV (4), quum Armenos docuit materiam Confirmationis esse *chrisma confectum ex oleo, et balsamo ab Episcopo benedictum.* Romano etiam Catechismo traditur huiusce Sacramenti materia esse *chrisma*, scilicet *unguentum, quod ex oleo, et balsamo solemni Episcopi consecratione conficitur. Quare duae res corporeae permixtae Confirmationis materiam praebent, quae quidem diversarum rerum compositio, quemadmodum multiplicem Spiritus S. gratiam, quae confirmatis tri-*

(1) S. August. supra laudatus *hoc tit. n. IV.* Laodicaena Synodo an. 320. *cap. 48.* traditur *unctio supercoelestis chrismatis.* Synodo Carthagin. II. (an. 390) *can. 3.*, et Carthagin. III. (an. 397.) *can. 39., chrismatis confectio* presbyteris inhibetur. Quemadmodum et Toletan. I. (an. 400) *can. 20.*, ceterisque posterioribus. Ante Siricianam *ep. 2.* S. Fabiani Papae ad Orientales Episcopos consulto praetereamus, qua fertur *nec balsamum per singulos annos posse reperiri, nec necesse fore per singulos annos chrisma conficere.* Nam ea non martyrum ; sed pseudo-Isidori aetatem spectat.

(2) *Ep 2. ad Corinthios cap. 2. vers. 15.* Huc et allusisse Prophela videtur *psalm. 34. vers. 9, et 10.* canens : *Unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae prae* consortibus *tuis. Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis.* Quem locum sic exponit Bellarminus: *quia paullo ante dixerat Propheta Christo:* unxit te Deus, Deus tuus: *recte subiungit nunc;* myrrha,et gutta,et casia, *explicans odores aromaticos, qui ex illa unctione emanarunt.*

(3) S. Thom. *par. 3. qu. 72. art. 2. ad 4. Quia baptismus est Sacramentum absolutae necessitatis, et ideo eius materia debet inveniri ubique. Sufficit autem, quod materia huius Sacramenti, quod non est tantae necessitatis, de facili possit ad omnia loca terrarum deferri.*

(4) Eugen. IV. *in decr. pro instr. Armenor.*

buitur, declarat: ita etiam ipsius Sacramenti excellentiam satis ostendit. Quod sancta Ecclesia, et concilia perpetuo docuerunt (1).

XXII. Unus restat scrupulus ex epistola Innocentii III. Hic enim Pontifex Eliensi Episcopo sciscitanti, deberetne iterari Confirmatio in eo, qui *per errorem erat non chrismate, sed oleo delinitus?* respondit *non* esse *aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum* (2). Huiusmodi Innocentiana sententia valere sine balsami commixtione Sacramentum nonnulli coarguunt. Sed Innocentium cum Eugenio, et Catechismo Romano conciliaturus, nego hac ipsum mente fuisse. Quippe qui Archiepiscopo Trinonitano (3) scripsit, quod *ad exhibendam exteriorem, et visibilem unctionem benedicitur oleum, et conficitur chrisma, quod ex oleo fit, et balsamo mystica ratione.* Si Eliensi Episcopo indicavit Pontifex necessitatem supplendi praetermissum: id aio fuisse unctionem chrismatis, consecrati scilicet ex oleo, et balsamo unguenti, quum non iterandam sensisset impositionem manus. Duas quippe res in oleo simplici per errorem adhibito in Ecclesia Eliensi defecisse coniicio ex ipsa decretalis litera, consecrationem, et balsami infusionem. Quoniam vero nonnisi consecratum ab Episcopo chrisma, ut tradit S. Cyrillus, paullo ante laudatus, quod mox ostendam fusius, virtutem Sacramenti habet: fieri nullo pacto poterat, ut omissa quum balsami commixtio, tum olei benedictio suppleretur sola, eaque seiuncta balsami unctione sine oleo consecrato. Nec obstare integritati Confirmationis seiunctam longo intervallo unctionem chrismatis ab impositione manus ideo reor, quia neque officit Eucharistiae consecratio panis a vino separata, nec Ordinis Sacramento dissitae minorum, maiorumque ordinum collationes, tanquam partes singulatim perfectae, quae ubi coniungantur omnes, accedente ad priores ante positas postrema, in totum unum coalescunt.

XXIII. Nonnisi consecrato per Episcopum chrismate sacram hanc unctionem rite fieri iam liquet ex apostolica traditione. *Consecramus oleum unctionis*, inquam cum magno Basilio (4), *ex quibus scriptis? nonne a tacita, secretaque traditione?* S. Cyprianus (5): *unde baptizati unguntur*, ait, *oleum in altari sanctificatur.* Presbyteris vero nequaquam, sed solis Episcopis ius esse conficiendi, consecrandique chrismatis, fert etiam Traditio, et Consuetudo apostolica (6).

(1) Catechism. Roman. *hoc. tit. num. 2.*

(2) Innoc. III. in *cap. pastoralis 1. de Sacr. non iterandis.* Hanc decretalem ad Eliensem in Anglia Episcopum datam monet Gonzalez *ibidem*, in textu vulgato reticitum.

(3) Idem Innoc. III. in *cap. cum venisset 1. de sacra unctione.*

(4) S. Basil. in *can. ecclesiasticarum 5. dist. 11.* Videsis dicta *lib. 1. tit. III. de traditionibus num. II.*

(5) S. Cyprianus *ep. 70.* Consonat S. Cyrillus Hierosol. cum aliis Patribus paullo ante laudatis *num. 14. et 20.*

(6) De qua fidem facit cum primis auctor *lib. de eccles. hierarch. cap. 5. Lex*, ait, *divina unguenti divini consecrationem . . . divinorum* Pontificum *virtutibus attribuit.* Dein saec. IV. Synodi Carthaginens. II., et III. in *can. si iubet 1., et can. presbyter 2. C. XXIV. qu. 6.*, ibi: *Presbyter chrisma nun-*

XXIV. Quale oleum in chrismate adhibeatur, si quaeris, non aliud, nisi commune olivarum, aio cum divo Thoma (1); propterea quod *proprietates olei, quibus significatur Spiritus S. magis inveniuntur in oleo olivarum, quam in quocumque alio oleo: unde et ipsa oliva semper frondibus virens virorem, et misericordiam Spiritus S. significat. Hoc etiam oleum proprie dicitur oleum, et maxime habetur in usu, ubi haberi potest*, docet Angelicus idem.

XXV. *Formam* Confirmationis cum materia duplici congruentem nunc explicaturus, duplicem esse ostendam: quum scilicet verba orationis, ubi manus imponuntur, invocantia Spiritum sanctum, tum haec alia, dum fit unctio chrismatis apud Latinos: *Signo te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Apud Graecos: σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, h. e. *signaculum doni Spiritus Sancti.*

XXVI. Orasse Apostolos, et sanctissimos aevo martyrum Episcopos, tum ceteros sequentium aetatum, quoties manus imponerent, certo certius est ex iam recitatis Apostolorum Actis, et concordibus Patrum testimoniis (2). *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum... tunc imponebant manus super illos*, habet textus Actorum. *Per nostram* orationem, *ac manuum impositionem Spiritum S. consequantur, et signaculo dominico consummentur*, tradit S. Cyprianus. Tum. B. Hieronymus, *haec est consuetudo Ecclesiarum*, ait, *ut Episcopus ad* invocationem *Spiritus S. . . . manuum impositurus excurrat* (3). Siricius Papa: *Arianos cum Novatianis*, scribit, *aliisque haereticis, sicut est in Synodo constitutum, per* invocationem *solam septiformis Spiritus, episcopalis manus impositione catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus oriens, occidensque custodit* (4): his adde S. Augustinum (5).

XXVII. Alteram unctioni cohaerentem formam sive Graecam, sive Latinam ab apostolica quoque Traditione accepit Ecclesia. In secunda Synodo oecumenica (6) de ritu Confirmationis loquuti Patres, aiunt:

buam conficiat. Toletana I. *can. 20.* initio saec. V. cavit, *nullum alium, nisi Episcopum chrisma facere.* Innocentius I. *ep. ad Decentium cap. 3:* Chrismate, vit, *quod ab Episcopo fuerit consecratum.* Tum Gelasius I. *ep. 9. ad Episcopos Lucaniae*, vetuit *presbyteros ultra modum suum tendere, nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere*, non *conficiendi Chrismatis, etc.* Consonant subsequentes passim canones synodici, et Pontificum decretales, et Catechismus Romanus *hoc. tit.*

(1) S. Thom. *par. 3. qu. 72. art. 2. ad 3.*
(2) Supra *hoc tit. num. II.*
(3) S. Hieron. *in dialogo contra Luciferianos.*
(4) Siricius *ep. 1. ad Hymerium cap. 1.*
(5) S. August. *lib. 15. de Trinit. cap. 26.*
(6) Constantinopol. I. *an. 381. can. 7.* Trullana . . . Simeon Thessalonicensis *de Sacram. cap. 65.*, et Euchologia Graecorum prisca, et recentiora. Goar in *notis ad offic. S. Baptismatis num. 31. Graecos*, ait, *necesse est asserere, verum, et perfectum Confirmationis Sacramentum Chrismatis unctione, velut materia proxima, et verborum* σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου *forma penes se semper habuisse: ita Concilium Constantinop. et Trulla-*

signantes dicimus, *signaculum doni Spiritus sancti*. Istiusmodi Graecorum formae respondet Latina magis indicativa, quam tradit Eugenius IV. (1) : *Signo te signo Crucis*, *confirmo te Chrismate salutis etc.* Ad utramque formam alludunt ea Apostoli verba (2): *qui confirmat nos vobiscum in Christo*, *et qui unxit nos Deus*, *qui et signavit nos*. Et rursus: *in quo credentes* signati *estis*. Hisce verbis Paullus ita formam Sacramenti Chrismatis enunciat, ut Baptismi formam exprimit ad Romanos scribens : *quicunque baptizati sumus in Christo*. Nec Evangeliis unquam praescribuntur formalia verba *ego te baptizo*, vel *baptizetur*, quae tamen in illis Christi verbis, *baptizantes eos*, contineri docet apostolica traditio.

XXVIII. Negant Calvinus, Kemnitius, Dallaeus in apostolicis literis, et priscis canonibus, et Patrum scriptis verbum ullum reperiri, quod Confirmationis formam sic traditam redoleat. Nempe hoc assidue, radiante sole, allucinantur miseri, unum, ubi quamplurima iam recitata leguntur, verbum desiderantes. *Ne iota quidem* ostendi posse, rudit ille calens vino (3): *Unde ergo nos*, addit, *certiores facient Chrisma suum esse vas Spiritus sancti ? Videmus oleum*, *crassum scilicet*, *et pinguem liquorem*, *praeterea nihil*. Accedat, *inquit Augustinus*, verbum ad elementum, et fiet Sacramentum. *Hoc inquam verbum proferant*, *si quidquam aliud nos intueri in oleo volent*, *quam oleum*. Itane ? Videt si Calvinus oleum in *unctionis* vocabulo, quod saepe occurrit in sacris Litteris: cur non et verba frequentiora *confirmat nos*, *signavit nos*, *credentes signati estis*, *scientes*, *et confirmatos*, *testimonium Christi confirmatum est*, *qui et confirmabit vos ?* Hoc verbum *signandi*, et *confirmandi*, hoc porro ipsum est, quod Augustinus vidit oculatissimus, accedere ad elementum Chrismatis, et conficere Sacramentum. Enimvero Augustinus (4) coecutientem quemque redarguens, ait: *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est*, *sicut et ipse Baptismus : discerne ergo visibile sanctum Sacramentum*. An, quia non scripto mandarunt Apostoli sua ipsorum orationis verba, dum manus imponerent, Spiritum sanctum invocantia, ore apostolico ea tradita non sunt, quae recitat uno, eodemque sensu Ecclesia universa? More Scripturarum notissimo si scriptum unum, vel alterum verbum grave coniecturam facit manifestam oralis traditionis, et arcana Sacramentorum maxima praeseferre solet, veluti unguis leonem: palàm est, quod recitata ex apostolicis litteris verba, *orantes imponebant manus*, *unxit nos*, *signavit*, *confirmavit*, cetera id genus, duplicem Confirmationis materiam, et formam in Ecclesia quum Graeca, tum Latina ab initio adhibitam ostendant ab apostolica traditione promanasse, traditionemque ipsam hac in re faciant certiorem.

num : quae si veram Confirmationis formam non protulerint, *nulla iam in Oriente superest Confirmatio*, *nullum illius fundamentum*, *nulla de illo fides*.

(1) Eugen. IV. in synodico decreto Florentino pro instruct. Armenor.
(2) Superius recitata *hoc. tit. num. 1.*
(3) Calvin. *lib. 4. Instit. cap. 19. §. 5.*
(4) S. August. supra laudatus *num. 4.*

XXIX. *Ministrum* Confirmationis *ordinarium*, nonnisi Episcopum esse aio cum Patribus Tridentinis (1). Extraordinario enim iure Sacerdotibus etiam Latinis nunc delegatio pontificia, Graecis probata, vel tolerata adhuc consuetudo indulget facultatem confirmandi cum chrismate per Episcopum consecrato, non secus, quam Diacono quandoque permittitur eucharisticum panem, vinumque a presbytero consecratum ministrare. Hanc adnexam Ordini episcopali praerogativam vindicant apertius priscorum Patrum testimonia iam superius recitata (2), quam Apostolorum Acta : quippe quae ferunt Samaritanos a Philippo non presbytero, sed diacono baptizatos, eosque idcirco ab Apostolis oportuit confirmari. A presbytero si verbum Dei, et baptisma Christi accepisset Samaria : exploratior ex sacris tunc Litteris foret exclusio sacerdotum a ministerio confirmandi. Nec vicissim ab Anania discipulo confirmatum Paullum Acta probant, quidquid aliter senserit Holstenius (3) : quia Saulo non adhuc baptizato legimus Ananiam imposuisse manus, ut usum caeco redderet (4), non ut Sacramento altero eum confirmaret.

XXX. Olim Episcopos quum Graecos, tum Latinos presbyteris delegasse munus signandi chrismate baptizatos, praesertim infantes, aut moribundos ad fidem conversos haereticos, iam liquet ex antiquis Synodis. *Statutum est* Toletano canone anno 400, *Diaconum non chrismare*, *sed* presbyterum *absente Episcopo : praesente vero, si ab isto fuerit praeceptum* (5). Tum Arausicano Concilio placuit *haereticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit Episcopus*, *a* presbyteris *cum chrismate, et benedictione consignari* (6). Idipsum in Synodo Epaonensi cautum (7). Hinc Martinus Bracarensis Archiepiscopus haec habet (8): Presbyter *praesente Episcopo non signat infantes, nisi forte illi ab Episcopo fuerit praeceptum.*

(1) Trid. *sess. 7. de Confirm. can. 7. Si quis dixerit sanctae Confirmationis* ordinarium ministrum *non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem anathema sit.*

(2) Hoc eodem *tit. num. II.*

(3) Lucas Holsten. *in diss. 1. de ministro Confirmat. cap. 1.*

(4) Actor. *cap. 9. vers. 12, et 17.*

(5) Conc. Tolet. I. an. 400. *can. 20.* to. 1. coll. Hard. At Binius in *notis ad* hanc Synodum, *haec verba canonis intelligenda sunt*, ait, *non de sacramentali unctione Chrismatis in fronte, sed de unctione caeremoniali, quae in solemni Baptismo in vertice baptizandi adhibetur. Hanc caeremonialem unctionem olim presbyteris interdictam, nonnisi cum licentia Episcopi ab iisdem usurpatam fuisse recensuimus.* Binii expositioni favere videtur Synodus Hispalensis II. an. 619, quae Agapium Cordubensem Episcopum criminabatur de facultate ab eo presbyteris delegata, nedum *conficiendi Chrisma*, sed etiam *chrismate baptizatorum frontem signandi.* Quod crimini obnoxium non fuisset, id si arbitrio Episcoporum dedisset Toletana Synodus.

(6) Conc. Arausican. an. 441. *can. 1.* apud Gratianum in *can. nullus ministrorum 125. de cons. dist. 14.*

(7) Epaonense an. 517. *can. 16. ibidem.* Presbyteros *propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis, et decumbentibus haereticis, si conversionem subitam petant, Chrismate permittimus subvenire. Quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.*

(8) Martin. Bracarens. *in coll. can. Orient. cap. 51*, quam nonnullis Hispa-

*

XXXI. Quinto incunte saeculo Innocentius I. ad Decentium Eugubinum Episcopum rescripsit presbyteris licere quum absente, tum praesente Episcopo, baptizatos chrismate per Episcopum consecrato ungere: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, quum tradunt Spiritum sanctum (1). Id quod prope finem eiusdem saeculi imperatum a divo Gregorio M. in epistola ad Ianuarium Calaritanum (2). Dein conquerentibus ea de re nonnullis Sardorum, indulsit ipsemet S. Pontifex, ut presbyteri, ubi Episcopi deficerent, baptizatos etiam in *fronte* signarent chrismate (3). Patres Arausicani eodem decurrente saeculo, videntur ad memoratam Innocentii decretalem allusisse, ubi decreverunt, ut baptizaturi ministri, ne sine chrismate unquam ad baptizandum procederent, nec repeteretur chrismatio semel in Baptismo adhibita (4): *non praeiudicantes cuiquam hoc* dicere fassi sunt, scilicet Ecclesiae Romanae, ut opinor, quae unctos chrismate a presbyteris baptizantibus iam consueverat in fronte per manus episcopales tantummodo signare.

XXXII. Sequentibus aetatibus SS. Innocentium, et Gregorium secuti sunt alii Pontifices, praesertim S. Leo M. (5), et Gelasius (6),

niae Synodorum admixtis edidit saeculo VI, *in can. omni tempore 124. de cons. dist. 4.*

(1) Innoc. I. *ep. 1. ad Decentium* data an. 416., *in can. presbyteris 119. de cons. dist. 4.* haec scribit: *De* consignandis *vero infantibus manifestum est non ab alio, quam ab* Episcopo *fieri licere.*

(2) S. Gregor. M. in *can. presbyteri 120. de cons. dist. 4. Presbyteri*, ait, *baptizatos infantes signare sacro in* frontibus chrismate *non praesumant: sed* presbyteri *baptizatos ungant in* pectore, *ut* Episcopi *postmodum ungere debeant in* fronte.

(3) Idem Pontifex in *can. pervenit 1. dist. 95.*, ad eundem Ianuarium Ep. Calarit. scribens ait: *Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod* presbyteris chrismate *tangere in* fronte *eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et non quidem secundum usum veterum Ecclesiae nostrae fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur*, ubi Episcopi desunt, ut presbyteri *etiam in* frontibus *baptizatos* chrismate *tangere debeant, concedimus.* En vetustum in Ecclesiis Occidentalibus exemplum Papae, ministerium confirmandi extraordinarium presbyteris iure delegato indulgentis.

(4) Arausicana Synod. in *can. nullus 125. de cons. dist. 4. Nullus ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sine* chrismate *usquam debet progredi, quia inter nos placuit* semel in baptismate chrismari... *Nam inter nos* chrismatis *ipsius, nonnisi* una *benedictio est. Non praeiudicantes* cuiquam *hoc dicimus: sed ut non necessaria habeatur* chrismatio repetita. Postrema haec verba ita ex variis editionibus Romani Correctores hoc in canone habent. At praevaluit Romanae Sedis auctoritas in reformanda presbyterorum, Synodorumque particularium licentia.

(5) S. Leo M. in can. *quamvis chorepiscopis 4. dist. 68.*, ad Episcopos Germaniae, Galliaeque scribens, ait: *Chorepiscopis, et presbyteris. . . nec licet per impositionem manuum fidelibus baptizatis, vel conversis haereticis paracletum Spiritum Sanctum tradere, non chrisma conficere*, non chrismate *baptizatorum* frontes *signare.* Tum IX. saeculo Synodus Parisiensis VI. *can. 27.*, eiusmodi abusum in Chorepiscopis etiam detestata est. *Emersit quidam reprehensibilis* (ait), *et valde iam inolitus usus, eo quod quidam Chorepiscopi... donum Spiritus S. per impositionem manuum tradant, et alia, quae solis Pontificibus debentur, contra fas peragant.*

(6) Gelasius *ep.* ad Episcopos per Lucaniam in *can. presbyteros 2. dist. 95.*

sanciendo Chorepiscopis, et presbyteris non licere frontes baptizatorum chrismate signare.

XXXIII. Suum interea morem Graeci obfirmato animo tenuere. Nono saeculo ad Bulgaros ad fidem conversos, eorumque Regem Michaelem Latini Episcopi a Nicolao I. Pontifice missi (1), quum romano ritu Sacramenta ministrarent, atque a baptizantibus presbyteris unctos chrismate ii ipsi tum in fronte ungerent, confirmarentque : praeceps Photius iam atra bile incensus, Latinam Ecclesiam ea etiam de re proscindere non abstinuit (2). At calumnia eius haec retunditur, patefacta Latinorum consuetudine vetustissima, a Pontificibus sanctitate, doctrinaque praeclaris firmata, quam Graecis tunc desciscentibus reponit in tempore Ratramnus (3).

XXXIV. Post decretum in Concilio Lateranensi IV. editum (4) de populo diversis linguis commixto, ut sub una fide varios ritus, moresque suos quisque servaret : rescripsit Innocentius III. Lucio Vicario tunc apostolico in Constantinopolitana dioecesi, quam a Gallis, et Venetis occupatam Latini una cum Graecis incolebant, ut *omnibus Latinis presbyteris* inibi commorantibus omnino prohiberet, ne praesumerent Sacramentum Confirmationis, quod soli dant Episcopi, fidelibus conferre *temeritate sua* (5). In mutilo huiusce decretalis fragmento, quod exhibet gregorianus textus decretalium (6), quoniam desideratur vox *La-*

Prudens praetereo spuriam decretalem Eusebii Papae ad Episcopos Tusciae, quam habet Gratianus in *can. manus quoque 4. de cons. dist. 5.*, non alios huius Sacramenti ministros, nisi summos Sacerdotes praefinientem.

(1) Anastas. bibliothec. *in praef. ad VIII. Synodum.*

(2) Photius Constantinop. Graeci schismatis auctor *ep. 2.* ad archiepiscopales thronos per Orientem, furibundus haec vomit : *Chrismatis inunctos per Sacerdotes denuo Chrismate inungere non exhorruerunt, quum se Episcopos praedicarent, et presbyterorum Chrisma inutile quiddam, ac frustra factum comminiscerent.*

(3) Ratramnus Corbeiensis monachus mandantibus Nicolao I., et Gallis Episcopis ad obiecta Graecorum respondens, haec *lib. 4. cap. 7.* habet : *Nunc ad illud veniamus, quod obiicitur, quia penes Romanos baptizatorum frontes presbyteri Chrismate non liniunt : quod obiectum, sicut et reliqua, magis levitate, quam ratione propositum est : siquidem Ecclesiae suae* consuetudinem *sequentes ista proponunt, non aliquam divinae legis auctoritatem.* A Flodoardo *lib. 3. hist. Rhemens. Eccl. cap. 7.* refertur epistola Nicolai I. ad Hincmarum, et alios Episcopos Galliae, palam faciens *Orientales Episcopos calumniari S. Romanam Ecclesiam, immo omnem aliam, quae latina utitur lingua . . . . quoniam presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus.* Holstenius *dissert. 1. de Confirmat. p. 15.* ait, *inter eas*, puta causas schismatis, *una est Chrismatis sacerdotalis improbatio, eiusque iteratio apud Bulgaros.*

(4) In *cap. quoniam in plerisque 14. de offic. iud. ordin.*

(5) Innocentius III. hac in sua epistola (quam integram habet Antonius Augustinus in *collect. 3.* Decretalium *cap. 3. de consuet.*, et Gonzalez in *cap. 4. cod. tit.*) *quidam simplices Sacerdotes*, ait, *apud Constantinopolim praesumunt fidelibus exhibere . . . Sacramentum Confirmationis, quod chrismando renatos soli debent Episcopi conferre . . . omnibus* Latinis *presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibens, ne talia de cetero* sua temeritate *praesumant.*

(6) In *cap. quanto 4. de Consuetudine.*

tinis: diu in salebra haeserunt interpretes, prolapsique sic turpiter sunt, ut inanem omnino putarent Confirmationem, tam si Gracci presbyteri ex tolerata consuetudine, quam si Latini ex pontificia delegatione eam administrarent (1). Ambo errores depellit lux veritatis a Patribus, summisque Pontificibus diffusa latissime (2).

XXXV. Anglorum deterrimi Wickleffi maledictum illud, *Confirmationem reservari Papae, et Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis*, execrati sunt Patres in Synodo Constantiensi. Dein peracta Synodo Florentina, Eugenius IV. Armenos instruens, docuit *Confirmationis ministrum* ordinarium *solum Episcopum esse . . .* sed *aliquando per Apostolicae Sedis* dispensationem *ex rationabili, et urgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto administrasse Confirmationis Sacramentum.*

XXXVI. Fratribus Minoribus ad fidem in regionibus Orientis, Septemtrionisque propagandam missis Nicolaus IV., tum Ioannes XXII., Urbanus V., Eugenius IX., Leo X., et Hadrianus VI. (3) indulserunt sine episcopali charactere extraordinarium sacrae Confirmationis ministerium, ubi Episcopus deesset, quemadmodum et Societatis Iesu Presbyteris in Brasiliam ablegatis Sedes etiam apostolica (4). Eodem iure extra ordinem confirmandi potiuntur Abbas Casinensis, quod sibi delegatum habet a Xysto V., Urbano VIII, Innocentio XI., et Benedicto XIII (5). Simul Terrae Sanctae Custos Ordinis Minorum ex indulto Clementis XI., alioque novissimo Benedicti XIV. P. Custos, et Guardianus S. Sepulcri Ordinis Minorum de Observantia (6).

XXXVII. Meras itaque nugas canit Petrus Suavis, ubi fulgidam Tridentini dogmatis veritatem obnubilandi studio garrit, apostolicam hac in re traditionem sexcentos annos usque ad S. Gregorium M. siluisse, quam nos iam a superioribus Patribus Latinis, Graecisque audivimus iugiter loquentissimam. Addit Doctoribus in diversa progressis, improbatam ad Hadriano VI. pontificiam *extraordinarii* ministri delegationem; reticens dolosus hunc in Petri Cathedra aliud et docuisse, et reipsa

(1) Rob. Card. Pullus *par. 5. sent. cap. 23.*, Hugo Victorin. *lib. 2. de Sacram. par. 7. cap. 2.*, Hadrianus ante pontificatum suum scribens in 4. *dist. 7. art. 3.*, Durand. in 4. *sent. dist. 7.*, ex eo quod Christus Dominus potestatem confirmandi non dedisset presbyteris, arguebant eam illis demandari posse a nemine. Eumque frequens in scholis grex secutus est Estius, Sambovius, Du-Hamel, Herminier, quos memorat Benedictus XIV. *lib. 7. de Synod. Dioeces. cap. 7. num. 2.*

(2) Ius apostolicae delegationis in primis propugnavit S. Thomas in 4. *dist. 7. qu. 3, et par. 3. qu. 72. art. 11.*, cui adhaeserunt consultissime Sotus, Bellarminus, Covarruvias, ceteri a Benedicto XIV. *loc. cit.* laudati.

(3) Horum omnium Bullas ex Sedis Apostolicae archivio erutas in lucem eduxit P. Wadingus *tom. 5. annal. Relig. Fratr. Minor.*, ut memorat Card. Pallavicin. *lib. 9. hist. Conc. Trid. cap. 7. num. 12.*

(4) Arcudius *lib. 2. concord. Occid et Orient. Eccles. cap. 15.* id ex testimonio P. Ludovici Fonsecae eiusdem Societatis enarrat.

(5) De quo dixi superiori *lib. I. tit. XXIV. num. XVI.*

(6) Benedict. XIV. quum *loc. cit. num. 6.*, tum duabus constitutionibus suis *X., et LXXXVII. §. 14 to. 1. Bullarii.*

gessisse ab eo , quod privato antea calamo scripserat. Scoti simul, universaeque Franciscanorum familiae sententiam falso obiicit, in qua porro neque Scotus , neque tot eius asseclae illustriores fuere (1). Sane palam est , cur Latini Episcopi *ordinario* sibi ministerio Confirmationis vindicato ex apostolica traditione, aequo animo patiantur id non amplius episcopali , ut olim concessione , sed sola Romani Pontificis dispensatione presbyteris *extra ordinem* delegari, ex quo suprema Petri Sedes arbitrium eiusmodi non sine causa reservavit sibi. Istud autem maledico dente carpere, cordis impii , et rebellis est.

XXXVIII. Proba simul apparet Graecorum consuetudo , presbyteris suis episcopali chrismate confirmare baptizatos adhuc largiens , quam Florentina Synodus (2) , Ecclesiaque Romana comprobavit potius, quam repudiavit. Orientales enim Episcopi novam Occidentalis Ecclesiae disciplinam , quae presbyteros a ministerio episcopalis Confirmationis generatim , praeterquam a summo Pontifice delegatos, arcet, passi nequaquam sunt accipere , priscum tenentes morem suum. *In Alexandria* etiam , *et per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat presbyter* (3). Cophtis etiam suo in ritu permanere indulsit Benedictus XIV (4). Cum Arcudio (5) *tutissimum est dicere, Graecorum presbyteros eiusmodi facultatem per suos Patriarchas, et Antistites a summo Pontifice obtinuisse , a quo omnis iurisdictio , quasi a Capite in alios , veluti membra immediate , vel mediate derivatur, et diffunditur.* Sane *patientia quadam , et facilitate Sedis Apostolicae factum est* , docet Ecclesiae universae Magister (6), *ut unum, et alterum Sacramentum*, Baptismus, et Confirmatio *ab eodem sacerdote in Oriente Graecis conferretur.*

XXXIX. Exin consequitur , si qua in regione Graecorum Latino , aliove Imperio subacta Romanus Pontifex vetuerit presbyteris vel Graecis confirmare : ipsorum tunc Confirmationem irritam , et inanem esse. Itaque chrismatos a photianis presbyteris in Bulgaria Patriarchae Occidentis iam tunc subdita iussit rectissime Nicolaus I. fore ab Episcopis

(1) P. Suavem hoc merito contundit Pallavicinus *loc. cit. n. 11., et seqq.*

(2) Gregorius Protosyncellus (qui Florentinae Synodo adfuit) *ep. adversus Marcum Ephesinum* haec habet : *Latini nostros ungebant , et chrismatos appellabant. Quod vero non secundum rectam rationem ista fierent , manifestum est: etenim cum iniremus concordiam, nullam rationem contra nos offerre poterant : sed cum orthodoxi essemus, et recta sentiremus, ab orthodoxis orthodoxi indicati sumus.* Haec ipsa Protosyncelli scripta pertinent ad sextam illam ex quaestionibus ab Eugenio IV. tunc propositis. *Quare Pontifices non inungerent sacro Chrismate , sed Sacerdotes , quum hoc Pontificibus sit datum ?* At vero , ut legimus in actis Florentinae Synodi , *haec a Latinis obiecta Mitylinensis Episcopus canonice legitimeque dissolvit.*

(3) Id scribit auctor *quaest. vet., et nov. Testam. qu. 101.* inter S. Augustini opera *to. 3. in append.* aliusque sub Ambrosii nomine latens Auctor *Comm. in Pauli ep. ad Ephes. cap. 4. v. 12.*

(4) Bened. XIV. in *const. 129. to. 1. Bullarii §. 5.*

(5) Arcud. *de concord. Eccl. Occid., et Orient. lib. 2. de Confir. cap. 15.*

(6) Bened. XIV. *cit. const. 119. §. 4., et lib. VII. de Syn. Dioec. cap. 9. n. 4.*

rite confirmandos (1). Id quod Innocentio IV. placuit quoque iubere, ut servaretur in regno Cypri Latinos Episcopos etiam complexo (2). Tum Italo-Graecis sacerdotibus est omnino adempta, interdictaque confirmandi facultas, et Confirmationem una cum Baptismo administrandi a Clemente VIII. anno 1595., et a Benedicto XIV. nunquam satis laudato (3), hac lege, ut Episcopi Latini, ubi dubitetur, an baptizati ab Episcopis Graecis fuissent Chrismate signati, eos ritu Latino confirmare sub conditione deberent in Italia, Insulisque adiacentibus.

XL. An summus Pontifex nudo sacerdoti perinde conficiendi chrismatis facultatem possit, ac ministerium Confirmationis delegare, Doctores adhuc dissentiunt (4). A priscis Episcopis fuisse id vetitum liquet, praesertim in Synodis Carthaginensi II., et III. (5), et Toletana I. (6). Et quamvis placuit Synodo Arausicanae (7), et Epaonensi (8), ut presbyteri haereticos in mortis discrimine catholicam fidem amplexos, absente Episcopo, signarent chrismate: Montanus Episcopus Toletanus ad Theoribium scribens criminatur, uti sacrilegam consecrationem chrismatis presbyteralem. Tum Synodus Bracarensis (9) deponendos sanxit, qui auderent chrisma conficere, presbyteros. Saeculo septimo Agapium Cordubensem Episcopum, quod potestatem sacerdotibus conficiendi chrismatis delegasset, corripuit Synodus II. Hispalensis (10). At Ioannes Diaconus, qui IX. saeculo floruit, tradit presbyteros in Africa consuevisse ex licentia pontificia chrisma conficere (11). Addit P. Wadingus indul-

(1) De quibus dictum supra *num. XXXIII.* et fusius edisserit Christianus Lupus *in notis ad canones VII. Synodi cap. 5. to. 9.*

(2) Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib. VII. cap. 9. num. 3.*

(3) Idem *const. etsi pastoralis 57.* an. 1742., et altera *const. eo quamvis 119.* an. 1745. §. *4. to. 1. Bullarii sui*, *et cit. lib. 7. cap. 9. n. 4.*

(4) Affirmant id alii cum Card. Caietano *par. 3. qu. 72. art. 3.*, Card. de Lauraea *in IV. to. 3. disp. 2. art. 3.*, Berti *to. 7. Theol. lib. 32. cap. 5. prop. 4.*, et Suarez *to. 3. par. 3. qu. 72. disp. 32. sect. 2.* negantibus aliis. Consulendus Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 8.*

(5) Syn. Carthag. II. an. 390. *cap. 3. Ab universis Episcopis dictum est:* Chrismatis confectio, *et puellarum consecratio a presbyteris non fiant.* Syn. Carthag. III. an. 397. *cap. 36 — Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret*, Chrisma *vero numquam* conficiat.

(6) Syn. Tolet. I. an. 400. *can. 20. Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque Episcopo Chrisma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis* presbyteri *dicuntur* Chrisma conficere: *placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum Chrisma facere.*

(7) Arausicana an. 441. *can. 1. . . . Si desit Episcopus, a presbyteris cum Chrismate, et benedictione consignari placuit.*

(8) Epaonens. an. 517. *can. 16.*

(9) Bracarens. an. 561. *cap. 19.*

(10) Hispalensis II. Syn. an. 619. *cap. 7.* de potestate *conficiendi Chrisma, et Chrismate baptizatorum frontem signandi* ab Agapio delegata presbyteris, loquens, *haec enim omnia*, inquit, *illicita esse presbyteris*, vel *Chorepiscopis, quia pontificatus apicem non habent, quem solis deberi Episcopis, auctoritate* canonum *praecipitur.*

(11) Io. Diacon. *ep.* ad Senarium, apud Mabillon. *Mus. Ital. to. 1. par. 2. num. 8.*

tum ab Romano Pontifice id ipsum fuisse P. Fabiano de Bachia Ordinis Minorum ad Indos denigrandi (1).

XLI. Si res ita se habuissent, presbyteri etiam ex Romani tantum Pontificis delegatione consecrando chrismati nunc viderentur idonei (2): sicut olim ex Episcopi cuiusque permissu (3). At in more positum iamdiu est Praelatos quosdam inferiores sine episcopali Ordine ab Romana Sede Apostolica auctos quilem privilegio confirmandi baptizatos, hoc semper pacto, ut chrisma, nonnisi ab Episcopis rite confectum adhibeant, quod facillime assequi, et secum deferre quovis valent. Et ubi necessitas loci, temporisve id postulet: sat erit usum vetusti, annosique chrismatis episcopalis alicui quandoque indulgere (4). Sine caussa porro munera eiusmodi Episcoporum inferioribus delegari presbyteris ratio non patitur.

XLII. Quae lex conficiendi quolibet anno chrismatis, et reliqui veteris comburendi viget, eam reor saeculo VI. non antiquiorem. Nam suspecta S. Fabiani epistol (5), qua increpantur Episcopi quotannis in coena Domini chrisma conficere novum negligentes; morem aetatis pseudo-Isidori potius, quam martyrum redolet. Martinus vero Bracarensis, qui saeculo VI. floruit, canonem (6) habet, ut *omni tempore Episcopo liceat chrisma onficere, et per suas dioeceses destinare: ita ut ad accipiendum chisma diaconus, aut subdiaconus ante diem Paschae de singulis Ecclsiis ad Episcopum destinetur.* Canone isto nec Coenae diem, neque unicam quotannis sacri unguenti benedictionem definiente: non vide, unde glossa (7) effatum illud *omni tempore* definiat *per singulosannos*, nisi ex posterioribus rituum constitutionibus. Canones enim antiquiores usque ad Martini Bracarensis collectionem videntur tempushac in re non definitum arbitrio Episcoporum reliquisse.

XLIII. Ad *confirmando* quod attinet, quilibet Baptismo initiatus ad

(1) Wadingus *to. 9. annal Ord. Min. ad an. 1400.*

(2) Verricel. *de apost. missn. qu. 130. sect. 1., et seq., et* Bened. XIV. *cit. lib. VII. de Syn. dioec. cap. num. 1., et 6.* Nam, ut S. Thom. docet *part. 3. qu. 72. art. 11., Papa in Ecsia habet plenitudinem potestatis, ex quo potest quaedam, quae sunt supiorum Ordinum, committere quibusdam inferioribus, sicut quibusdam* presteris *concedit conferre* minores ordines, *quod pertinet ad potestatem episcopem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod smlices* Sacerdotes *hoc* Sacramentum *conferrent, quamdiu scandalum tolleretur* . . . . . .

(3) Card. Pallavicin. *lib. 9. st. Conc. Trid. cap. 7. n. 16.*, Thomassin. *de vet., et nov. Eccles. disc. par. lib. 2. cap. 23. num. 9.*, Petr. Constant. *to. 1. in ep. decretales Rom. Pontif. 857.*, ceteri non contemnendi Doctores Episcopis etiam ius eiusmodi deletionis attribuunt, ubi lex Ecclesiae recentior id vetans abrogaretur.

(4) Id quod P. Custodi, et Ordiano S. Sepulcri in Terrae Sanctae locis indulsit providentissimus Papa Bedictus XIV. die 9. Ian. 1740. in *const. cum ad infrascriptam 10. to. 1. Barii.*

(5) In *can. litteris 18. de cœcr. dist. 3.*

(6) *Can. omni tempore 124e cons. dist. 4.*

(7) Gl. *in cit. can. omni tenre.*

signaculum Chrismatis accipiendum idoneus est, sive adultus, sive infans (1), quum sanus, tum aeger vel moribundus (2). Ab institutione porro divina esse absonum docet Angelicus ut animabus per aquam regeneratis, atque immortalibus impediat, vel infantia corporis perfectam ex Spiritu sancto nativitatem, robusamque adolescentiam, vel mors imminens uberiorem gratiam gloria dignam maiori. In cunctis idcirco regeneratis mater Ecclesia cooptat fornam christiani hominis perficere hoc unctionis mysticae Sacramento 3). Quandoquidem Graeci parvulos post Baptismum continuo confirmndi morem adhuc servant vetustissimum, eumque ab Romana Ecclesia non improbatum (4), tametsi Latini nonnisi adultos, qui ad rationis usum pervenerint, saltem septennes, doctrinaque fidei praecipua instructos, Chrismate signant (5): at vero moribundus septennio minores, ubi adsit Episcopus, non debet huius Sacramenti gratia fraudari (6). Adulti satius post Baptismum,

(1) S. Thomas *par. 3. qu. 72. art. 8. in C. Pe hoc Sacramentum*, ait, *promovetur homo spiritualiter in aetatem perfectam Hoc autem est de intentione naturae, ut omnis, qui corporaliter nascitur, ad perfectam aetatem perveniat: sed quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte praevenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem deducere . . . . anima autem, ad quam pertinet e spiritualis nativitas, et spiritualis aetatis perfectio, immortalis est, et potes sicut tempore senectutis nativitatem consequi, ita tempore iuventutis, vel puritiae consequi perfectam aetatem, quia huiusmodi corporales aetates animae non praeiudicant: et ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi.* Addit *ibidem resp. ad 2. Etiam in* puerili aetate *homo potest consequi perfectionem spiritualis aetatis . . . . et inde est, quod multi in* puerili aetate *propter robur Spiritus S. perceptum usque ad sanguinem fortiter certaverunt pro Christo.*

(2) Idem Doctor Angelicus *ibidem resp. ad 4.* ex ante dictis monet *etiam morituris hoc Sacramentum dandum* esse, *ut ex resurrectione perfecti appareant. secundum illud* Ephes. 4. *v. 13. Donec curramus omnes . . . in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Hinc iuremerito cautum a S. Carolo Borromaeo in provinciali Synod Mediolanensi an. 1565. *tit. de his, quae ad Sacr. Confirm. pertinent,* ut agroti periclitantes Chrismatis unctionem, si antea non acceperint, petant, eam praesens in loco Episcopus ministrare non negligat. Tum in generalibus de Sacr. administr. instructionibus *hoc tit.* Parochi munus esse tradit, aegros non confirmatos Episcopo eam ob rem denunciare.

(3) Catech. Rom. *hoc. tit. num. 3., et can. 1. et seq. de cons. dist. 5.*

(4) Goar in *Rit. Graecor. de officio S. Baptismatis*, Simeon Thessalonicensis *de Sacramentis cap. 43.*, Benedict. XIV. *cit. const. 57., et 129. to. 1. Bullarii.*

(5) *Omnibus quidem post Baptismum* (habet Catechismus Romanus *loc. cit.*) *Confirmationis Sacramentum posse administrari sed minus tamen expedire hoc fieri, antequam* pueri rationis usum *habuerint. Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque* ad septimum *certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. Neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sed ut eius virtute optime instructi, et parati inveniremur, quum nobis pro Christi fide pugnandum esset, ad quod sane primae genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse iudicari.*

(6) Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacram. tr. 7. cap. 3., omnino periculosum esset* (ait), *si quem ab hac vita sine confirmatione migrare contin-*

nulla interiecta mora, quam ex intervallo confirmantur etiam apud Latinos (1), ubi moram nectet absentia Episcopi, ad Sacramentum hoc accedant praeparati oratione, ieiunio, piisque exercitationibus, poenitentes, et eucharistico pane refecti, arceantur indigni (2). Hinc habes, quid moribundis hoc Sacramentum proficiat : quamvis, ut sanos roboret ad fidei pugnam, praecipue institutum iam audiverimus ex S. Eucherio (3).

XLIV. Qui divinum praeceptum renascendi post aquam regenerantem ex Spiritu sancto contemnentes neglexerint se confirmari, aeternae salutis periculum procul dubio subeunt. *Ungi quoque necesse est*, tradit S. Cyprianus (4), *eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, idest unctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam Christi possit.* Et Cornelius Papa de Novatiano improbo loquens (5), *hoc signaculo minime percepto*, inquit, *quo tandem modo Spiritum S. potuit accipere?* Cum S. Thoma (6) dicendum, *omnia Sacramenta sunt aliqualiter necessaria ad salutem : sed quaedam sunt, sine quibus non est salus, quaedam vero sunt, quae cooperantur ad* perfectionem salutis : *et hoc modo* Confirmatio *est de* necessitate salutis, *quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu Sacramenti.*

XLV. Si quis non baptizatus confirmaretur, nil reciperet, sed oportere ipsum iterato confirmari post Baptismum, docet quoque Angelicus (7). Nam qui Spiritum S. acceperunt, dum loquentem Petrum adduc audirent, iussique deinde sunt baptizati (8) : ii non Sacramentum ex apostolicis manibus, sed effectum Confirmationis ex miraculo adepti erant per virtutem fidei. Quotiescumque pariter dubitatur, utrum confirmatus quis rite, ac recte sit, eum Ecclesia consuevit manu episcopali confirmare (9); id quod sub conditione fit ex recentioribus moribus, legibusque.

geret : non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur, unde pueri *confirmati decedentes maiorem gloriam consequuntur, sicut et hi maiorem obtinent gratiam.*

(1) Rit. Roman. *tit. de Baptismo adultorum : Si adsit Episcopus, qui id legitime praestare possit, ab eo neophytos Sacramento Confirmationis initiandos.*

(2) Ex laudatis instructionibus S. Caroli Borromaei *hoc tit.*, *et can. 6, ac 7. de cons. dist. 5.*

(3) Hoc *tit. num. 7.* Eam ipsam S. Eucherii doctrinam intexuit pseudo-Isidorus in apocryha epistola Melchiadi Papae inscripta in *can. Spiritus S. 2. de cons. dist. 5.*

(4) S. Cyprianus *ep. 70.* Anglos superiori saeculo sub Urbano VIII. plura perperam sententies de virtute, et necessitate Confirmationis episcopalis refellit Parisiensis Academia apud Dupin in *biblioth. ecclesiast. ad saecul. XVII.*

(5) S. Cornelius *ep.* ad Fabium Antiochenum. Videsis dicta superius *num. VI.*, *et seq.* Adderem, nisi apocrypha ea esset, epistolae Urbani Papae fragmentum in *can. omnes fideles 1. de cons. dist. 5.*

(6) S. Thom. *par. 3. qu. 72. art. 1. ad 3.*

(7) Ibidem *art. 6. in C.*

(8) Act. Ap. *cap. 10. vers. 4.*

(9) Synodus Quinisexta *can. 88.*, Carthaginensis V. *can. 6.*, Meldensis *can.*

XLVI. Ceterum perinde Confirmationis, atque Baptismi Sacramentum iterari nequit, ob indelebilem characteris impressionem (1).

APPENDIX.

De patrinis in Baptismo et Confirmatione.

I. Parvulos baptizandos, confirmandosque primum parentes offerre, pro iisque fidem profiteri, mox alii consueverunt, praesertim diaconi, et diaconissae ad catechismum aptiores. Cognatio tandem spiritalis ab eo munere parentes amovit.

II. Usus coniugii parentibus, qui filium in sacro fonte extra necessitatem suscipient, interdictus, nuptiaeque inter spirituales affines vetitae alios a carnalibus parentes spiritales invexit.

III. Variis olim nominibus patrini, matrinaeque appellantur.

IV. Adulti olim per sese fidem in sacro fonte spondebant, nisi morbus, vel hebetudo mentis obstaret.

V. Plures in utroque Sacramento susceptores vetuit S. Leo M. unum dumtaxat, vel unum, et unam fore statuit Synodus Tridentina. Mares a solis maribus, foemina a solis foeminis suscipiendas decrevit Neapolitana Synodus provincialis.

VI. In Baptismo nonnisi baptizatis, in Chrismate confirmatis natu maioribus, exclusis monachis, et presbyteris, obire officium patrini conceditur.

VII. Ex antiquo more nomina baptizatorum, et confirmatorum, patrinorumque in libris parochiarum describuntur.

I. Renaturis ex aqua, et Spiritu sancto quum pueris, tum adultis Ecclesia spiritales parentes, et paedagogos, ceu tenellis in fide parvulis largi-

8., S. Basilius *ep.* ad Amphil. *cap. 1.*; S. Leo M. ad Leonem Episc. Ravennatem *ep. 35.*, S. Greg. M. ad Felicem Episc. *ep. 31. lib. 12.*, ceteri. Afris, et Donatistis ad fidem catholicam conversis ideo, ut daretur Spiritus S. manus impositione, decrevit Synodus Arelatensis I. *can. 8.* Simul Arianis, Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Thessaradecatitis, Apollinaristis Concilium Constantinop. I. *can.* 7., Siricius Papa *ep. 1. cap. 1.*, Innoc. I. *ep. 2. cap. 8.*, Vigilius *ep. 2.* ad Eutherium, ceteri.

(1) Tertullianus *lib. de praescriptionibus*, de neophytis, qui ad militiam Christi fortiter gerendam confirmantur, *signat illic*, ait, *in frontibus milites suos.* S. Cyprianus *ep. 73.*, eosdem *signaculo dominico consummari* condocet. S. Augustinus *serm. de catechismo cap. 1.*, tria simul Sacramenta paucis commemorans inquit: *Baptizatus es*, signatus *es regio* charactere, *coepisti consequi annonam de mensa Regis tui.* Adde *can. 9.* Tridentini *sess. 7. de Sacr. in genere*; et dicta superiori *tit. II. num. XXV.*

tur (1). Initio tametsi naturales parentes consueverant suos praesertim infantes filios potissimum offerre tam baptizandos, quam confirmandos, pro illisque profiteri fidem, atque spondere: tamen extraneis etiam haud raro dabatur ea in re vices parentum obire pro orphanis, proiectis, servulis, ceteris id genus indigis (2). Dein munus quod ipsi debent implere sponsores (3), erudiendi nedum baptizatos parvulos, sed baptizandos etiam adultos ad fidem, hortandique ad innocentiam, legemque Domini servandam, in causa fuit, ut diaconi potius, catechistae, aliique ad id idonei, posthabitis sensim parentibus adhiberentur. Pudoris ratio, simul efficit, ut viri, diaconique viros, foeminae, ac diaconissae foeminas e Baptismi lavacro susciperent (4). Spiritalis tandem cognatio coniugia dirimens (5), quam firmavit aevo Iustiniani disciplina recentior, parentes ab isto munere segregavit omnimodis.

(1) Auctor *lib. eccl. hierarch. cap. ult.* S. Thom. *par. 3. qu. 67. art. in C.*, et Catechism. Rom. *de Sacr. Bapt. §. accedit autem.*

(2) Priscum eiusmodi morem describens S. Augustinus *ep. 23.* ad Bonifacium, *illud autem nolo te fallat*, ait, *ut existimes reatus vinculum ex Adam tractum aliter non posse rumpi*, nisi *parvuli ad percipiendam Christi gratiam a* parentibus *offerantur. . . Videas multos non offerri a* parentibus, *sed etiam a quibuslibet* extraneis, *sicut a dominis* servuli *aliquando offeruntur. Et nonnumquam*, mortuis *parentibus suis*, parvuli *baptizantur, ab eis oblati, qui illis huiusmodi misericordiam praebere potuerunt. Aliquando etiam* quos *crudeliter parentes* exposuerunt *nutriendos a quibuslibet, nonnumquam a sacris virginibus colliguntur, et ab eis* offeruntur *ad Baptismum.* Idemque contra Pelagium, sive quisquis est auctor *hypognosticon lib. 6. cap. 7.*, inquit: *Novimus etiam parvulos . . .* parentum *manibus ad gratiam sacri Baptismatis deportatos.* Morientium baptizandorum sponsores extraneos memorat S. Cyrillus Alexandrinus *comm. in Ioann. XI. 26. to. 4. Pro iis, qui extremo morbo conflictantur*, ait, *ideoque baptizandi sunt, abrenuntiant, et coniunguntur Christo aliqui, qui velut ex charitate, ac dilectione suam morbo impeditis commodant vocem.* Id cum quodam Æthiope acri febre correpto gestum tradit Fulgentius *de Baptismo Æthiop. cap. 7.*

(3) Tertull. de Baptismo *cap. 18. Quid enim necesse est*, inquit, *sponsores etiam periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possint, et proventu malae indolis falli.* S. Aug. in *can. vos ante omnia 105. de cons. dist. 4. Vos ante omnia*, ait, *tam mulieres, quam viros, moneo, ut vos cognoscatis* fideiussores *apud Deum extitisse pro illis, quos visi estis* de sacro fonte suscipere. *Ideoque semper eos admonete, ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem teneant. . . Ante omnia symbolum, et orationem dominicam . . .* S. Caesarius Arelatensis Episcopus saeculo VI. *hom. 12.* inter editas a Stefano Baluzio, *quia infantes per se minime profiteri possunt:* parentes *ipsorum pro eis* fideiussores *existunt.*

(4) Auctor *const.* vulgo *apostol. lib. 3. cap. 16. Virum suscipiat diaconus, mulierem vero diaconissa.* Epiphanium a quodam Luciano, germanam illius a Berenice virgine sancta susceptos tradit auctor vitae S. Epiphanii. Synodo Carthag. IV. *can. 12.*, ita cautum: *Viduae, vel sanctimoniales, quae ad ministerium baptizandarum mulierum eliguntur, tam instructae sint ad officium, ut possint apto, et sancto sermone docere imperitas, et rusticas mulieres tempore, quo baptizandae sunt, qualiter baptizatori respondeant, et qualiter accepto Baptismate vivant.*

(5) De qua inferius dicendum sub *tit. de Sacr. Matrim.*

II. Iam rescripserant Iulius I. saeculo IV., Innocentius I. , et Coelestinus I. saeculo V., separandos coniuges fore, usumque iugalem inter eos divellendum , qui suos e lavacro sancto natos suscepissent (1). Id quod Gordiano Hispalensi Episcopo Pontifex Deusdedit saeculo VII. renuntiavit , sanciendo , ut anathemate punirentur accipientes commatrem in coniugium (2). Adde canonem Moguntinum imperante Carolo M. vetantem, ut *nullus proprium filium, vel filiam de fonte Baptismatis suscipiat.* Privignum offerentes ad Confirmationem sui quoque coniugii separatione plectendos Synodus Vermeriensis (3), digna tantum poenitentia corrigendos censuere Synodus Cabilonensis (4), et Nicolaus I.(5). Verum omni et culpa , et poena solvit necessitas (6). His stantibus regenerationem spiritalem a naturali generatione discernens divus Thomas (7) , *alius esse* , ait , *debet pater spiritualis a patre carnali , nisi necessitas contrarium exigat.*

III. Vocabula quoque tempus vertit : quum *offerentes* (8) , *sponsores* , *fideiussores* (9) , *susceptores* , *spiritales paedagogi* consueverint a priscis nuncupari , quos aetas posterior vocitat *parentes lustricos , compatres , commatresque , patrinos , matrinasque.*

IV. Adulti per sese fidem interrogationibus reddere , ac diabolo renunciare, non per sponsores adigebantur (10), nisi morbo, vel hebetudine mentis affecti opus haberent aliena voce instar infantium (11).

V. Numerus susceptorum non praescriptus olim , sed varius pro locorum varietate fuit. Id non ante Siriciano decreto Hygini Papae (12), sed a S. Leone M. constitutum verius puto ; quippe qui primus invenitur, vetita pluralitate , sanxisse, ut ne plures, sed unus tantum sive vir , sive mulier tam in Baptismo, quam Confirmatione susciperet sine

(1) *Can. pervenit 1. C. XXX. qu. 1.* Fallitur itaque Binghamus *lib. XI. orig. eccl. cap. 8. §. 10. to. 4.*, scribens ante Caroli M. tempora non vetitum parentibus fuisse filios suos suscipere, ratus id primo sancitum in Conc. Moguntino *can. 55.*

(2) Deusdedit in eodem *can. pervenit.*

(3) Conc. apud Vermerias an. 753. in *can. si quis filiastrum 2. eadem C. et qu.*

(4) Cabil. II. in *can. dictum est 4. ibidem.*

(5) Nic. I. in *can. nosse desideras 3., et can. de his 9. eadem C. et qu.*

(6) Ioannes VIII. in *can. ad limina 7. ibidem.*

(7) S. Thom. *par. 3. qu. 67. art. 8. resp. ad 2.*

(8) S. Iustinus in *quaest. , et resp. ad orthodoxos qu. 56. Bona autem*, ait. *Baptismo adiuncta consequuntur ad fidem eorum, qui illos ad Baptismum offerunt.*

(9) Tertullian. *de Baptismo cap. 18.*

(10) S. August. *lib. 4. de Bapt. cap. 24. Cum alii* , ait , *pro infantibus respondeat , ut impleatur circa eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem , quia ipsi respondere non possunt. At si pro eo , qui respondere potest , alius respondeat , non itidem valet.*

(11) Gennadius *de eccles. dogm. cap. 52. Si vero parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiunt , respondeant pro illis, qui eos offerunt iuxta morem baptizandi.*

(12) Apud Gratian. in *can. in catechismo 100. de cons. dist. 4.*

discrimine marem, aut foeminam (1). Synodus Tridentina simul statuit: *ut unus tantum, sive vir, sive mulier, iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum* unus, et una, *baptizatum de Baptismo suscipiant: inter quos, et baptizatum ipsum, et illius patrem, et matrem, nec non inter baptizantem. baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant* (2). Neapolitana Synodo Provinciali (3) deinde vetitum, ut *plures patrini in Baptismo non adhibeantur, sed unus, vel una, aut ad summum unus, et una.* In Confirmatione autem *mares a solis maribus, foeminae a solis foeminis suscipiantur; neque ulli liceat plures, quam duos eadem die in Confirmatione tenere sine Ordinarii facultate.*

VI. Quemadmodum baptizatis baptizandos, ita nonnisi confirmatis licet confirmandos suscipere (4). Qui non sunt natu maiores confirmandis, aut nondum confirmati sunt, pro patrinis in hoc Sacramento non admittendos censuit etiam Neapolitana Synodus (5). Monachis istiusmodi officium patrini canones vetant (6): Presbyteris pariter S. Carolus Borromaeus (7).

VII. Mos describendi nomina patrinorum una cum baptizatis, confirmatisque in Parochiarum libris est opinione vetustior. Personatus Dionysius (8) tradit, quomodo *Pontifex catechumenum* praemonet, *integre illi ad Deum accedendum esse prorsus perfectum, et immaculatum: propositaque divina vivendi forma, necnon interrogato, num ex ea victurus sit, adsentienti manum capiti imponit, et consignans eum Sacerdotibus mandat, ut* virum, susceptoremque *describant.* Postea *Pontifex adduci virum iubet, ac Sacerdote quopiam e* scripto *quum* ipsum, *tum* susceptorem *proclamante, initiandus Sacerdotum manibus in aquam ducitur.* Tridentinis hinc Patribus iure merito decretum est, ut *Parochus sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant: et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum* nomina *describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant* (9).

VIII. Fortasse dubitaveris, ut olim Bonifacius Episcopus, quin pro-

(1) S. Leo in *can. non plures 101. ibidem.*

(2) Trid. *sess. 24. de ref. matr. cap. 2.* Hoc decreto abrogata est Bonifacii VIII. constitutio in *cap. quamvis 3. de cognat. spirit.* praefiniens spiritalem cognationem, si plures accessissent, contrahi.

(3) Syn. Neap. Prov. Card. Cantelmi an. 1699. *tit. III. cap. 2. de Sacr. Baptismi num. 5., et cap. 3. de Sacr. Confirm. num. 4.*

(4) Ex Concilio Moguntino in *can. in Baptismate 102. de cons. dist. 4.*

(5) Cit. Syn. Neap. dict. *cap. 3. num. 5.*

(6) Syn. Antissiodorensis in *can. non licet abbati 103.*, et Capitularia in *seq. can. monachi 104. de cons. dist. 4.*

(7) S. Carol. in Synodo Milan. II. *can. 18.*

(8) Auctor *de hierarch. eccles. cap. 2.*

(9) Trid. *cit. sess. 24. de reform. matr. cap. 2.*

ba sit consuetudo patrinorum aperte profitentium, quod procul dubio futurum ignorant, baptizandos infantes in Deum credere, divinaque mandata servaturos. *Miror in istis rebus*, aiebat Bonifacius (1), *tam fidenter pro parvulo respondere, ut dicant, eum tanta bona facere, quae ad horam, qua baptizatur, baptizatos interrogat: tamen eadem hora si subiiciam:* erit castus? *qui baptizatur*, aut non erit fur? *Nescio, utrum audet dicere aliquis :* aliud horum erit, aut non erit. His reponam cum S. Augustino, quod infans probe dicatur credere, et se convertere in Deum ex Sacramento fidei, eo ipsos quod in Christiana militia cooptatur. *Nonne semel*, ait S. Doctor (2) *immolatus est Christus in seipso ? Et tamen in Sacramento omni die pro populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim Sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi est . . . ita Sacramentum fidei fides est. Ac per hoc quum respondetur* parvulum *credere, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis Sacramentum, quia et ipsa responsio ad celebrationem pertinet Sacramenti.*

TIT. VI.

De Eucharistia.

I. Sacramentum panis, et vini evangelicis verbis conversi in Corpus, et Sanguinem Christi reficiens animam, Eucharistia est.

II. Dicta etiam est eulogia, et gratiarum actio, symbolum unitatis, Sacramentum communionis, synaxis, et viaticum.

III. Duplici materia constat, pane triticeo, et vino vitis.

IV. Azymus, aeque ac fermentatus panis idonea materia est, Christus autem in coena sua panes azymos consecravit.

V. Graeci eum in fermentato consecrasse contendunt.

VI. Inania eorum argumenta refelluntur.

VII. Azymum panem in Eucharistia schismatici student multis reprobare.

VIII. At eorum sophismata facile exufflantur.

IX. Quum in azymo, tum in fermentato Eucharistiam recte confici tenet catholica Ecclesia.

X. Azymos panes commendat Apostolus, eosque prisca etiam Graecorum Ecclesia saepius adhibuit.

XI. Vinum commune alteram Eucharistiae materiam esse docent sacrae Litterae, Patresque contra Aquarios, et Lutheranos.

(1) S. Aug. *ep. 23. ad Bonifacium.*
(2) *Ibidem.*

XII. Encratitae cum Ebionitis, et Manichaeis aquam sine vino consecrantes abutuntur evangelica aquae vivae metaphora.

XIII. Modicam aquam vino eucharistico miscent catholici ex apostolica Traditione.

XIV. At validum in vino sine ea Sacramentum habent, quamvis illicitum ex causis gravibus eam postulantibus.

XV. Frigidam aquam Latini ante consecrationem, Graeci calidam post consecrationem infundunt.

XVI. Aqua antea infusa in Sanguinem converti, postea secus videtur probabilius: de conversione vero aquae in vinum disputent philosophi.

XVII. Duplex verborum Christi forma in coena eucharistica materiae duplici respondet.

XVIII. Quaestionem in scholis, an iisdem verbis Christus in coena sua sit usus, Tridentina Synodus noluit definire, quam temere carpit Petrus Suavis.

XIX. Ipsa Christi verba vim habere convertendi panem, et vinum in Corpus, et Sanguinem eius, docent Patres contra Lutheranos, et Calvinistas.

XX. Fidei nostrae hostes voculam hoc *a Christo dictam in coena sua referre ad purum panem student.*

XXI. At inanes eorum argutias sensus verborum obvius refellit.

XXII. Ea ipsa Christi verba mere concionalia esse blasphemavit Calvinus, contra communem Ecclesiae sensum, apostolicamque Traditionem

XXIII. Totum Missae canonem verbis consecrationis aequavit insanus Lutherus, ritum accessorium cum forma Sacramenti evangelica turpiter miscens.

XXIV. Eucharistiam non alius, nisi Sacerdos rite ordinatus conficit.

XXV. Ad eam vero dispensandam diaconi etiam idonei sunt.

XXVI. Solum dispensationis ministerium diaconis concreditum fert Traditio, nec aliud sonant verba offerendi, et consecrandi nonnumquam in officio diaconi exponendo usurpata olim.

XXVII. Sacerdotalem Eucharistiae confectionem Lutherani cum priscis haereticis ad laicos utriusque sexus extendunt stultissime.

XXVIII. In hocce Sacramento transubstantiationem, et veram Christi praesentiam profitemur, quidquid contra delirant Lutherani, et Calvinistae.

XXIX. Veram Corporis, et Sanguinis Domini praesentiam sacrae Evangelicorum, et Pauli litterae docent apertissime.

XXX. Metaphoram in verbis Christi somnians Calvinus realem Christi praesentiam negat, ipsiusque figuram, signum, et virtutem vix admittit.

XXXI. Patres ore uno tradunt verum Christi Corpus, et Sanguinem sub Eucharistiae speciebus latere.

XXXII. Corpus, et Sanguinem suum revera esse panem, et vinum eucharisticum Christus proprio, et communi sensu dixit, per metaphoram vero sese ait esse viam, ostium, et petram.

XXXIII. Figuratum sub speciebus panis, et vini Corpus, et Sanguinem Domini cum figura, et signo earum Patres coniunctum, et permanens procul dubio senserunt.

XXXIV. Priscam hac in re haeresim antiqui Patres, novam Tridentini damnarunt.

XXXV. Lutheranam impanationem, et consubstantiationem expungunt evidentissima Christi verba evangelica.

XXXVI. Erroneis vocabulis impanationis, et consubstantiationis transubstantiationem catholica Ecclesia opposuit aptissime.

XXXVII. Naturae leges, et corporei sensus in speciebus eucharisticis miraculo, divinaeque virtuti succumbunt.

XXXVIII. Sub utraque specie Christum realiter, et sacramentaliter esse, non circumscriptione, nec definitive aiunt in scholis theologi nostri.

XXXIX. Sub speciebus eucharisticis permanentem Christum recte colimus ante communionem, et usum sacrificii, proscriptis, anathematismo Calvinistis, et Lutheranis in solo usu vim Sacramenti effutientibus.

XL. Sub iisque Deum vivum cultu latriae publico adoramus.

XLI. Eucharistia vitam alit spiritalem, a peccatis mortalibus praeservat, venialia remittit, fideles Christo coniungit, spem gloriae fovet: at mortalia peccata non delet.

XLII. Secundam gratiam quum conferat, Sacramentum vivorum dicitur. An per accidens primam indulgeat gratiam, et an species una minorem, quam ambae conferat, scholae adhuc disputant.

XLIII. Laicos, et clericos Eucharistiam non conficientes Lex divina ad utramque sumendam speciem non obligat, unaque sumpta sufficit ad salutem.

XLIV. Solo pane eucharistico refectos initio fideles, tradunt Acta Apostolorum.

XLV. Aliae tamen Ecclesiae unam, aliae utramque speciem dare communicantibus dudum consueverunt.

XLVI. S. Leo M. Gelasius, ceteri posteriores communionem sub utraque specie laicis imperarunt: at S. Thomas, tum Patres Constantienses, ac Tridentini consuetudinem sub una specie communicandi probarunt.

XLVII. Usitatam in Graecorum Ecclesiis communionem sub utraque specie Synodus Florentina, Leo X., Clemens VII. non immutandam censuerunt.

XLVIII. Eucharistiam sumere omnes quum sani, tum infirmi divino iure cogimur quoties, et quando prisci canones non definivere.

XLIX. Ad frequentem communionem sine praecepto synodus Tridentina fideles omnes hortatur.

L. Praeceptum annuae communionis paschalis in propria cuiusque parochiali, aut cathedrali Ecclesia primum indixit Concilium Lateranense IV., mox Tridentinum.

LI. Infirmi, praesertim moribundi sacrum debent Viaticum sumere, quod in os quoque defunctorum alicubi olim per abusum immittebant.

LII. Necessario aegrotantium usui servantur in parochialibus Ecclesiis eucharisticae particulae, per singulas, vel binas hebdomodas renovandae.

LIII. Parvuli ante rationis usum nullo iure ad cibum Eucharistiae divinum obligantur, septennibus probe datur.

LIV. Nonnisi ieiunis licet Eucharistiam sumere, praeter casum infirmitatis, ac necessitatis.

LV. Criminosi, praesertim excommunicati, publicique peccatores ab ea procul habendi sunt.

I. *Sacramentum sub speciebus panis, et vini evangelicis verbis conversi in substantiam Corporis, et Sanguinis Christi reficiens animam*, Eucharistiam esse definiamus.

II. Quoniam in nocte Coenae Christus Dominus hocce Sacramentum instituens, et panem, et vinum *benedixit*, εὐλογισας *et gratias egit*, καὶ εὐχαριστήσας (1) : idipsum ab Apostolicis, et priscis Patribus quum *Eulogia*, tum *Eucharistia* promiscue appellata est. Apostolus quidem ait (2): *Calix benedictionis*, ποτήριον τῆς εὐλογίας, *cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Sanctos Cyrillum Alexandrinum, et Chrysostomum pro Eucharistia *eulogiam* saepe usurpasse monet Casaubonus (3), mox pro panibus sine consecratione benedictis, oblatisve (4), simul pro munusculis subditorum (5) acceptam aevo posteriori. Notio Eucharistiae stetit immota. Quam porro maximam *gratiarum actionem* Deo Patri gratissimam pro summo praesertim redemptionis nostrae beneficio semel obivit Christus, ubi Corpus, et Sanguinem suum discipulis comedendum, bibendumque tradidit eam ipsam in eius commemorationem perficiunt quotidie Sacerdotes (6). Di-

(1) Matth. *cap.. 26. vers. 26.*, *et* 27., Marci 14. *v. 22.*, *et 23.*, Lucae 22. *v. 19.*, *et 20.*, Paull. *ep. 1. ad Corinth. 11. v. 23.*, *et seq.*

(2) I. ad Corinth. *cap. 10. v. 16.* Hunc locum explicans Chrysostomus *hom. 24. in 1. ad Corinth.* ait : *Quando dico* benedictionem, *explico omnem thesaurum Dei beneficentiae, et magna illa ad calicem recensentes ineffabilia Dei beneficia . . . Ita ipsum offerimus, et communicamus*, gratias agentes, *quod ab errore liberarit hominum genus, quod cum longe essemus, prope fecerit; quod cum spem non haberemus, et sine Deo essemus, suos fratres effecerit, et cohaeredes. Pro his ergo, et quaecumque sunt huiusmodi*, gratias agentes, *ita accedimus.*

(3) Casaubon. *exercit. 16. in Baron. num. 33.* S. Cyrillus *ep.* ad Nestorium, *acceditur ad mysticas* eulogias, inquit, *et sanctificamur, participes facti sacrae Carnis, et pretiosi Sanguinis omnium nostrum Salvatoris Christi.*

(4) Laodicaena Synodus *can. 15.* cavit, *ne Sancta instar* eulogiarum *in festo Paschae in alias Parochias transmittantur.* Tum *can. 52.*, *quod non oporteat haereticorum* eulogias *accipere.* Videsis Baron. ad *an. 313. n. 52.*

(5) Syn. Meldens. an. 845. *can. 45. Presbyteros cum voluntariis* eulogiis *tempore congruo visitare, et venerari Episcopos suos* constituit. Leo IV. *ep. 2.* ad Episcopos Brittaniae in *can. de eulogiis 8. dist. 18.*, scribens ait : *De* eulogiis *ad sacra Concilia deferendis nihil invenimus a maioribus terminatum, sed sicut unicuique presbytero placuerit.* S. Greg. M. *lib. 11. ep. 49.* Eulogias *vero*, inquit, *S. Marci a beatissima fraternitate vestra transmissas cum ea charitate, qua transmissae sunt, secundum notitiam earum suscepimus.*

(6) Origen. *lib. 8. contra Celsum. Nos*, ait, *qui rerum omnium Conditori placere studemus, cum precibus*, et gratiarum *pro beneficiis acceptis* actione *oblatos panes edimus*, corpus *iam per precationem* factos, *sanctum quoddam, et sanctificans.* S. Iustinus *apol. 1. num. 65 Eucharistiam, sive* gra-

vino isto convivio in corpus unum figuratam Ecclesiam esse palam docet Apostolus, haec alia verbis iam recitatis addens continuo : *Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est? Quoniam unus panis*, unum corpus *multi sumus omnes, qui de* uno *pane participamus.* Quia igitur mensam eucharisticam, seu, uti ab eodem Paulo (1) nuncupatur, *dominicam coenam*, Christus *symbolum unius illius corporis, cuius ipse Caput extitit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei, et charitatis connexione adstrictos esse voluit* (2): idcirco Sacramentum *Communionis*, et *Synaxis* etiam belle dicitur. Hoc ipsum, ubi ex hac vita demigrantes accipiunt, *viaticum* appellamus, quod ceu *pignus futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis* (3) nos tandem efficiat consortes beatorum coelitum.

III. Duplici sane *materia* constat, *pane*, ac *vino*, utroque usuali : pane scilicet triticeo, vinoque vitis. Quidquid igitur homines putant non usualem in substantia panem, non usuale vinum, id nec proba, neque apta erit unquam huic Sacramento materia (4) : quam contra variae qualitates neque corrumpunt, neque mutant.

IV. Itaque nil refert ad substantiam Sacramenti, azymusne, an fermentatus panis adhibeatur. Christum azymos panes in mystica coena consecrasse, ostenditur tribus Evangeliis, Matthaei, Marci, et Lucae (5), contestantibus eum cum discipulis suis paschalem agnum comedisse prima die azymorum, scilicet quartadecima mensis Martii ad vesperam (6). Eo enim ex tempore septem solemnes Paschatis dies durebant Iudaei, lege Mosayca iussi non modo agnum, vel hoedum in templo Ierosolymitano prius immolatum comedere cum azymis tantum panibus, verum etiam a fermentatis omnino abstinere, capitali poena in fermentato uten-

tiarum actionem, ait, *pro eo, quod nos donis suis hisce dignatus sit* S. Irenaeus *lib. 4. cap. 34. Offerimus ei, quae sunt eius . . . non quasi indigenti, sed* gratias agentes *donationi eius, et sanctificantes creaturam.* Fulgentius *de fide ad Petrum cap. 19. In isto sacrificio* gratiarum actio, *atque commemoratio est Carnis Christi, quam pro nobis obtulit Sanguinis, quem pro nobis idem Deus effudit.*

(1) I. ad Corinth. *cap 11. vers. 20.*

(2) Aiunt Patres Tridentini *sess. 13. cap. 2.*

(3) Ex supra iam dictis *hoc libro tit. II. num. XXXV.*

(4) Trid. *ibidem.*

(5) Matth. *cap. 26. vers. 17. et seq. Prima autem die* azymorum *accesserunt discipuli ad Iesum dicentes. Ubi vis paremus tibi comedere Pascha . . . vespere autem facto, discumbebat cum XII. discipulis suis . . . Coenantibus autem eis, accepit Iesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.* S. Marcus *cap. 14. vers. 12. Et primo die* azymorum, quando *Pascha immolabant* Iudaei, *dicunt ei discipuli; quo vis eamus, et paremus tibi, ut manduces Pascha?* S. Lucas *cap. 22. vers. 7. Venit autem dies* azymorum, *in qua necesse erat occidi Pascha : et misit Petrum, et Ioannem dicens: euntes parate nobis Pascha, ut manducemus.*

(6) Levitici *cap. 22. vers. 5. Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperam Phase Domini est, et quartadecima die mensis huius solemnitas* azymorum *Domini est.* Hinc mos Iudaeis perpetuus celebrandi Pascha post aequinoctium veris, Luna iam plena, die XIV. lunaris mensis Nisan, idest Martii.

tes sancita (1). Cumque incidisset eo redemptionis nostrae anno in feriam sextam prima eiusmodi azymorum dies, more sacro decurrens a vespera priori ad posteriorem : idcirco a Ioanne dicta est *Parasceve Pascha* (2), quia, ut scribit Marcus (3), *erat Parasceve, quod est ante sabbatum*, scilicet dies praeparandi cibos in sabbato comedendos. Nam fas erat Iudaeis cibos tantum in prima, et septima die azymorum, quamvis festis solemnibus praeparare, in quovis Sabbato nefas (4). Ex coeunte simul duplici festivitate *erat magnus dies ille sabbati*, ait Ioannes (5), quem Servatoris crucifixio praecessit. Coenam vero factam *ante diem festum Paschae*, ideo dictum ab eodem Ioanne putemus (6), vel quia magnum illud ipse sabbatum spectavit, vel dies *naturales* a media nocte ad alteram mediam delabentes, aut *artificiales* diurnis operibus ab ortu solis ad occasum destinatos. Ita Ioannes cum aliis Evangelistis hac in re, ut in cunctis etiam concordat: simul et Marcus cum semetipso : apud illos enim alios *sacrae* diei notio est in conscribenda prima die azymorum a vespera ad vesperam (7). Quidni? Ioannes ipse iudicium a Pilato habitum in die Paschatis refert illis eiusdem Pilati verbis (8). *Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis* in Pascha : *vultis ergo dimittam vobis Regem Iudaeorum ?* Festis enim diebus reos consueverant Iudaei ad supplicium capitis dare (9). At sacerdotum principes, senioresque timentes tumultum populi frequentioris, qui postulaverat filium David in regem, eique Ierosolymam ingresso faustis vocibus iam benedixerat, ipsum, si mox conspiceret in Crucem per invidiam rapi, secundo azymorum die tunc coeunte cum Sabbato magno aliis celebriore : caverunt in concilio, ne crucifixio invidiosa eo die festo magno, quam mos quidem legitimus postulabat, tunc fieret.

V. Huic rei ex adverso Graeci vel catholici non acquiescunt. Suum ii usum fermentati panis, quam azymi potiorem ostendendi studio, venditant, quod coenam ultimam Christus peregerit non uno, eodemque die cum Iudaeis, sed pridie, quam Pascha rite comederent cum azy-

(1) Exodi *cap. 12. vers. 15.* Septem diebus azyma *comedetis: in die primo non erit* fermentum *in domibus vestris: quicumque comederit* fermentatum, *peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum.*

(2) Ioannis *cap. 19. vers. 14., 31., et 42.*

(3) Marci *cap. 15. vers. 42.*

(4) Exodi *cap. 12. vers. 15., et 16. Septem diebus azyma comedetis . . . Dies* prima *erit sancta, atque solemnis, et dies* septima *eadem festivitate venerabilis : nihil operis facietis in eis, exceptis his, quae ad vescendum pertinent.*

(5) Ioannis *cap. 19. vers. 31.*

(6) Ioannis *cap. 13. vers. 1.*

(7) Levitici *cit. cap. 23. vers. 5.*, et ibidem *vers. 32. A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Videsis P. Serry *de Christo exercit. 50. num. 4.*

(8) Ioannis *cap. 18. vers. 39.*

(9) R. Moyses Maimonides *lib. Hilkot cap. 4. Reum*, ait, *ad festum usque custodiunt, et ipso festo strangulant: quia dictum est* Deuteronomii *cap. 17. vers. 13. Et omnis Israel audiet, et timebit.*

mis primo azymorum festo, sacroque die; quodque idcirco panem in coenaculo viri Iudaei visitatum, fermentatumque adhibuerit. Ita in eiusmodi sensum nituntur illud *Parasceve Paschae*, et *ante festum Paschae* totis viribus detorquere, non verentes sufflare discordiam inter sacros Evangeliorum scriptores, quamvis obiecta Ioannis verba subobscura cum aliis trium contestium tam perspicuis re ipsa mire concordant. Quisnam igitur sanam commodaverit fidem suam opinioni omnium absurdissimae, adversantique rebus exploratissimis?

VI. Si Moysis legem impleturus iussit Christus discipulos parare Pascha in coenaculo Ierosolymitano eos, et publicam prius in templo immolationem agni procurasse, et azymos una parasse panes oportuit, ipsi ne viderentur duo eiusdem Legis praecepta sanctiora contemnere. Quo autem pacto immolare agnum paschalem in templo poterant, antevertendo diem lege condictam, atque in re tanta fallere oculos Iudaeorum, iam in Christum vigiles ad accusandum? Cum fermentato si Dominus Pascha comedisset, spreta lege id Iudas nonne denunciasset principibus sacerdotum; qui capitalem conquirebant accusationem? Gratis, et inconsulto aiunt Redemptorem ideo ante diem legitimum comedisse Pascha, quod suae praescius mortis erat. Enimvero discipuli eius crastinam crucifixionem ignorantes, ultro accesserunt ad eum dicentes, *ubi vis paremus tibi pascha?* Si autem ipse, ut praepararent ante diem legis, iussisset: nonne ii causam illegitimae, suspectae, periculosae, non necessariae anticipationis forent ab eo sciscitati? Non necessariae, inquam: porro lex nullibi cavit, ut praemorientes ritum futuri paschatis implerent, licet immundos, et procul a templo viatores cogeret ad Pascha secundo, eoque postero mense comedendum cum azymis (1). Opus ne Christus habebat paschali agno, dieque paschatis praevento, ut coenam eucharisticam instituret pridie, quam pateretur? An eum apparari potius decuit pascha non immolatum sine azymis contra legem in mystica coena, quam cibis usualibus uti non sacro die, neque solemni? Vel ubi maluisset cum sacrare diem, pascha immolato, legitimoque ante diem legitimum: cur nolunt legitimos una panes azymos adhibere? O inanes igitur Graecorum cogitationes! Ebionitas redarguens S. Epiphanius (2): *primum quidem*, ait, *Domino edente Pascha Iudaeorum, Pascha autem Iudaeorum agnus erat*, *et* azyma, *hoc* est *panes* non fermentati, *et edebantur carnes agninae igne assatae.*

VII. Nunc pronum est refellere schismaticos (Michaelis Cerularii Patriarchae Constantinopolitani, et Leonis Acridani in Bulgaria Archiepiscopi gregales) debacchantes in azymo nulliter, at probe in fermentato solum confici Eucharistiam. Negant in primis usualem hominibus

(1) Numeror. *cap. 9. vers. 10*: *Homo*, *qui fuerit* immundus *super anima*, *sive in via procul in gente vestra*, *faciet* Phase *Domino in mense* secundo *quartadecima die mensis ad vesperam*, *cum* azymis, *et lactucis agrestibus comedent illud.*

(2) S. Epiphanius *haer. 30.* Consonant Patres Trid. *sess. 22. cap. 1. de sacrif. Missae*: Latinaque ab Ecclesia nostra, divo Thoma praecinente, Christus *in coena novissima creditur* agnum, et azyma *dedisse fratribus iuxta legitima.*

esse panem azymum. Ex eo tum, quod graecus Evangeliorum textus habeat vocabulum τὸν ἄρτον, quod ipsi *elevatum* panem ex etymologia interpretantur, arguunt fermentatum in Coena Domini usuvenisse. Addunt azymos praeseferre cibum insipidum, et signa tristia calamitatum, quibus in Ægypto, desertoque fuerant Iudaei dudum vexati, quaeque abhorrent ab eucharistici convivii laetitia, et suavitate. Adhaec mysterium Incarnationis, quod humanam cum divina Natura coniunxit, mixto cum triticea farina fermento, autumant repraesentari. Trullanoque demum canone XI. contra Ebionem praecipue reprobatos Iudaeorum azymos, ut ne resurgerent iam extinctae Moysis coeremoniae.

VIII. Verum enimvero haec insanioribus sana reponamus catholici (1). Si massam ex farina subacta, et naturali aqua concretam, igni coctam in clibano, *panem* generatim appellant Latini, et Itali, ἄρτον Graeci, tam si fermento addito ea ipsa turgeat, et accscat, quam si nullum sincera, et infermentata contraxerit acorem, inflationemque: negari profecto non potest, quin alterutra, sive fermentati, sive azymi species re ipsa proprium, verumque panis genus praeseferat, cibumque hominibus communem, promiscuum, usualem. Quo tamen pane azymo per hebdomadam paschalem quotannis vescebatur universa Iudaeorum gens quindecim ferme sacculis ante Aeram vulgarem praeteritis, simul in quotidianis pacificorum (2) hostiis, in annuo primitiarum sacrificio Pentecostes (3), in consecratione Sacerdotum, Levitarumque (4), in septimanis duodecim panibus propositionis (5), panem hunc ipsum negare usualem, communi, perpetuoque hebraeorum usu reclamante, amplamque panis notionem in evangelicis litteris ad unam coarctare speciem invito sacrorum Scriptorum animo, insania quidem est obfirmatissima. Resurrectum si dominum *in fractione panis* cognovisse duo discipuli feruntur in Evangelio Lucae (6), quia nonnisi azymus in Iudaeo Emmauntis diversorio prostabat panis, tertio tunc decurrente azymorum die: nonne sacrae Litterae vocabulum panis usurpant promiscue pro azymo tamquam usuali? Quod vulgata versio Latina profert *in fractione panis*, textus graecus habet εν τη κλασει τ8 αρτου. Ecqua igitur fronte audent rebelles verbum ἄρτου ex levissima ludentis etymologiae coniectura pro fermentato accipere? Αρτου si liceat eis derivare ab αρσις, quod *elevationem sonat:* id nobis licebit aeque ducere ab αρτάω, seu αρτιζω, *apto, compono, paro;* vel ab ἀρταμειν, id est *coquere* (7).

(1) Cum primis Leo IX. in *ep. ad Michaelem Cerularium, et Leonem Acridanum* medio saeculo XI., Card. Humbertus in *dialogo contra Cerularium*, et *resp. ad Nicetam Pectoratum*, S. Anselmus ineunte saeculo XII. *ep.* de azymo *ad Walteranum Naumbergensem in Saxonia Episcopum*, ceteri.

(2) Levitici *cap. 7. v. 11., et 13.*

(3) Ibidem *cap. 23. v. 17.*

(4) Exodi *cap. 29. v. 2.*

(5) Levitici *cap. 24. v. 5; et seq.* Exodi *cap. 25. v. 30.*, Matth. *cap. 12.*

(6) Lucae *cap. 24. v. 30., et 35. Dum recumberet cum eis, accepit* panem, *et benedixit, ac fregit . . . et cognoverunt eum . . . Et ipsi narrabant, quomodo cognoverunt eum in fractione* panis.

(7) Card. Humbertus *in dialogo* contra Mich. Cerularium, *illud quoque*, ait,

Allegorias pariter obiectas, quae nil omnino in evertendo litterae sensu valent, aliis ex aequo allegoriis evertamus. Sacrificium porro Eucharistiae incruentum, quo cruentum Crucis commemoratur, ut moestus panis, sic purissimam in utero virgineo Conceptionem Verbi azymorum sincerus, et humilitatem Dei-Hominis non elatus repraesentat aptius, quam fermenti commixtio, et confusio divinam cum humana natura coniunctam, at non commixtam, neque confusam. Postremo ubi Trullana synodus contra Ebionitas sanxit, *ne clerici, aut laici comedant azyma Iudaeorum:* non eucharisticos, sed profanos hebdomadae paschalis azymos vetuit in privatis mensis, domibusque christifidelium (1). Quemadmodum et Nicaena Synodus in Quartadecimanos iudaicum quoque morem reiecerat, cum Paschatis festum non die lunae XIV., sed dominica subsequenti celebrandum constituisset.

IX. Concludendum igitur est cum Leone IX. contra memoratos ambo schismaticorum duces (2), quod et Florentina Synodus (3) his verbis definit, *sive in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, et Sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere: unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive occidentalis, sive orientalis consuetudinem. Nam*, uti ad rem hanc S. Anselmus (4) scribit, *et azymum, et fermentatum panem sacrificans sacrificat: et cum legitur de Domino, quando Corpus suum de pane fecit, quia accepit panem, et benedixit, non additur* azymum, *vel* fermentatum: *certum tamen est, quia azymum benedixit, forsitan non quia res, quae fiebat, hoc exigebat, sed quoniam coena, in qua factum est, hoc exigebat . . . Cum ergo nos panem azymum sacrificamus nequaquam in hoc Legis vetustatem servamus, sed Evangelii veritatem celebramus.*

quod azymum negant panem esse, per etymologiam huius nominis, quod est ἄρτος, *conamini nos vincere, sciatis omnino vanum, et puerile: quia et a linguarum peritis diversae etymologiae dantur ex uno nomine, secundum hominum placitum magis, quam secundum naturam rerum.*

(1) Id innuit S. Epiphanius *haer. 30. Ebionitarum num. 16.* scribens: *Mysteria quaedam quotannis celebrant, in quibus panes* azymos, *et ad alteram mysterii partem veram aquam adhibent.* Arcana quaevis sacra, et annua festa generatim *mysteria* quum appellentur: eo proinde vocabulo non eucharisticum Sacramentum quotidianum, sed annuam Paschatis celebritatem mosaycam ab Eucharistia diversam, ni fallor, S. Epiphanius videtur in Ebionistica haeresi enarranda intellexisse.

(2) Leo IX. *cit. ep. ad Michaelem Cerularium, et Leonem Acridanum.*

(3) Conc. Florent. *in litteris sanctae unionis.*

(4) S. Anselm. Arch. Cantuar. *cit. ep. ad Walteramnum Naumbergensem in Saxonia.* Concors est graecus Barlaamus, Heraclensis in Calabria Episcopus *ep ad Graecos*, haec scribens: *Quoniam Apostoli divina nobis tradentes mysteria non distinxerunt sive* fermentatum, *sive* azymum: *sed orientalis Ecclesia continuo usurpavit* fermentatum, *occidentalis vero* azymum, *eo quod gerit imaginem puritatis, sinceritatis, et veritatis: utraque ego similiter adoro et colo. Latinos vero in tantum prudentiores aestimo, quod illi quidem minime hostiam de* fermentato *vituperant, sed similiter venerantur: Graecorum vero multi non timent in sancta blasphemare.*

X. Apostolus azymos, ut innocentiae symbolum in sacro epulo commendat, sic fermentum nequitiae typum respuit (1). Sunt qui putant (2) non alium panem in utraque Ecclesia ab aevo apostolico ad multa saecula posteriora adhibitum pro Eucharistia conficienda, nisi fermentatum, quem spontaneae fidelium oblationes ad altare deferebant. In longinqua vetustate, at eos partium studio admodum aberrare patefacit eximius Origenes (3): *An non et aliquando*, ipse ait, *fermentatum offertur super altare?* Saepius ergo azymos in prisca etiam Graecorum Ecclesia, quam fermentatos panes in eucharistica mensa usuvenisse, palam est ex graeci Doctoris testimonio fidissimo. Re ita comperta opus non est ludentes adversariorum coniecturas leviores refellere.

XI. Altera Eucharistiae species esse vinum ab uvis expressum, et aqua modica temperatum, satis superque ostenditur sacris Litteris, constantique traditione contra Aquarios, et Lutheranos. Accipiens *calicem* Christus in coena dixisse fertur ab Evangelistis (4): *bibite ex hoc omnes: hic est enim sanguis meus . . . dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis.* At *certe* vitis *vinum*, *non aquam producit*, colligamus cum divo Chrysostomo (5), S. Epiphanio (6), et Clemente Alexandrino (7). Multis etiam veteris Testamenti figuris, et oraculis vinum eucharistici calicis praenunciatum docet S. Cyprianus (8). *Noè typum* (ait I.) *futurae veritatis ostendens non aquam, sed* vinum *bibit.* II. *Dominus Noster Iesus Christus obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem, et* vinum . . . *praecedit ante imago sacrificii Christi, in pane, et* vino *scilicet constituta.* III: ex illis verbis Iacob praedicentis Messiam de femore Iudae venturum *(lavabit in* vino *stolam suam, et in sanguine* uvae *pallium suum)* resumit Cyprianus: *quando sanguis* uvae *dicitur, quod aliud, quam* vinum calicis *dominici, eiusdemque sanguis ostenditur?* IV: iis demum

(1) I. ad Corinth. *cap. 5. vers. 7., et seq. Expurgate vetus fermentum*, ait, *ut sitis nova conspersio, sicut estis* azymi . . . *itaque* epulemur *non in fermento malitiae, et nequitiae, sed in* azymis *sinceritatis, et veritatis.*

(2) Latinus Latinius *ep. ad Antonium Augustinum*, Card. Bona *lib. 1. rerum liturgicar. cap. 23.*, Emm. Schelestrat. *discipl. arcan. par. 5. cap. 7.*, Pagius *crit. in Baron. an. 313. n. 15.* Ex adverso vetustissimum azymi usum propugnat cum divo Thoma Christianus Lupus *to. 3. in not. Concil.*

(3) Origenes *comm. in Matth. de fermento Pharisaeorum.*

(4) Matth. *cap. 26. v. 27., et seq.* Marci 14. *v. 23.*, Lucae 22. *v. 17.*

(5) S. Io. Chrysost. *comm. in Matth.*

(6) S. Epiph. *haer. 47.* de Encratitis loquens ait: *Illorum mysteria, quae aqua solummodo constant, mysteria non sunt, sed ficta atque fallacia vanam veritatis imaginem praeferentia: in quo planissima illos Salvatoris sententia redarguit:* non bibam de hoc *genimine vitis*, donec bibam illud novum in regno coelorum vobiscum.

(7) Clem. Alexandrin. *lib. 2. paedag. cap. 2. Quod*, inquit, *vinum quidem esset, quod benedictum est, ostendit rursus, dicens discipulis: Non bibo ex fructu* vitis *huius.*

(8) S. Cyprianus *ep. 63. ad Caecilium* Aquarios scite refellit typis prophetici Noè ex Gen. *cap. 9. v. 20.*, Melchisedechi ex Gen. *cap. 14. vers. 18.*, Iacob ex Gen. *cap 49. v. 10*, *et seq.*, et Salomonis ex Proverb. *cap. 9.*

recitatis Salomonicis verbis : *Sapientia aedificavit sibi domum . . . miscuit* vinum, *et proposuit mensam suam . . . venite, comedite panem meum, et bibite* vinum, *quod miscui vobis :* haec item colligit. *Per Salomonem Spiritus sanctus typum dominici Sacrificii ante praemonstrat, immolatae hostiae, et panis, et* vini . . . vinum *mixtum declarat, idest calicem Domini aqua, et* vino *mixtum.* Hanc ipsam veritatem condocent prisci Patres, SS. Iustinus (1), Iraeneus (2), Epiphanius (3), Basilius (4), Cyrillus (5) tum Hieronymus (6), Ambrosius (7), Augustinus (8), Synodus III. Carthaginiensis (9), Trullana (10), Florentina, (11) Tridentina (12), ceteri.

XII. Deliros inde fuisse quis non videt Aquarios (13), seu Encratitas Tatiani asseclas, et Ebionitas, et Manichaeos aquam solam sine vino in Eucharistia temere consecrantes? Quod ii pro se unum ex Evangelio (14) laudant : *si quis sitit, veniat ad me, et bibat : qui credit in me, flumina de ventre eius fluent* aquae *vivae* : id non de calice eucharistico, sed de Baptismo dictum a domino, docet S. Cyprianus (15)

(1) S. Iustin. *apol. 2. Ei, qui fratribus praeest, offertur panis, et poculum aquae, et* vini . . . *Qui apud nos vocantur diaconi, atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participet eum, in quo gratiae actae sunt, panem,* vinum, *et aquam.*

(2) S. Iren. *contra haer. lib. 5. cap. 2. Quando ergo et* mixtus calix, *et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Corporis, et Sanguinis Christi.*

(3) S. Epiph. *cit. haer. 47.*

(4) S. Basilii liturgia haec habet: *similiter etiam calicem post coenam aqua, et* vino *miscuit.*

(5) S. Cyrilli liturgia: *Similiter et calicem post coenam miscuit* vino, *et aqua.*

(6) S. Hieron. *in cap. 14. Marci. Format Sanguinem suum Christus in calice,* vino *et aqua mixtis.*

(7) S. Ambros. *lib. 4. de Sacram. cap. 3. Sic ex pane fit Corpus Christi, ut* vinum *cum aqua in calice mixtum fit Sanguis consecratione verbi coelestis.*

(8) S. August. *haer. 64. Aquarii appellati sunt, quod aquam offerant in poculo Sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia.*

(9) Syn. Chartag. III. *can. 24. In Sacramento Corporis, et Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis, et* vinum *aqua mixtum.*

(10) Trullan. *can. 32. Similiter postquam coenavit Christus, accipiens calicem, et permiscens ex aqua, et* vino, *et benedicens dedit discipulis suis... si quis ergo Episcopus, vel presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem, et aquam* vino *non miscens, offert sacrificium, deponatur.*

(11) Eugen. IV. *in decr. pro instruct. Armen. Sicut panis triticeus est Eucharistiae materia, ita et* vinum *de vite.*

(12) Trid. *sess. 13. cap. 3.* Semper haec *fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumque eius Sanguinem sub panis, et* vini *specie, una cum ipsius anima, et divinitate existere.*

(13) De quibus S. Epiphanius *her. 46., 47., et 50.*. S. August. *her. 64., et* S. Leo M. *serm. 4. de quadragesima.*

(14) Ioannis *cap. 7. vers. 37.*

(15) S. Cyprian. *cit. ep. 63: Ut magis posset esse manifestum, quia non de calice, sed de Baptismo illic loquitur Dominus, addit Scriptura ibidem di-*

seu de gratiae spiritalis redundantia, qua Christicolarum operosa fides affluit. Nam patens istic metaphora nequit omnino ab Aquariis ad sensum litterae aliud sonantis detorqueri.

XIII. Armenos etiam contra errasse colligitur, aquam vino eucharistico non miscentes, quos merito damnavit, ac degradatione coercuit Trullana Synodus (1) cum iisque turpius Lutherum, qui aquam miscere vino dicere humanum figmentum non erubuit, dum sacrae Litterae, Traditioque apostolica divinum id proferunt institutum (2).

XIV. Aquarii hac in re Armenis nequiores. Validum porro, quamvis illicitum in vino sine aqua conficitur Sacramentum: quod in aqua sola nullum iam ostendimus. *Si vinum tantum quis offerat*, iamdudum S. Cyprianus (3) docuit, *Sanguis Christi incipit esse sine nobis: si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem utrumque miscetur, tunc Sacramentum spirituale, et coeleste perficitur.* Id Romano Catechismo traditur explicatius (4): *Quamvis aquae admiscendae rationis ita graves sint, ut eam sine mortali peccato praetermittere non liceat: ea tamen si desit, Sacramentum constare potest.* Tribus potissimum causis monet Tridentina synodus (5), *praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquae in Apocalypsi B. Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum Capite Christo unio repraesentatur.* Hanc spectant recitata iam S. Cypriani verba. Veruntamen aquae longe minor, quam vini quantitas infundenda est, quin et minima (6).

XV. Graeci ut in pane, ita in qualitate aquae a Latinis discordant. Hi enim frigidam, naturalemque ante consecrationem calidam illi postea prope sumptione infundunt (7).

cens: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, qui in eum credebant. *Per baptismum enim Spiritus S. accipitur: et sic a baptizatis, et Spiritum S. consecutis ad bibendum calicem Domini pervenitur.*

(1) Trullan. *cit. can. 32. Si quis Episcopus, vel presbyter non secundum traditum ab Apostolis ordinem, et aquam vino non miscens, immaculatum offert sacrificium, deponatur: quippe qui imperfecte mysterium enuntiet, et quae tradita sunt, innovet.* Videsis *can. 4., et seq. de cons. dist. 2.*

(2) Auctor const. vulgo apostolic. *lib. 8. cap. 12.* haec tradit: *similiter calicem* Christus *miscuit ex* vino, *et* aqua, *sanctificavit, et dedit iisdem dicens:* bibite ex eo omnes. Trid. *sess. 22. can. 9., et cap. 7.*

(3) S. Cyprian. *cit. ep. 63. ad Caecilium.*

(4) Catechism. Rom. *de Eucharistia num. 2.*

(5) Trid. *sess. 22. cap. 7.*, S. Thomas *par. 3. qu. 74 art. 6. in C.*

(6) Synodus Triburiensis an. 895. *can. 19.* duas saltem vini partes, tertiam aquae ad summum fore sanxit. Honorius III. in *cap. perniciosus 13. de celebrat. Missar.* abusum aquae plus, quam vini commiscendi proscripsit. Eugenius IV. in *Armen. instr.* condocet aquam *modicissimam esse in calice infundendam.* S. Pius V. Archiepiscopo Tarraconensi mandavit corrigendos, *qui non guttam aquae, ut fieri debet, sed plus aquae, quam vini in calicem infunderent:* id quod in Synodo Tarraconensi decretum fert Antonius Augustinus.

(7) Goar in *Ritual. Graecor.* Peracta consecratione, oblationeque *diaconus,*

XVI. In ea scholarum quaestione, vertaturne in Sanguinem aqua vino commixta probabiliorem puto cum Innocentio III (1) affirmantem opinionem, ubi ante consecrationem *latino ritu* fiat aquae in vinum infusio, secus postea, ut fit a Graecis : nam et lympham sanguis participat. Disputationem alteram de aquae in vinum conversione, quam Thomistae pro aris, et focis fere tuentur communi reclamante sensu, Philosophis relinquo.

XVII. Quoniam duplex materia duplicem postulat formam: a Christo Domino factum est, ut ea ipsa eius, vel latina verba, *hoc est Corpus meum*, vel graeca τοῦτο ἐστι τὸ σωμα μου pani respondeant: vino autem alia ista, *hic est calix sanguinis mei*, τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμα μου (2). Cum itaque in coena Christus praefinxerit huiuscemodi formam, eamque servandam iusserit, inquiens : *hoc facite in meam commemorationem :* profiteamur oportet cum Eugenio IV. (3), quod *forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur : Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.*

XVIII. Nil autem refert statuere, utrum iis verbis, an sine illis panem, vinumque in coena Dominus ipse suum in Corpus, et Sanguinem verterit? Quosdam dixisse monet S. Thomas (4), *quod Christus absque omni forma verborum hoc Sacramentum perfecit, et postea verba protulit, sub quibus alii postmodum consecrarent . . . Sed contra hoc expresse sunt verba Evangelii, in quibus dicitur, quod Christus benedixit, quae quidem benedictio aliquibus verbis facta est* (5). In

ait, *accepta ferventi aqua, dicit Sacerdoti :* benedic Domine sanctam hanc fervidam. *Sacerdos vero benedicens ait :* benedictus fervor sanctorum tuorum iugiter nunc, et semper, et in saecula saeculorum, amen. *Diaconus vero infundit in modum Crucis in sanctum calicem dicens:* fervor fidei plenus Spiritu sancto, amen: *et statim sequitur communio Corporis, et Sanguinis Christi.* Consuetum eiusmodi ritum acta Synodi Florentinae probum habent, quum Latinorum obiectis Dorotheus Mytilenensis Episcopus plane satisfecerit. Eumque mysterio non vacare tradunt Simeon Thessalonicensis *lib. de templo*, et Cabasilas *de sacris mysteriis cap. 37.*

(1) Inn. III. in *cap. tum Marthae 6. §. quaesivisti de celebr. missar.*

(2) Matth. *cap. 26. v. 26.*, *et 28.*, Marci *cap. 14. v. 22.*, *et 24.*, Lucae *cap. 22. v. 19.*, *et seq.* ad Corinth. *cap. 11. v. 23.*, *et seq.*

(3) Eug. IV. *decr. pro instr. Armen.*

(4) S. Thom. *par. 3. qu. 78. art. 1. ad 1.* Innocentius III. *lib. 4. de myster. altar. cap. 9.*, quem ante pontificatum edidit, haec habet : *Sane dici potest, quod Christus divina virtute confecerit, et postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent: ipse namque per se virtute propria benedixit, nos autem ex illa virtute, quam indidit verbis.* Quidquid alii ea in re senserint, certe Innocentius id mea quidem sententia non definiendo dixit, sed *dici posse* ex aliorum opinione retulit : ideirco divus Thomas *loc. cit.* ea Innocentii verba *opinative magis dicta, quam determinative* putat.

(5) Benedictiones Iob concipere ita sueverat: *Sit nomen Domini benedictum.* Suos item sermones benedictione prisci Patres auspicabantur dicentes: *Benedictus Deus etc.*, B. Chrysostomus homilias 4., 11., 12., 13., *et* 20, hisce verbis inchoavit. *Ab eodem principio*, ipse ait, *hom. 13., et iisdem proemiis, quibus heri, et nudius tertius coepi, et hodie incipiam. Dicam, et nunc:* Be-

Angelici sententia prisci stetisse Patres videntur, cum primis Tertullianus (1). At Synodus Tridentina sciens prudens, si Salmeroni credimus, umbratilem scholae disputationem maluit silentio praeterire, quam dirimere : ubi ea docuit (2): *hoc tam admirabile Sacramentum in ultima coena Redemptorem nostrum instituisse, cum* post *panis, vinique* benedictionem, *scilicet suum ipsius Corpus illis praebere, ac suum Sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est.* Ridendus ideo plus est Petrus Suavis, qui benedictionem cum consecratione confundens falso tridentinos Patres criminatur, ceu male hoc loco definientes, quod verbis aliis Christus in pane, vinoque consecrando fuerit usus, non illis ipsis Evangelio traditis, quodque eadem ista post utrumque benedictum, et consecratum pronunciaverit (3).

X!X. Vim divinam, qua ita pollent iam recitata verba evangelica, ut sine illis nulla fiat umquam conversio panis, et vini in Corpus, et Sanguinem Christi, adstruere nostrum est contra Lutheranos, et Calvinistas. Quia nil certe oraculis Evangelistarum, et Pauli recitatis proferri lucidius hoc in dogmate potest, nihil exploratius : consona mox Patrum testimonia exerantur. S. Iustinus (4) : *quemadmodum*, ait, *per* verbum Dei *caro factus Iesus Christus, et carnem, et sanguinem salutis nostrae causa habuit : ita et eam, in qua per preces* verbi eius *ab ipso profecti gratiae sunt actae, alimoniam . . . incarnati illius Iesu Carnem, et Sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis a se scriptis, quae Evangelia vocantur, ita tradiderunt praecepisse Iesum.* S. Irenaeus (5): *Quando ergo mixtus calix, et fractus panis percipit* verbum *Dei, fit Eucharistia Sanguinis, et Corporis Christi.* S. Gregorius Nyssenus (6) : *panis statim per verbum in Corpus mutatur, ut dictum est a Christo :* hoc *est Corpus meum.* S. Ioannes Chrysostomus (7): *Hoc* verbo, *hoc est Cor-*

dictus Deus. Ceterum ex veteri Testamento explorata res est, quod elevatis oculis, manibusque preces, benedictionesque Deum precarentur, eique benedicerent. 2. Esdrae *cap. 8. n. 9. Benedixit Esdras Domino Deo magno, et respondit omnis populus, amen, amen; elevans manus suas.* Sunt, qui putant, dum in coena Christus legitur elevatis oculis accepisse panem, et benedixisse, dedisseque discipulis : eum Deo Patri tunc benedixisse, benedicendi verbum non ad panem referentes. Aliis id non arridet ex superius memoratis Pauli verbis 1. ad Corinth. 10. *Calix, cui benedicimus* etc.

(1) Tertull. *lib. 4. contra Marcion. cap. 40.*, scribit : *Acceptum panem, et distributum discipulis, Corpus suum illum fecit*, hoc est Corpus meum *dicendo.* Colligit hinc S. Thomas *loc. cit. quod Christus manifeste haec verba proferens consecraverit. Et ideo alii dixerunt, quod Evangelistae non semper eumdem ordinem in recitando servaverunt, quo sunt gestae.*

(2) Trid. *sess. 13. cap. 1.*

(3) Videsis Card. Pallavic. *lib. 12. hist. Conc. Trid. cap. 7. num. 3.*

(4) S. Iustin. *apol. 2.*

(5) S. Iren. *lib. 5. contra haer. cap. 2.*

(6) S. Greg. Nyssenus *orat. catechet.*

(7) S. Io. Chrysost. *hom. de prodit. Iudae.* Idem *hom. 60. ad popul. Antioch. Qui tunc ipse fecit in illa coena, idem ea nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum : qui vero sanctificat ea, et immutat, ipse est.*

pus meum , dona proposita consecrantur : et sicuti illa vox , quae dixit , crescite, et multiplicamini , *semel quidem edita est , sed omni tempore sentit effectum : ita et* vox illa *semel dicta est a Christo , sed per omnes mensas Ecclesiae . . . praestat Sacrificio firmitatem.* S. Ambrosius (1) : *Panis iste . panis est ante* verba *Sacramentorum: ubi accesserit* consecratio, *de pane fit Caro Christi.* Ore uno idipsum omnes catholici cum profiteantur hancmet perpetuam in Ecclesia fidem synodus Tridentina condocens declarat *ex vi verborum* fieri utique ineffabilem in substantiis eucharisticis conversionem (2).

XX. Multa efferati Sacramentorum hostes blaterant evertendi studio formam divinitus institutam. Pronomen *hoc* aiunt referri ad demonstrandum solummodo merum panem , quem in manu Christus habebat, Sacerdotesque nunc etiam habent: quum nonnisi post expleta verba conversionem substantiae fieri nos credamus. *Quod accepit Dominus*, additur a Calvino , *quod benedixit, et fregit. illud idem discipulis dedit : omnia enim haec verba* , accepit , benedixit , fregit , *et* dedit , *unum regunt accusandi casum:* sed *accepit , benedixit , et fregit panem; ergo panem dedit , ideoque pronomen* hoc *panem demonstrat.* Idipsum arguunt in vino similiter.

XXI. Scilicet effrontes non pudet puerilibus grammaticae argutiis illudere gravem Legislatoris Dei sententiam exploratissimam. Ipse iam praedixerat (3) : *Ego* sum *panis vivus , qui de coelo descendi : si quis manducaverit ex* hoc *pane , vivet in aeternum: et panis, quem ego* dabo, *Caro mea* est *pro mundi vita.* Quaeso, cur panis in coena dandus longe ante coenam praesenti verbo dicitur a Domino, *sum panis, Caro mea est ?* Quia hunc sensum ellypsis habet: *futurus sum panis* per speciem , et reipsa *Caro mea futura est* sub specie panis. Idcirco etiam ex *hoc* pane manducaturi dicuntur discipuli, quem ii sub specie panis tunc non videbant. Si hanc quoque divinam litteram non audent impii culpare : ex ea ista quidem videant in verbis Sacramentum efficientibus , iisque aptissimis ellypsim aeque perspicuam. Nempe *hoc* illud est epulum panis , et vini a me vobis promissum, quod iam nunc futurum *est Corpus meum.* Frequens est huiusmodi loquendi mos profanis etiam auctoribus (4) in reclusis praesertim arcanis , et mysteriis,

(1) S. Ambros. *lib. 4. de Sacram. cap. 4.* Idem *lib. de his, qui initiantur cap. 9.* docet : *Ante benedictionem* verborum *coelestium alia species nuncupatur , post consecrationem Corpus Christi . . . . quantis utimur exemplis, ut probemus hoc non esse , quod natura formavit; sed quod benedictio consecravit; maioremque esse vim benedictionis , quam naturae, quia benedictione , et ipsa natura mutatur.*

(2) Trid. *sess. 13. cap. 3.*

(3) Ioannis *cap. 6. vers. 51., et seq.*

(4) Simili usus est ellypsi Virgilius *Æneid. 4. vers. 675* , dum canit : *Hoc illud , germana fuit ?* Ubi Didonem suo ensis ictu collapsam , et morientem fertur ita inclamasse Anna soror, ut quae diceret: *Hoc* tuum ipsius excidium, *germana, illud fuit* sacrificium Iovi Stygio abs te praeparatum. *At at hoc illud est.* , ore Simonis senis promit Terentius *in Andria act. 1. sc. 1.* Alias huiusce formae eucharisticae explicationes videsis apud S. Thom. *par. 3. qu. 70. art. 11.*, et Ant. Arnaldum *par. 1. artis cogitandi cap. ult.*

ubi aliud videtur, aliud significatur, seu intelligitur. Quid multis moror?

XXII. Ut ut sonant auribus insanis evangelica verba: tamen id certe apostolica traditio praestat, quod Christus verbis hisce suis vim dederit eucharisticae consecrationis. *Quae verba a sanctis Evangelistis* (docet Tridentina synodus) *commemorata , et a divo Paullo repetita , cum propriam illam, et apertissimam significationem praeseferant , secundum quam a Patribus intellecta sunt : indignissimum sane flagitium est ea a quibusdam contensiosis , et pravis hominibus ad fictitios, et imaginarios tropos , quibus veritas Carnis, et Sanguinis Christi negatur , contra universum Ecclesiae sensum detorqueri* (1). Desipientiam Calvini patentissimam blasphemantis, ut in cunctis (2), ita in hocce Sacramento verba Christi esse *mere concionalia*, quodque solam fidem excitent virtute consecrandi expertia, execrantur manifesta tot oracula Scripturarum , et perennis Ecclesiae fides , ac disciplina. Rem utique a Christo gestam in coena non modo historice referunt verba ista, sed etiam revera iterant , et toties renovant in commemorationem ipsius , ex eiusque praecepto. *Quia non hanc* panis , et vini *oblationem* , inquam cum B. Chrysostomo (3) , *sanctificant homines , sed Christus , qui illam ante sacraverat: quemadmodum enim* verba , *quae loquutus est Christus, eadem sunt, quae Sacerdotes nunc quoque pronunciant, ita et oblatio eadem est.*

XXIII. Reliquis liturgiae partibus (puta canoni Missae) verba formae consecrantia dum aequat Lutheri furor : non videt id is agere , quod humanum caput , pectusve manibus , pedibusque paria facientes. Ut in aliis Sacramentis multae praeter formam recitantur preces ad invocationem Spiritus sancti, ut licite, ac rite perficiantur, ita quae ante consecrationem Eucharistiae , posteaque dicuntur , non ad substantiam Sacramenti , sed integritatem eius, ritumque accessorium attinent. *Non enim his contenti sumus*, monet S. Basilius (4) : *quorum Apostolus , aut Evangelium mentionem facit : sed et ante, et post dicimus alia, veluti magnum robur ad mysterium habentia , quae ex traditione accepimus.* Conscii sumus a B. Augustino (5) dictum : *Eucharistia est id , quod* prece *mystica consecratum sumimus ad salutem.* Simul a B. Hieronymo (6): *Qui patitur, ut . . . . minister supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi Corpus, Sanguisque conficitur ?* A S. Gregorio Nysseno (7): *Hic panis per verbum Dei, et* orationem *sanctificatur.* Et S. Cyrillo (8): *Eucharistia post Sancti Spiritus invocationem non est amplius panis communis, sed est Corpus Christi.* At vero potius ritualem Sacramenti peragendi ordinem per ad-

(1) Trid. *sess. 13. cap. 1.*
(2) Superiori *tit. II. num. XXXVIII.*
(3) S. Io: Chrysost. *hom. 2. in ep. 2. ad Timoth.*
(4) S. Basilius *lib. de Spir. Sancto cap. 27.*
(5) S. Aug. *de Trinitate lib. 3. cap. 4.*
(6) S. Hieron. *ad Evagrium ep 85.*
(7) S. Greg. Nyss. *orat. catech. cap. 37.*
(8) S. Cyrill. Hierosol. *catech. mystag. 3.*

iuncta, et accidentia Patres in hisce locis describunt, quam puram, puramque ipsius formam vocibus definiunt exactioribus.

XXIV. *Minister* Eucharistiae conficiendae, nonnisi presbyter est: ad eam dispensandam diaconi quandoque admissi. Quum solis in coena Apostolis Christus iusserit, *hoc facite in meam commemorationem :* dubitari profecto nequit, quin ii tantum, eorumque successores, atque ab istis ipsis delecti, et initiati Sacerdotes possint divinum eiusmodi ministerium obire. Ab eo, qui fratribus praeest, S. Iustinus (1); manu praesidentium, Tertullianus, offerri panem, et vinum eucharisticum praedocent una cum ceteris qua Graecis, qua Latinis Patribus. Exin Concilium Lateranense (2) priscam, et perpetuam amplectens traditionem *hoc utique Sacramentum*, ait, *nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus.* Mox Tridentino docemur, quod D. N. I. Christus *Apostolis, quos tunc* in coena *novi Testamenti constituebat . . . eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba :* hoc facite in meam commemorationem : *uti semper catholica Ecclesia intellexit, et docuit* (3). *Si quis* itaque *dixerit illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes ; aut non ordinasse, ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit* (4).

XXV. Dispensandae vero Eucharistiae ministerium Diaconis concreditum tradit cum primis auctor vetustissimus *constitutionem* vulgo *apostolicarum* (5). *Oblatione vero* (ait) ab *Episcopo, aut Presbytero facta, ipse Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat presbyteris.* Contestes hac ipsa in re sunt SS. Iustinus (6), Augustinus (7), ceteri. Synodo Carthaginensi IV. constitutum est, ut *Diaconus, praesente presbytero, Eucharistiam Corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget* (8) quibuslibet : praeterquam presbyteris ex Nicaeno canone (9), *quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi Corpus accipiant.*

(1) S. Iustin. *apol. 2.*, cuius verba *hoc tit. num. XI.* iam exscripta sunt.
(2) Conc. Lateran. IV. sub Innocentio III. *can. 1.*
(3) Trid. *sess. 22. cap. 1.*
(4) Trid. *ibidem can. 2.*
(5) Const. vulgo apost. *lib. 8. cap. 28.*
(6) S. Iustin. *apol. 2. num. . . Qui apud nos vocantur* diaconi, *atque ministri, distribuunt unicuique praesentium, ut participent eum, in quo gratiae actae sunt, panem, vinum, et aquam, et ad absentes perferunt.* Quod Tertullianus *lib. de corona militis cap. 3.* scribit. *Eucharistiam non de aliorum manu, quam de praesidentium sumimus :* perinde accipiendum est, ac si dixisset Eucharistiam, nonnisi a Sacerdotibus consecratam nos sumere, eamque de sacerdotalibus tantum manibus nos idcirco accipere, de quibus et Diaconi accipiunt aliis daturi.
(7) S. Aug. *quaest. vet., et nov. Testam. cap. 101. Diaconi ordo est accipere a Sacerdote, et sic dare plebi.*
(8) Syn. Carthag. IV. *can. 38*, apud Gratian. in *can. 18. dist. 94.*
(9) Nicaen. Syn. I. *can. 18.*

XXVI. Constat igitur Diaconis solo dispensationis ministerio capacibus nullo pacto posse facultatem peragendae consecrationis demandari, utpote adnexam ordini sacerdotali : eamque illis numquam fuisse ab Ecclesia indultam. In veteri testamento Dominus iussit, ut Levitae ministrarent Sacerdoti, utque filii Aaron, tantum Sacerdotio manciparentur : filii autem Levi servirent in ministerio (1). Ævo persecutorum, quamvis urgeret, deficientibus presbyteris, necessitas reficiendi martyres in carceribus detrusos eucharistico pane vinoque : S. Cyprianus (2) absens monuit, ut id munus obirent singuli Sacerdotes cum singulis Diaconis, illi nempe consecraturi cum istis dispensaturis. Tertullianus (3) vero Eucharistiae sacrificium absentibus Ecclesiae Praepositis celebrari non posse arguens, Diaconos ab eo peragendo prorsus exclusos indicat. Sicubi legitur commissa Diaconis dominici Corporis consecratio, uti apud S. Ambrosium (4), aut calicis oblatio apud S. Cyprianum (5), vel interdictum Synodis Ancyrana (6), et Arelatensi (7) ministerium panis, et calicis offerendi, iam alias adnotavimus (8): id, quod scite comprobat Petavius (9), vocabula *consecrandi*, *et offerendi* inibi accepta non pro ipsa Sacramenti Eucharistiae confectione, sed pro praeparatoria panis, et vini oblatione, quam Sacerdos una cum Diacono peragere in solemniori liturgia consuevit ante sacramentalem consecratio-

(1) Numer. *cap. 3. vers. 5.*, *et seq. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens : Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis, ut* ministrent *ei . . . Aaron autem, et filios eius constitues super cultum Sacerdotii. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.*

(2) S. Cyprian. *ep. 5. ad Clerum Carthaginensem : quoniam mihi*, ait, *interesse non permittit loci conditio . . . peto quoque, ut* presbyteri, *qui illic apud Confessores* offerunt, *singuli cum singulis* diaconis *per vices alternent.* Haec epistola *offerendi* munus presbyteris tantum, non diaconis attribuit, quod eucharistici sacrificii confectionem sonat.

(3) Tertull. *lib. de fuga in persecut. cap. 14. Praepositos Ecclesiae* inquit, *in persecutione fugere non oportebit . . . quomodo colligemus, quomodo* dominica solemnia *celebramus ? . . sit tibi et in tribus Ecclesia.* Quemadmodum *dominica solemnia* eucharisticum sacrificium Tertullianus appellat, ita, in tribus Ecclesiam persecutionis tempore stantem intelligit presbyterum, diaconum, unumque fidelem. Consonat S. Hieronymus in *dialogo contra Lucifer.*, scribens : *Hilarius cum* diaconus *de Ecclesia recesserit, solusque (ut putat) turba sit mundi, neque Eucharistiam* conficere *potest, Episcopos, et presbyteros non habens.*

(4) S. Ambros. *de officiis lib. 1. cap. 45.* Videsis dicta *lib. 1. tit. XXXI. num. IX.*

(5) S. Cyprian. *de lapsis : Solemnibus adimpletis, calicem* diaconus offerre *praesentibus coepit.*

(6) Synod. Ancyrana an. 314. *can. 2. Diaconi, qui idolis sacrificaverint, ac postea resipuerunt, honorem quidem sui ordinis retineant ; cessent vero ab omni sacro ministerio* offerendi *panem, et calicem, etc.*

(7) Syn. Arelatens. I. *can. 15. De* diaconibus, *quos cognovimus multis in locis* offerre, *placuit minime fieri debere.*

(8) Superiori *lib. 1. tit. XXXI. num. IX.*

(9) Petav. in diatriba *de potest. consecrandi cap. 3. to. 4*, et Habertus *in Pontif. par. 9. observat. 2.*

nem. Praetereaque Diaconum *offerre praesentibus* quum dixisset S. Cyprianus, proculdubio de ministerio dispensandi Eucharistiam locutus est.

XXVII. Si divina, et apostolica tot oracula quum scripta, tum tradita patefaciunt necessarium Sacerdotis ministerium in hoc Sacramento conficiendo, a Tridentina synodo comprobatum contra Lutheranos, mirum, cur eos non pudeat cuilibet fidelium sine ordine sacerdotali potestatem consecrandae Eucharistiae tribuere, Sacerdotium omnino destruentes, dum fanatice illud in singulis christiani populi personis adstruere ipsi moliuntur (1). Si dominus ipse solis Aaron filiis vetus Sacerdotium, filiisque Levi ministerium sacrum addixit ea lege, ut externus, qui ad ministrandum accessisset, moreretur (2), tum Christus solos in coena Apostolos novo Sacerdotio mancipavit: quo pacto praecipuum novi Sacerdotii munus laici poterunt unquam obire? Gnosticos, in primisque Marcum, Montanistas, et Collyridianos (3), qui et foeminas ad Eucharistiae consecrationem, et sacerdotalia munia initiabant impudentius iam carpserunt in tempore SS. Irenaeus, Epiphanius, et Augustinus (4).

XXVIII. Virtus huiusce Sacramenti potissima est totam panis, et vini substantiam convertere in permanentem, vivamque substantiam Corporis, et Sanguinis Christi, id quod placuit Patribus Lateranensibus primum, mox Tridentinis uno vocabulo *transubstantiationem* appellare. Duo hinc dogmata calleamus oportet, alterum de vera Iesu Christi praesentia sub speciebus eucharisticis contra Calvinistas, eam denegantes cum priscis Simonianis, Menandrianis, Berengario Andegavensi Archidiacono, Petro de Bruis, ceteris pestiferi eiusdem furfuris, alterum de totius substantiae panis, vinique mutatione in Corpus, et Sanguinem Domini contra Lutheranos, *cum* pane, *in* pane, *sub* pane, vinoque simul adesse Christum ex adverso delirantes cum nonnullis Berengarii asseclis, qui impanationem, et invinationem furibundi excogitarunt.

XXIX. Realem, veramque praesentiam Corporis et Sanguinis Domini Nostri primum sic evincit sensus litterae apertissimus, sonusque verborum, quibus ipsemet Iesus Christus Dominus Noster Corpus, et Sanguinem suum comedendum, bibendumque longe ante coenam promisit, ut audientes obmurmurarent Iudaei cum nonnullis discipulorum: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Durus est hic sermo, et quis potest eum audire?* Quid ita? Quia scilicet

(1) Quos iam refellimus *lib. II. tit. XXXI. num. II.*, *et III.* Videsis S. Aug. *lib. 20. de Civit. Dei cap. 10.*

(2) Numer. *cap. 3. vers. 10.*

(3) Quia collirydem panis, seu placentam fanaticae in Arabia mulieres declinante IV. saeculo consecrare, ut presbyteri, Eucharistiam ausae sunt in nomine Beatissimae Virginis, quam uti Deum colebant: Collyridiana exinde secta nomenclaturam accepit.

(4) S. Epiphanius *haer. 79. Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret . . nulli potius, quam Mariae illud in novo Testamento committi Sacerdotis officium debuit . . . Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotis functionem.* Consonant S. Iraeneus *lib. 1. contra haereses cap. 9.*, S. Augustinus *de haeresibus cap. 22.*, Tertullianus *de praescript. adversus haereticos cap. 41.*, *et de veland. Virgin. cap. 8.*, *etc.*

veram Carnem suam, merum Sanguinem tunc Christus, qui se panem esse vivum e coelo delapsum iam dixerat, iteratis responsionibus daturum spopondit quaerentibus signum ab eo, ut crederent ei (1). Tum in coena satisfaciens promisso revera se panem vivum, vivumque Corpus, et Sanguinem suum dixit illud ipsum esse, quod Apostolis esui quidem, et potui dedit sub figura, seu specie panis, et vini ab se benedicti. Doctor gentium Paullus id etiam, quod acceperat a Domino de communicatione, et participatione veri Corporis, et Sanguinis Christi, remotis ambagibus traditum scripto reliquit (2).

XXX. Perfidiores Hebraeis Calvinistae, quoniam ex Christi verbis in suo, eoque perspicuo litterae sensu acceptis, Corporis, et Sanguinis Domini substantia in Eucharistiae Sacramento effulget sole meridiano clarior ea metaphorice accipiunt, conantes lucidam litterae veritatem ad caliginosam metaphorae fallaciam transferre. Quum porro delirant Christum in *signo*, aut *symbolo* christianae professionis, vel *figura*, vel *virtute* duntaxat in eo adesse : ii multas ex Evangeliis congerunt metaphoras, et figuratas ipsius Christi Domini locutiones. Hanc in primis: *Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est* (3). Alteram illam: *Ego sum ostium ovium* (4). Eam aliam: *Petra autem erat Christus* (5). Quemadmodum se et vitem, et ostium Christus, eumque ipsum Apostolus petram appellavit vocibus metaphoricis a sensu proprio ad alienum similitudine translatis, quum reipsa nec vitis, nec ostium, nec petra is fuit : ita non dubitant arguere, quod consecratum panem, vinumque Iesus per metaphoram dixerit suum esse Corpus, et Sanguinem, quod nonnisi nudum signum, et symbolum, aut figuram eius esse impie profitentur. Virtutem Christi spiritalem Sacramento sine reali praesentia vix attribuentes, in aberrantem eiusmodi sensum detorquent illud a Christo dictum (6) : *Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam : verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus, et vita sunt.* Simul suas in partes vocant Tertullianum scribentem (7) : *Acceptum*

(1) Ioan. *cap. 5. a vers. 30. usque in fin.* Ubi sic S. Cyrillus Alexandr. *lib. 4 in Ioann. cap. 2. Saepe Salvator eumdem sermonem Iudaeis inculcans varie. proponit . . . nihil igitur occultans demum Christus ait :* Ego sum panis vivus, *qui de coelo descendi. Illud manna typus erat, et umbra, et imago : audite palam nunc, et aperte :* ego sum panis vivus: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Qui ex illo manna manducaverunt, mortui sunt, non erat enim vivificum, qui autem manducant hunc panem, idest* me, *sive* meam Carnem, *vivent in aeternum.* S. Io. Chrysostomus *hom. 83. in Matth. Quomodo,* inquit, *turbati non fuerunt Apostoli, cum hoc audissent? quia multa iam, et magna de hoc ante disseruerat Christus.* S. Leo M. *serm. 9.* de ieiunio VII. mensis: *Dicente Domino,* nisi manducaveritis etc. *sic sacrae mensae communicare debetis, ut nihil prorsus de* veritate *Corporis Christi, et Sanguinis ambigatis.*

(2) *Ep. 1.* ad Corinth. *cap. 10., et 11.*

(3) Ioannis *cap. 15. vers. 1., et seq.*

(4) Ioannis *cap. 10. vers. 7.*

(5) I. ad Corinth. *cap. 10. vers. 4.*

(6) Ioannis *cap. 6. vers. 64.*

(7) Tertull. *lib. 4. contra Marcion. cap. 40.*

*

panem, et distributum discipulis, Corpus suum illum fecit, hoc est Corpus meum *dicendo, idest figura Corporis mei.* Mox S. Augustinum, ubi semel ait (1) : *Non dubitavit Dominus dicere*, hoc est Corpus meum, *quum* signum *daret Corporis sui.* Et iterum (2) : *Christus Iudam adhibuit ad convivium, in quo Corporis, et Sanguinis sui* figuram *discipulis commodavit, et tradidit.*

XXXI. Proh nefas! quam impudenter negant ii, quod negari nullo pacto posse Lutherus etiam, quamvis ad negandum, aeque pronus, declaravit. Priscos nos Patres audiamus, antequam obiecta refellantur. S. Cyrillus hierosolymitanus (3) habet : *Cum igitur Christus ipse sic affirmet, atque dicat de pane*, hoc est Corpus meum : *quis deinceps audeat dubitare? Aquam aliquando mutavit in vinum in Cana Galileae sola voluntate, et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in Sanguinem transmutaverit?* Id exinde pro certissimo habendum colligit, *panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, tametsi gustus panem esse sentiat, sed esse Corpus Christi: et vinum, quod a nobis conspicitur, tametsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamen vinum, sed* Sanguinem *esse Christi.* Uno idipsum ore condocent S. Irenaeus (4), S. Chrysostomus (5), Tertullianus (6), SS. Cyprianus (7), Ambrosius (8), Augustinus (9), magnique Leo (10) et Gregorius (11), ceteri omnes.

XXXII. Itaque si Christum Dominum de futuro Carnis suae, suique

(1) S. August. *lib. contra Adimantum Manich. cap. 12.*

(2) Idem *in psalm. 3.*

(3) S. Cyrill. Hier. *catech. 4. mystag.*

(4) S. Irenaeus contra Valentinianos *lib. 5. cap. 2. Quomodo*, ait, *carnem negant esse capacem donationis Dei, quae* caro *Sanguine, et Corpore Christi nutritur, ut membrum eius?*

(5) S. Io. Chrysost. *cit. hom. 83. in Matth.* haec habet : *Quoniam ergo ille dixit :* hoc est Corpus meum, *nulla teneamur ambiguitate, sed credamus: ecce ipsum tangis, ipsum comedis.*

(6) Tertull. *lib. de resurr. carn. cap. 8. Caro*, ait, *Corpore, et Sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur.*

(7) S. Cyprian. *ep. 54. Protectione Corporis, et Sanguinis Christi muniamus : et cum ad id fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela... munimento dominicae saturitatis armemus.*

(8) S. Ambros. *lib. 4. de Sacram. cap. 4. Non erat Corpus Christi ante consecrationem : sed post consecrationem dico tibi, quod iam Corpus est Christi.* Tum seq. *cap. 5.* addit : *Dominus Iesus testificatur nobis, quod Corpus suum accipiamus, et Sanguinem : numquid debemus de eius fide, ac testificatione dubitare?* Vid. *can. ante benedictionem 40., et 55. de cons. dist. 2.*

(9) S. August. *lib. 2. contra adversar. legis, et Prophetar. cap. 9. Mediatorem Dei, et hominum Christum Iesum, Carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde, atque ore suscipiamus.*

(10) Leo M. *cit. serm. 6. de ieiunio septimi mensis.*

(11) S. Greg. M. *hom. 14. in Evang. Bonus Pastor animam suam posuit, ut in Sacramento nostro Corpus suum, et Sanguinem verteret, et omnes quos redemerat, Carnis suae alimento satiaret.* Videsis aliorum Patrum testimonia consona apud Gratianum a *can. 32. usque ad 62. de consecr. dist. 2.*

Sanguinis convivio fusius disserentem Iudaei senserunt sine metaphora, et sine figura loquutum de Carne vera, veroque Sanguine: si ex Evangeliorum oraculis, apostolicaque traditione Patres omnes unanimes Corpus Christi vere permanens sub speciebus eucharisticis adesse renunciant: qua fronte audent Calviniani proprium, communemque litterae sensum derelinquere, ut improprium, et metaphoricum temere sectentur? Obiecta ex Evangelio vocabula *vitis*, *ostii*, *et petrae* nemo est, qui ea esse per metaphoram dicta non sentiat: at insania quidem est metaphoram, ubi nulla sit, captioso animo effingere. Carnem nil prodesse, Spiritum vivificare, verba sua spiritum, et vitam esse, ideo dictum a Christo patet; quia increduli, crudique Iudaei non spiritalem animae alimoniam in esu Carnis, potuque Sanguinis eius tunc promisso, sed solum Corporis cibum percipiebant (1).

XXXIII. Perperam simul cavillantur ea Tertulliani, et S. Augustini verba, *figura*, *et signum Corporis*. Enimvero quum isti etiam Patres (2) aperte propugnent Corpus, et Sanguinem Domini in Eucharistiae Sacramento reipsa manducari, et bibi, velatum sub speciebus panis, et vini: idcirco panis, et vinum recte dicuntur *signum*, *et figura* Corporis, et Sanguinis Christi iam praesentis, non utique simplex, nec separata, sed certe cum ipso figurato Corpore, et Sanguine coniuncta ex vi divinae institutionis, id quod perpetua Ecclesiae catholicae fides tradit. Cumque hoc eodem sensu, ut fertur, Iconomachi haeretici octavo saeculo in conciliabulo suo sacrificium Eucharistiae dixisset esse *imaginem* Corporis Domini: Nicaeni Patres in VIII. Synodo oecumenica verbum ex ambiguo dictum apposite castigarunt (3). Omnem controversis vocabulis ambiguitatem amovit Paschasius Abbas (4): *Nullus*, ait, *moveatur de hoc Corpore Christi*, *et Sanguine*, *quod in mysterio vera sit Caro*, *et verus sit Sanguis*, *dum sic ille voluit*, *qui creavit . . . Et quia voluit*, *licet* figura *panis*, *et vini hic sit: omnino nihil aliud*, *quam Caro Christi*, *et Sanguis post consecrationem credenda sunt . . . Et ut mirabilius loquar*, *non alia plane*, *quam* quae *nata est de Maria*, *et passa in Cruce*, *et resurrexit de sepulcro*. Consonat epistola Innocentii III. ad Archie-

(1) Hunc sensum exponit S. Augustinus in *can. prima quidem 44.*, *et seqq. can. 57.*, *58.*, *et 59. de cons. dist. 4.*

(2) Locis paullo ante laudatis *num. XXXI. XXXII.*. et alibi.

(3) Syn. Nicaen. II. an. 754. *act. 6.* haec habet: *Nullus enim . . . sanctorum Apostolorum*, *aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum . . . dixit* imaginem *Corporis eius . . . Deinde dimisso mendacio tangunt pauxillum quid veritatem*, divinum Corpus *dicentes fieri. At si* imago *Corporis est*, *non potest esse hoc divinum Corpus . . . Idipsum patiuntur*, *quod insanientes*, *alia scilicet pro aliis phantastice passi*, *aliquando* imaginem *dicentes sancti Corporis Christi intelligibile sacrificium nostrum*, *aliquando vero positione* Corpus.

(4) Pasch. Corbeiensis Abbas *lib. de Corpore*, *et Sanguine Domini*, in lucem edito an. 813., *cap. 1.* Cachinnos ecquis cohibeat, dum calvinianus minister Claudius asserere non dubitat ab hoc Paschasio primum inventam de praesentia eucharistica Corporis Christi doctrinam. Vid. Nat. Alexander in *hist. saec. XI.*, *et XII. diss. 11.*, et Iuvenin. *hoc. tit.*

piscopum Lugdunensem (1). Ab recto igitur longissime deflectunt Calviniani, ubi cum praeviis erroribus figuratum Corpus, et Sanguinem a figura, et signo seiungentes contendunt Christum non aliud in tradito Discipulis pane, et calice, nisi figuram, et signum nudum absentis Corporis, et Sanguinis sui dedisse.

XXXIV. Execrabilem hanc perfidiam in priscis haereticis exploserunt S. Ignatius martyr (2), omnesque Patres subsequentibus saeculis; tum a Berengario redintegratam Leo IX. in Romana, et Vercellensi Synodo anno 1050., Hildebrandus Victoris II. legatus apostolicus in Synodo Turonensi an. 1055. Nicolaus II. in Romana an. 1059 S. Gregorius VII. item in Romana an. 1079 (3); excitatam denique a Sacramentariis recentioribus Tridentina synodus anathematismo confodit (4).

XXXV. Alterum lutheranae *impanationis*, *et consubstantiationis* errorem expungit evangelica itidem litera, et traditio. Nam neque *in hoc*, neque *cum hoc*, neque *sub hoc* pane, et calice suum esse Corpus et Sanguinem dixit Christus: sed solummodo *hoc*, ait, *est Corpus meum*, *hic est Sanguis meus*. Unde igitur ii, nisi ex marte suo furente (5) rectum evangelici textus casum in obliquum adiuncta praepositione detorquent? Patribusque superius adductis unanimi sensu exponentibus (6) panem in Corpus, vinumque in Sanguinem *transmutari*; de pane fieri Carnem Christi; quod post consecrationem panis, aut vinum sensibus videtur, non amplius esse panem, vinumque, sed Corpus et Sanguinem Christi: cur nisi temere impii effingunt adesse panem, et vinum, sive utriusque substantiam una cum substantia Corporis, et Sanguinis Christi?

XXXVI. Nova impanationis, et consubstantiationis vocabula effecerunt, ut catholici novo etiam verbo *transubstantiationis* bene uterentur in Concilio Lateranensi IV. (7), ac Tridentino (8): quidquid con-

(1) *In cap. cum Marthae 6. de celebr. Missar. §. ex eo autem.*

(2) S. Ignat. *ep. ad Smyrnenses apud Theodoretum.*

(3) Ut contestantur Lanfrancus *lib. de Corpore, et Sanguine Domini cap. 4.*, Anonymus in *opusc. de Berengarii damnatione multiplici*, Guitmundus Aversanus Episcopus *lib. 3. de Sacr. Eucharistiae*, Gratianus in *can. ego Berengarius 42. de cons. dist. 2.*

(4) Trid. *sess. 13. can. 1. Si quis negaverit in sanctissimo Eucharistiae Sacramento contineri vere, et realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem una cum anima, et divinitate Domini Nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel* figura, *aut* virtute, *anathema sit.*

(5) Cum Berengarius priorem haeresim eiurasset suam in Romana synodo sub Nicolao II., dein perduellis ad posteriorem *impanationis*, et *invinationis* transiliisset, quam octogenarius dimittere tandem iuravit S. Gregorio VII, ut notant Romani Correctores in *can. ego Berengarius 42. de cons. dist. 2:* eum Lutherus pertinacissimus errantem, quam poenitentem sectari maluit.

(6) Hoc eodem *tit. num. XXIX. XXXI., et XXXII.*

(7) Later. IV. sub Innoc. III. in *cap. firmiter 16. §. una vero de sum. Trin. et fid. cath. Iesu Christi Corpus, et Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continetur*, transubstantiatis *pane in Corpus, et vino in Sanguinem.*

(8) Trid. *sess. 13 cap. 4. Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque*

tra blaterat Petrus Suavis (1), ad evincendum eiusmodi errorem. Itaque *si quis dixerit, sanxit Tridentinum, in sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere* substantiam panis, et vini, *una cum Corpore, et Sanguine Domini Nostri Iesu Christi, negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime* transubstantiationem *appellat, anathema sit* (2).

XXXVII. Impanatores cum Wicleffo dum reclamant ad leges Naturae, sensusque corporeos, qui accidentia a subiecto nesciunt unquam seiungere : iis illud B. Ambrosii (3) exprobrare oportet: *quid quaeritis naturae ordinem in Christi Corpore*, qui naturam ipsam pluries, quotiescumque voluit, mutavit, atque in hoc Sacramento mutari procul dubio iussit ? Mox respondendum cum Innocentio III. (4), *accidentia mutare subiectum : cedit quippe natura miraculo, et virtus divina supra consuetudinem operatur.* Itaque *manentibus dumtaxat speciebus*, ut Tridentini Patres loquuntur (5), propriisque panis, et vini substantiis abeuntibus per consecrationem : supersunt utriusque color, sapor, odor, gravitas, accidentia cetera cum permutata, et impropria, et supernaturali substantia Corporis, et Sanguinis Christi. Quod si Patres in Synodo Constantiensi (6) ut castigarent, eam Wicleffi enunciationem: *accidentia panis non manent sine subiecto in Eucharistia:* dixerunt : quid *autem panis, vinique species aliud sunt post consecrationem, quam accidentia sine subiecto ?* eos intellexisse aio de subiecto proprio, et naturali : secus de improprio, et divino.

XXXVIII. Verbis quoque technicis theologi nostri docent Corpus, et Sanguinem Domini sub utraque specie revera existere non *circumscriptive*, quum non habeat extensionem sibi adaequatam, nec *definitive*, quia non ita sub eucharisticis huius loci speciebus adest, ut sub aliis similibus, alibique simul, puta in coelo esse non possit : sed *sacramentaliter, et realiter* (7) cum singulari nexu miraculorum *compenetrationis*, et *concomitantiae* indissolubilis. Enimvero totus Christus vivens, et immortalis cum anima, et corpore, et divinitate nedum in tota specie panis, totaque vini est : sed totus etiam in singulis alterutrius partibus, vel minutissimis, nunquam in re fractus, numquam divisus, quamvis externa specierum signa frangantur particulatim. *Et qui-*

nunc denuo sancta haec Synodus declarat, per consecrationem panis, et vini conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi Domini Nostri, et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis eius, quae conversio convenienter, et proprie a S. Catholica Ecclesia transubstantiatio *est appellata.*

(1) De quo Card. Pallavicin. *lib. 12. hist. Conc. Trid. cap. 7.*
(2) Trid. *loc. cit. can. 2.*
(3) S. Ambros. in *can. revera mirabile 69. dist. 2. de cons.*
(4) Inn. III. in. *cit. cap. cum Marthae 6. §. quaesivisti.*
(5) Trid. *cit. sess. 14 cap. 4., et can. 2.*
(6) Syn. Constant. *tit. de adm. Sacr.*
(7) Trid. *loc. cit. can. 8.*

dem ait S. Augustinus (1), *per partes manducatur in Sacramento, et manet integer totus in coelo, manet integer totus in corde tuo.* Vivum panem si, ut ait Apostolus, *frangimus :* non certe partem a parte Corporis Domini separamus, sed totum a toto ex miraculo replicationis. *Si quis* vero *negaverit sub unaquaque specie, et sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri anathema sit* (2). Quandoquidem etsi *ex vi verborum* Corpus speciatim sub specie panis, Sanguisque dicitur sub ea vini existere : tamen utrumque sub alterutra specierum *vi concomitantiae*, simul divinitatem cum anima, et corpore *vi unionis hypostaticae*, et *immortalitatis* contineri fide rectissima profitemur (3): *Quia in ipso inhabitat*, docet Apostolus (4), *omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

XXXIX. Permanentem sub speciebus eucharisticis, quoad eae ipsae durant incorruptae, praesentiam Christi Domini Nostri sanc credimus, cultuque latriae adoramus: reiectis anathematismo Calvinistis, et Lutheranis, qui non aliter eucharisticum panem, et vinum esse ante, aut post usum sacrificii, et immediatae communionis, quam Baptismi aquam ante, vel post lavacrum existimant. Illud in Eucharistia, docemur a Tridentino, (5), *excellens, et singulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur : at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor* ante usum *est; nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret Corpus suum esse, quod praebebat, et semper haec fides in Ecclesia Dei fuit.* Propterea quod in coena tunc *ferebatur Christus manibus suis*, quodque *nemo illam Carnem manducat, nisi prius adoraverit*, traditum a S. Augustino (6) habemus. Nisi Corpus Domini post consecrationem statim adesset realiter in Eucharistia ante usum, participationemque fidelium: istimet eam accepturi certe non adorassent primitivis Ecclesiae temporibus. Prisca etiam consuetudo liquet deferendi per diaconos Eucharistiam ad absentes (7),

(1) S. Aug. *in can. 58., et 70. de cons. dist. 2.* Consonant S. Greg. Nyssen. *orat. catech. cap. 26. Matthaei*, et in *can. ubi pars 78. de cons. dist. 2*, quem S. Hilario canonem inscribit Gratianus.

(2) Trid. ibidem *can. 3.*

(3) Cum S. Ambrosio in *can. 84., 85.*, *et 87*, S. Greg. M. in *can. quid sit 73. de cons. dist. 2.*, S.Thom. *par. 3. qu. 76. art. 4.*, et Trident. *cit. sess. 13. cap. 3.*

(4) Ad Colossens. *cap. 2. vers. 9.*

(5) Trid. *eodem cap. 3.*

(6) S. Aug. in *can. accesserunt 92. de cons. dist. 2.*

(7) S. Iustinus *apolog. 1. num. 65. Diaconi*, ait, *panem, et vinum, in quibus gratiae actae sunt, unicuique praesentium participanda distribuunt, et ad* absentes *perferunt.* S. Iraeneus *ep. ad Victorem* apud Euseb. *lib. 5. cap. 24. Illi, qui te praecesserunt, presbyteri, quamvis id minime observarent, Ecclesiarum presbyteris, qui id observabant, Eucharistiam transmiserunt.* S. Paulinus *ep. ad Severum*, et Metaphrastes in *actis S. Luciani 7.* Ianuarii, eumdem morem tradunt. Pontificalis liber *in vita Melchiadis : Hic fecit, ut oblationes consecratae per Ecclesias ex consecrata Episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Idem *in vita Siricii.* Inno entius I. *ep. ad Decen-*

infirmos, trusosque in carceribus martyres (1), servandique eam in templis (2), tum nonnullis tradendi sumpturis domi (3), praesertim novis Sacerdotio initiatis (4), Missamque praesanctificatorum celebrandi moestis poenitentiae diebus (5). Quum ita se res habeant, unde nam norunt Sacramentorum hostes Eucharistiam in solo accipientium ore, dum traditur, ita confici, ante usum huiusmodi eam Christo vacuam, omnique virtute expertem putent? *Si quis* ergo *dixerit, peracta consecratione in admirabili Eucharistiae Sacramento non esse Corpus, et*

tium : Presbyteri fermentum a nobis confectum per acolytos accipiunt, ut se a nostra communione non iudicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt Sacramenta. Id etiam quod ad Parochias vetuit Synodus Laodicaena *cap. 14.*, quae tamen loquitur de eulogiis. Iustinianus *Nov. 123. cap. 36.*, de foeminis claustralibus loquens, *sanctam eis communionem portandam per presbyterum, aut diaconum, quem ipsae eligerent, Episcopos provisuros, edixit.*

(1) Ex Nicaena Synodo *can. 13.*, Carthagin. IV. *can. 36.*, *et seq.* et Arausican. I. *can. 3.* Apud Eusebium *lib. 6. cap. 44.* fertur ex Dionysii Alexandrini *ep.* ad Fabianum Papam, quod puer quidam Serapioni lapso, tum poenitenti moribundo Eucharistiae particulam ab aegroto presbytero acceptam detulisset. Id vero deferendi ministerium laicis, foeminisque inhibuit Synodus Rhemensis in *can. 29. de cons. dist. 2.*

(2) S. Cyrillus Alexandr. *ep. ad Calosyrium.* Alios *esse audio*, ait, *qui mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem iuvare dicunt, si quid ex ea fiat reliqui in aliam diem. Insaniunt vero, qui haec adserant.* Chrysostomus *ep. ad Innocentium*, conqueritur milites in tumultu Constantinopolitano Ecclesiam ingressos, quorum aliqui nullis erant mysteriis initiati, sancta ibi condita inspexisse. Optatus *lib. 2.* exprobarat Episcopis Donatistis sacrilegam servatae Eucharistiae proiectionem. Victor Uticensis *lib. 1. de persec. Vandal.* refert Valerianum Abensem in Africa Episcopum quod Sacramenta suo in templo condita renuisset is tradere, a Genserico Vandalorum rege multatum exilio.

(3) Tertull. *lib. 2. ad uxorem cap. 5. Non sciet maritus*, quid secreto *ante cibum gustes? Et si sciverit panem, non illum credit esse, qui dicitur.* Idem *de orat. cap. 14. Accepto corpore, et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii, et executio officii.* S. Cyprianus *de lapsis* scribit: *quum quaedam mulier* arcam suam, *in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis* tentasset *aperire, igne inde surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Id inveterata consuetudine probatum affirmat S. Basilius *ep. 289. ad Caesariam*, et S. Hieron. *ep. 50. ad Pammachium.*

(4) Alcuinus *de divin. offic. cap. 37.*, Ritum romanum episcopalis ordinationis describens, *Pontifex*, ait, *ad communicandum porrigit ei formatam, atque sacram oblationem, quam accipiens communicat super altare, cetera vero reservat sibi ad communicandum usque ad 40. dies.* Fulbertus *ep. ad Finardum* inquit: *Episcopus sacerdotales viros in plebem subiectam missurus, sacri Corporis Eucharistiam per quadragenos dies sumendam distribuit.*

(5) Eo scilicet ritu, qui adhibetur feria VI. hebdomadae maioris tantum apud Latinos, apud Graecos per totam Quadragesimam ex Laodicaeno *can. 49. Non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi Sabbato, et solis Dominicis.* Necnon Trullano *can. 52. In omnibus sanctae Quadragesimae diebus, praeterquam in Sabbato, et Dominica, et sancto Annuntiationis die, peragatur sacrum* praesanctificatorum *ministerium.* Socrates *lib. 5. hist. cap. 22. In Alexandria*, scribit, *quarta feria, et ea, quae dicitur parascere . . . omnia, quae ad Synaxim spectant, administrantur, praeter mysteriorum consecrationem.*

Sanguinem Domini Nostri Iesu Christi, sed tantum in usu, *dum sumitur, non autem ante , vel post; et in hostiis, seu particulis consecratis , quae post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema sit* (1). Simul et *qui dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari , sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendam , aut non licere , ut illa ad infirmos honorifice deferatur.*

XL. Praecipuum hinc hominis christiani officium id esse plane constat , ut Deum vivum sub speciebus eucharisticis latentem latria quotidie more maiorum (2) colamus , dum in templis nostris nobiscum semper adest usque ad consummationem saeculi, quem idcirco in triumpho ex tot devictis fidei hostibus circumferri publice, festoque solemni ad octiduum producto, quotannis memoriam eius concelebrari, atque ad infirmos cum pompa deferri , iure meritissimo censuit Ecclesia (3) ; praeterea publicae in Ecclesiis adorationi, ubi, et quoties dioecesano Episcopo videbitur , exponi (4).

XLI. Multiplices ab hocce Sacramentorum maximo fluunt *effectus.* Vitam scilicet spiritalem alit , roboratque, uti cibus animae a peccatis mortalibus , ut antidotum praeservat, veniales remittit culpas, uti remedium quotidianae infirmitatis ; fidelium singulos uni Ecclesiae corpori unum caput Christum habendi coniungit, uti symbolum unionis, quo fit , ut nos in Christo , et Christus in nobis permaneat, denique spem futurae gloriae fovet, uti pignus. Dicentes igitur, *vel praecipuum fructum SS. Eucharistiae esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire , anathema sint* (5). Lutheranos , et Calvinistas canon hic percutit , qui Eucharistiam peccatoribus quorumlibet scelerum consciis , primaque gratia egentibus largiri ad remissionem obtinendam iactant : surdis enim auribus illi iudicium damnationis ab Apostolo praenunciatum indigne sumentibus non pavent.

XLII. *Secundae gratiae* ita proprii sunt effectus isti, eos ut nullimodis queat percipere , qui primam non habens gratiam ad hoc *vivorum* Sacramentum accesserit , seque ipsum prius non probaverit : qui scilicet gravis peccati conscius antea suam non emundaverit animam Sacramento Poenitentiae , quantumvis contritum putet sese (6).

(1) Trid. *sess. 13. can. 4., et 7.*

(2) S. Ambros. *lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12.* ea psalmi verba : *adorate scabellum pedum eius* , exponens : *itaque per scabellum* , ait , *terra intelligitur, per terram autem Caro Christi, quam hodie quoque in* mysteriis adoramus, *et quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.*

(3) *Cap. sane 10. de celebr. missar. cap. 1. de custodia Euch.* Urbanus IV. in Clem. *un. de reliq., et vener. sanct.* Trid. *sess. 13. cap. 5., et 9., et can. 6.*

(4) Ex decreto S. Congr. Conc. *in Neapolitana 17. Aug. 1630.*, et S. Rituum Congr. *in Neap. 24. Iulii 1659*, Synodus Provincialis Neap. *anni 1699.* Card. Cantelmi *hoc tit. n. 16.*, vetitum enunciat in Ecclesiis etiam Regularium, et Confraternitatum sine dioecesani Episcopi licentia exponere SS. Sacramentum, simul et sepulcrum feria quinta maioris hebdomadae, in quo adorandum reponatur.

(5) Ex Trid. *cit. sess. 13. can. 3, et cap. 2.*

(6) Trid. eadem *sess. 13. cap. 7., et* Catechism. Roman. *hoc tit.*

An vero *per accidens* primam ei gratiam conferat Eucharistia, qui peccati lethalis immemor, non praemissa Confessione sacramentali eam suscipiat attritus, sub iudice lis adhuc est in scholis, eaque umbratilis (1). Contritus quippe cum voto confitendi, statim ac ei suppetat facultas implendae Confessionis, quum redeat statim in Dei amicitiam quaestione hac minime continetur. Alteram eiusdem generis controversiam, an species ambo eucharisticae maiorem, quam una, gratiam largiantur ex opere operato in Tridentina synodo propositam non dirimere Patres censuerunt: consulto vix definientes, *nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt* (2). De hisce disputationibus ne quid suis in synodis Episcopi statuant, monet Benedictus XIV (3).

XLIII. Nostrum vero est controversam nunc explicare disciplinam communionis sub una, vel utraque specie. Nullo divino praecepto laicos, et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum, illudque sub una sumptum sufficere ad salutem, statuo primum cum Patribus tridentinis (4). Tametsi enim Christus Dominus in coenaculo illud in utraque specie institutum Apostolis tradidit, tamen fidelibus cunctis utriusque participandae necessitatem non indixit. Et ante coenam unus, idemque Dominus fertur a Ioanne protulisse non modo effata illa, species ambas complectentia: *nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. . . . Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam . . .* aut *in me manet, et ego in illo:* verum etiam ista unam solummodo spectantia: *si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum . . Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita . . . Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Exin Apostolus ambas itidem species *copulate* primum memorat, scribens (5): *quotiescumque manducabitis panem hunc*, et *calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat:* post alternatim disiungit, haec continuo addens: *itaque quicumque manducaverit panem hunc*, vel *biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis, et Sanguinis Domini.* Et paullo post, *cum convenitis ad manducandum*, ait, *invicem expectate*, reticens omnino illud alterum *ad bibendum*. Ab alternatis eiusmodi enunciationibus inferre praeceptum, necessitatemque sumendae utriusque speciei contendens caligat in meridie. Mox haerentibus in eo Matthaei loco (6): *bibite ex hoc omnes:* scrupulum demat Marcus, limitans *omnes* ad solos Apostolos, dum scribit: *et accepto calice gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo* omnes (7).

XLIV. Apostolicis quoque moribus probatum solius panis eucharistici

(1) S. Thom. *par. 3. qu. 80. art. 4.*
(2) Trid. *sess. 21. cap. 4.*
(3) Bened. XIV. *de Syn. Dioec. lib. 7. cap. 11.*
(4) Trid. *sess. 21. cap. 1.*
(5) I. ad Corinth. *cap. 11. vers. 26., 27., et 33.*
(6) Matthaei *cap. 26.*
(7) Marci *cap. 14.*

usum , Acta patefaciunt : quippe quae innumeros ab Apostolis baptizatos in urbe hierosolymitana enarrant fuisse *perseverantes in doctrina, et communicationis* panis , et *orationibus* (1).

XLV. Prisca tum Ecclesia aliis unam consuevit, aliis utramque saepius (2) speciem dispensare pro varietate locorum, temporumque. Unam perhibent coaevi Patres, Tertullianus cum primis (3). Solam consecrati panis particulam ministerio pueri communicatam moribundo Serapioni fert Eusebius (4). S. Ambrosius etiam *acceptum Domini Corpus , ubi glutivit , emisit spiritum* (5). Pueros recens natos ex digito Sacerdotis intincto Sanguinem Christi sugere olim consuevisse liquet ex vetustis Graecorum, Latinorumque Ritualibus (6). Et immaculatos impuberes ad sacras divini panis reliquias , ubi plurimae superfuissent e synaxi , comedendas adscitos in Ecclesia praesertim Constantinopolitana , tradit Evagrius (7) , tum in Gallicana Synodus Matisconensis (8). Itaque si nullum sacrae Litterae praeceptum de utraque specie sumenda, sed probum e contrario usum unius ostendunt: si varia fuit veteris Ecclesiae disciplina , modo unam, modo duplicem populo speciem eucharisticam distribuentis : toto quidem coelo aberrant , qui laicos universos ad communionem sub utraque student iure divino obligare , arbitriumque Potestati ecclesiasticae controvertunt quum abrogandi mobiles veterum leges , moresque ; tum novas constituendi, ut una tantum panis populo generatim dispensetur ; vero nonnullis gentibus, inter quas Graeci , aut personis iure speciali utramque indulgendi.

XLVI. Ad quintum usque saeculum videtur libertas sumendi sine piaculo vel unam , vel utramque speciem pro cuiusque libito perseverasse non ante , quod sciam , limitata. Nam Sacerdotibus utramque praebentibus , quum permulti Corpus tantum accipientes , Sanguinem

(1) Actorum *cap. 2. vers. 42.*

(2) S. Iustin. *apol. 1. num. 65.* Cuius verba exscripsi iam supra *n. XXV.* S. Cyprianus *de lapsis* utriusque communionem refert. Chrysostomus *serm. 1. de ieiunio* , tu *et puer* (inquit) corpus *ipsius communiter de mensa sumitis*, populi *similiter participes estis.* S. Cyrill. *catech. 5. mystag. post communionem* Corporis *Christi accede, et ad* calicem *Sanguinis, etc.* Vid. Card. Bona *lib. 2. rer. liturg. cap. 18. §. 5.*

(3) Tertull. *lib. 2. ad uxor. cap. 5.*, supra laudatus ad *n. XVIII.* Idemque *de idolatria cap. 7., eas manus* , inquit, *admovere* Corpori *Domini, quae daemoniis corpora conferunt ?* Ex apocrypha Iulii Papae epistola ad Episc. Ægypt. in *can. cum omne 7. de cons. dist. 2*, et Concilio Bracarensi III. *an. 675. can. 1.* , ferunt alios *intinctam* quoque Eucharistiam populo distribuisse , speciem panis dominico Sanguine perfusam. Ea ex re Pagani inter alia id Christicolis obiiciebant crimen , quod panem in sanguine infantis occisi intingerent, servarentque ad res magicas , Fleury *lib. 4. hist. num. 50.* Secum in navi portasse navigantes Christi Corpus, et Sanguinem , scribit S. Greg. M. *dialog. 3. cap. 36.*, et Baronius *ad an. 404. to. 5.*

(4) Euseb. *lib. 6. hist. eccl. cap. 44.*

(5) Ut scribit Paulinus diaconus *in vita S. Ambrosii.*

(6) Adde Hugonem a S. Victore *lib. 1. de Sacram. cap. 20.*, et P. Martene *de antiq. Eccl. ritib. to. 1.*

(7) Evagrius *lib. 4. histor. cap. 39.*

(8) Synod. Matisconens. II. an. 588. *cap. 6.*

bibere declinarent, sacrilegam illorum tunc simulationem censura notandam primus censuit S. Leo M. (1). Dein Gelasius eliminandae superstitionis causa idipsum rescripsit (2). Ea lex usu vigebat saeculo VII., dum Toletana Synodus XI. plane refert, multos aegrotantium, qui calicem Domini poterant vix bibere, eucharisticum vero panem glutire nequibant, sine viatico eucharistico demigrasse (3). Ordo Romanus quoque ritum exhibet laicae communionis sub utraque specie, quem Ecclesiae occidentales a septimo, usque ad decimum saeculum servarunt. Paschalis II. exeunte saeculo IX. (4) rescissa Praedecessoris sui licentia rescripsit ad Pontium Abbatem Cluniacensem, ut parvulis, et infirmis panem glutire non valentibus sola Sanguinis communio potius daretur, quam intinctus in Sanguine panis: quamvis Concilio Turonensi apud Ivonem (5) hic, non ille communicandi modus placuisset. In Synodo Claromontana anno 1095. (6), dein constitutum, *ne quis communicet de altari, nisi Corpus separatim, et Sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem, et cautelam.* XIII. saeculo diversitas morum in aliis Ecclesiis unam, in aliis ambas quum species populo communicaret: divo Thomae data disserendi occasio est, *utrum liceat sumere Corpus Christi sine Sanguine* (7)? qui sane id licere affirmat ex inolito *multarum* Ecclesiarum usu. Mox Concilium Constantiense (8) gravibus, et iustis causis quum probasset consuetudinem hanc sub altera specie communicandi: tandem Patres Tridentini (9) iure meritissi-

(1) S. Leo M. *serm. 4. de quadragesima. Ore indigno* Christi Corpus *accipiunt*, Sanguinem *autem redemptionis nostrae* hac vice *omnino declinant . . . quorum deprehensa fuerit* sacrilega simulatio, *notati, et proditi a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur.* Ex illis verbis *hac vice* licet conijcere sacrilegam simulationem eorum, qui data opera communionem Sanguinis una *vice* declinabant, non aliis vero vicibus, fortasse ob superstitionis vitium a Gelasio detectum, ut infra.

(2) Gelasius in *can. comperimus. 12. de cons. dist. 2.*, ex epistola ad Episcopos Maioricum, et Ioannem administratores Ecclesiae Scyliaciensis ob eadem Episcopi sui a Scyllaciensibus patratam, quae patet ex priori eiusdem epistolae fragmento in *can. ita nos Scyllacaenorum 33. C. XXV. qu. 2. Comperimus*, ait, *quod quidam sancta tantummodo* Corporis *sacri portione contenti, a* calice *sacri Cruoris abstineant . . . quia nescio qua* superstitione *docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut integris arceantur; quia divisio unius, eiusdem mysterii sine grandi* sacrilegio non *potest provenire.* Etiamsi presbyteros, ut putat glossa, Gelasius minime spectasset: tamen superstitio tunc certe secum ferebat in ea divisione sacrilegium. At Binghamus *to. 6. origin. lib. 15. cap. 5. §. 1.*, nec S. Leonis, nec Gelasii mentem assecutus eam detorquet ad calumniam novae disciplinae inferendam.

(3) Tolet. Synod. XI. *an. 675. can. 11.*

(4) Paschal. II. *ep. 52. ad Pontium to. 10. Concil.*

(5) Apud Ivonem Carnotens. *par. 2. cap. 19.*

(6) Syn. Claromont. sub Urbano II. an. 1095. *can. 28.*

(7) S. Thom. *par. 3. qu. 89. art. 12.*

(8) Conc. Constant. an. 1414. sess. 13.

(9) Trid. *sess. 21. cap. 1., et 2.* Quod Imperator, Dux Bavarensium, aliique Germaniae Principes, publicato iam Concilio Tridentino, postulaverint ab Apostolica Sede indultum communionis sub utraque specie pro suarum ditionum laicis, refert Praeses Tuanus *lib. 36. histor.*

mo declararunt *nullo divino praecepto laicos, et clericos non conficientes obligari ad Eucharistiae Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto, salva fide, dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat.* Simul sanxerunt hanc ipsam consuetudinem *pro lege habendam, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiae auctoritate pro libito mutare non licet.*

XLVII. Usitatam fere semper in Graecorum Ecclesiis communionem sub utraque cunctis etiam pueris servandam censuit Concilium Florentinum, simul Leo X. (1), et Clemens VII. (2). Sed Italograecis ea ipsa in iis tantum locis, ubi vigeat, permittitur a Benedicto XIV: secus ubi obsoleverit (3). Alumnis autem Romani Collegii Graecis Gregorius XIII., et Urbanus VIII. sub utraque specie communionem in solemnioribus tantum festivitatibus Nativitatis Domini, Paschatis, et Pentecostes iusserunt, in aliis vero diebus sub una Latino ritu (4). Verum Abyssinos, Æthiopes, Maronitas una solum specie uti, fert Lucas Holstenius (5).

XLVIII. Necessitate praecepti divini omnes generatim fideles cogi quum sanos, tum moribundos Eucharistiam accipere, fides immota docet (6). At quoties sit ea sumenda, legem disciplinae mobilem servemus oportet. Ex canonibus vulgo apostolicis, singuli sacrificio praesentes clerici Ecclesiamque intrantes laici ad sacram adigebantur Communionem (7). Omnes, qui non participarent, olim esse in poenitentia, scimus a B. Chrysostomo (8). Idemque tradit singulis dominicis diebus Eucharistiam cunctis praesentibus distributam, et diem solis idcirco appellat *diem panis* (9). In martyrum quoque anniversariis, et Domini festivitatibus coetus frequentiores ad aram eucharisticam convesebantur. S. Augustinus variam in dies, in hebdomadam, statisque per annum diebus solemnibus communicandi consuetudinem probat (10). Quotidianam vero laicorum communionem nec laudat, nec vituperat ipse

(1) Leo X. litteris sub annulo Piscatoris die 18. Maii 1521.

(2) Clem. VII. alteris eadem forma datis die 26. Martii 1526. Videndi Leo Allatius *adnot. 1. de Eccl. Occident., atque Orient. cons.*, et Arcudius *in concordia Occid., et Orient. lib. 3. cap. 4.*

(3) Bened. XIV. in *const. etsi pastoralis 57. §. 6. num. 15., to. 1. Bullarii*, et *const. allatae sunt 47. §. 25. to. 4.*

(4) Leo Allatius *tract. de aetate, et interstitiis*, et cit. Bened. XIV. eadem *const. 47. tom. 4.*

(5) *Ep. ad Bertoldum Nimisium*, quam laudat *ibidem* Benedictus XIV.

(6) Ex Ioannis *cap. 6. vers. 54.*

(7) *Can. 9., et 10.* vulgo *Apostolorum*, in *can. omnes fideles 62. de cons. dist. 1., can. peracta 10. de cons. dist. 2.*, ex suspecta Anacleti epistola, et Concilium Antioch. *can. 2.* omnes, qui *Ecclesiam ingrediuntur, et sacras Scripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel sanctam Eucharistiae participationem propter aliquam insolentiam aversantur, eos ab Ecclesia expelli* sanxit.

(8) Chrysost. *hom. 3. in Ephes.*, et Synod. Toletana I. in *can. hi qui 30. de cons. dist. 2.*

(9) Idem *hom. 5. de Resurr.*

(10) S. Aug. *epist. 98. cap. 2.*, et *tract. 26. in Ioann.*

cum B. Hieronymo (1), quam nihilominus urget, suadetque divus Ambrosius (2). Hic enim ad tepidos non appetentes (3), *si quotidianus est panis*, ait, *cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in Oriente facere consueverunt?* Synodus Toletana I. (4) constituit, ut *qui communicant, non semper abstineant.* Per quotannis communionem cuique fidelium indictam a S. Fabiano fert pseudo Isidorus (5): id quod ipse in commentitiam epistolam transtulisse videtur ex canone Agathensi (6): ubi sancitum non catholicos fore habendos, qui festis diebus Nativitatis Domini, Paschatis, et Pentecostes non communicarent.

XLIX. Quum ex variantibus hisce antiquis canonibus theologi nostri disputarent, praeceptiva ne, an arbitraria esset quotidiana communio (7): factum hinc est, ut disciplina recentior *consilium* frequentandae communionis ab *annuo praecepto* probe distingueret. Quod ad primum, Synodus Tridentina cunctos hortatur, *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipiant*, optatque, *ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicent* (8). Animarum curatoribus, praesertim Parochis, Confessariisque mandat Innocentius XI., ut singulos pro sua prudentia dirigant ad crebriorem, rarioremve usum Eucharistiae (9). Idemque illam iure damnavit propositionem: *frequens Confessio, et Communio etiam in his, qui gentiliter vivum, est nota praedestinationis.* Profecto gentiliter viventes iudicium damnationis apostolicum sibi manducant, dum *sacramentaliter* tantum peccatores coelestem panem sine fructu, et non *spiritaliter* comedunt (10).

L. Praeceptum paschalis tantum communionis latum in Concilio La-

(1) Idem in *can. quotidie 13. de cons. dist. 2.*, et S. Hieron. *ep. 50. ad Pammach. contra Iovin. cap. 6.* Quam sententiam in ambiguo reliquit etiam Innocentius III. *lib. 4. de myster. Miss. cap. 42.*, cum S. Thom. *par. 3. qu. 80. art. 10.*

(2) S. Ambros. *in can. non iste 56. eadem dist. 2. Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit: sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Idem *lib. 4. cap. 6. Si quotiescumque effunditur Sanguis in remissionem peccatorum funditur: debeo illum semper accipere*, ut mihi *semper peccata dimittantur. Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.*

(3) Idem *lib. 5. de Sacram. cap. 6.*

(4) In *can. hi, qui 20. de cons. dist. 2.*

(5) Apud Gratianum apocrypha S. Fabiani epistola in *can. etsi non frequentius 16. dist. 2.* Eodem vitio laborat epistola Soteris Papae in *can. in coena 17. ead. dist.* quae cunctis die coenae Domini sumptionem Eucharistiae praecipit.

(6) Syn. Agathen. in *can. saeculares 19. eadem dist. 2.* Cui consonat Synodus Turonensis III. anno 813. *can. 50.*

(7) Praeceptivam propugnat Wasquez *par. 3. disp. 219.*, arbitrariam pro cuiusque pietate Suarez *disp. 69. sect. 3.*, et Iuvenin. *de Sacram. dissert. 4. qu. 9. cap. 3. art. 1.*, apud Bened. XIV. *de Syn. Dioec. lib. 7. cap. 12. num. 6.*

(8) Trid. *sess. 13. cap. 8.*, *et sess. 22. cap. 6. de sacrific. Missae.*

(9) Lacroix *lib. 6. part. 1. num. 665.*, et Bened. XIV. *loc. cit. num. 8*, habent integrum Innoc. XI. decretum 12. Febr. 1679.

(10) Trid. *sess. 13. cap. 8.*, et *can. 21.*

teranensi IV. (1) firmavit Synodus Tridentina, eos configens anathemate, qui negaverint, *omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum iuxta praeceptum sanctae matris Ecclesiae.* Istud autem in sua quisque parochiali Ecclesia, vel cathedrali tanquam primaria, et communi Parochia implere adeo cogitur, ut in alia sine sui Episcopi, vel Parochi permissu non satisfaciat (2): quamvis, omnibus liceat ad fovendam pietatem in quibuslibet Ecclesiis Eucharistiam alias accipere. Nam quoties praeceptum urgeat, a *Parocho solo* licite Sacramenta suscipi declarant Patres Tridentini (3): et Lateranenses *proprio Sacerdoti*, idest Parocho idemmet ius annuae Confessionis, et Communionis exigendae iamdiu reservaverant (4). Hodierni mores quum cunctis generatim indulgeant paschali etiam tempore libertatem sua confitendi peccata quibuslibet extra ordinem Confessariis, etiam Regularibus, quos dioecesanus Episcopus probaverit: eam puto potius ex pontificiis Regularium privilegiis (5), quam ex diuturna conniventia, vel consensione Parochorum profluxisse. Nam S. Congregatio Concilii Salernitano Archiepiscopo ad id Fratribus Mendicantibus vetandum proclivi, rescripsit visis eorundem privilegiis indultum iis Sacramenti Poenitentiae ministerium esse paschalibus quoque diebus (6). Qui praecepto isti non paruisse quotannis produntur, non exhibentes sacri convivii schedulam, a fidelium consortio segregantur (7). Per sacrilegam vero communionem illuditur praecepto, non satisfit in foro interno. Contrariam idcirco propositionem iure damnavit Innocentius XI. (8): quum pascha nostrum sit, iubente Apostolo, comedendum *in azymis sinceritatis, et veritatis.*

LI. Ægros quoque divinum urget praeceptum pane coelesti reficiendi sese, ut vivant in aeternum. In I. synodo Nicaena (9) constitutum,

(1) Sub Inn. III. in *cap. omnis utriusque sexus 12. de poenit., et remiss.*

(2) Fagnan. in eodem *cap. omnis num. 42.*

(3) Trid. *sess. 24. de reform. cap. 13.* Videsis dicta *lib. 1. tit. XXX. n. XI.*

(4) In *cit. cap. omnis*, et Xystus IV. in *cap. vices illius 2. de tregua, et pace in Extravag. comm.*

(5) Nam Clemens V. in Conc. Viennensi in *Clement. 1. de privilegiis* censuram excommunicationis latae sententiae in eos Religiosos sanxit, qui *non habita presbyteri parochialis licentia speciali* praesumpserint tria Sacramenta Eucharistiae, Extremae Unctionis, et Matrimonii ministrare. Ubi nullum de Poenitentia verbum. Dein Xystus IV. in *cit. Extravag.* haec habet: *Per hoc tamen ipsi fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quominus secundum iuris communis, et* privilegiorum *eisdem concessorum dispositionem*, confessiones audire, *et poenitentias iniungere valeant.*

(6) Fagnan. *loc. cit. num. 58.*

(7) Ex Conc. Bracarensi in *can. si quis intrat 18. de cons. dist. 2.*, Toletano I. in *can. hi, qui intrant 20. eadem dist.* et *cit. cap. omnis utriusque sexus.*

(8) Inn. XI. die 2. Martii 1679. inter proscriptas *n. 55.*

(9) Nicaen. I. *can. 16.* Ubi ἐφώδιον graece dicitur, quod nobis *Viaticum.* Consonant Synodi Agathens. *can. 15.*, Toletana XI. *can. 2.*, Carthaginens. IV. *can. 76.*, *et duobus seqq.* Arausicana I. *can. 3.*, *etc.* Videsis notata superius *num. XXXIX.*

ut si quis egreditur e corpore, ultimo, et necessario Viatico non privetur. Quod semel acceptum, etsi ex una, eademque infirmitate periclitantes iterare nulla lege cogantur: satius tamen procul dubio est ipsos eo iterum, et pluries roborari, quoties expetant, nedum interpolatis, sed proximis etiam diebus (1). Diuturno autem morbo affecti, ut singulis saltem mensibus Eucharistia nutriantur, commoneant, curentque Parochi (2), quorum est ad illos per sese, vel per Sacerdotes, Diaconosque deferre. Canonicis enim sanctionibus cautum est, ne laicis, eoque minus foeminis (ut olim aliquando factum) sacrum Domini Corpus ad infirmos deferendi munus unquam mandaretur (3), neque ob id servandum in privatis domibus (4), nec itinerantibus gestandum (5) concederetur. Abusus quoque in os defunctorum adponendi sacram particulam damnatus iamdiu est. *Dictum est enim a Domino:* accipite, et edite: *cadavera autem nec accipere possunt, nec edere* (6). Eodem argumento usus est Chrysostomus (7) in Marcionitas eiusmodi corruptelae auctores.

LII. Inopinata aegrotantium pericula mortis postulant, ut panis eucharistici particulae serventur in Ecclesiis tantum parochialibus (8). Eaeque singulis, binisve saltem hebdomadis, ne corruptioni exponantur, renovandae sunt aeque apud Latinos, ac Graecos ex binis Benedicti XIV. (9) litteris. Hic enim Pontifex bis Italo-graecis interdixit abusum plus octo, vel quindecim diebus adservandi ad annum pro infirmis panes eucharisticos, quos ii sueverant feria quinta coenae Domini tantum conficere, mox residuos anni superioris vel exsiccare plus quoque servandos, vel tundere ad eosdem una cum novis recoquendos. Qui male custodierint, ab Episcopis puniantur (10).

(1) Ex traditis a Bened. XIV. *de Synodo Dioec. lib. 7. cap. 12. n. 5.*

(2) Ex instruct. S. Caroli Arch. Mediol. *de praef. spir. carcer.*, et Neapolit. Synodo Provinciali Card. Cantelmi *tit. III. cap. 4. num. 8.*

(3) Syn. Rhemens. *in can. pervenit 29. de cons. dist. 2.*

(4) Synod. Caesaraugust. anno 381. *can. 3.*, et Toletan. I. *can. 14.* Videsis Card. Bona *lib. 2. rer. liturgic. cap. 17. §. 14*, et paulo superius dicta *num. XLV.*

(5) Bened. XIV. *const. etsi pastoralis 57. §. 6. to. 1. Bull.*

(6) Inquiunt Synodi Carthag. III. *can. 16.*, Antissiodorens. in Gallia *can. 12.*, Trullan. *can. 133.* Surius *to. 1. in vita S. Basilii* narrat, si danda ei fides est, Basilium prope obitum suum tres in partes consecratam ab se hostiam divisisse unaque glutita, alteram secum sepeliendam reservasse, aliam in aurea columba pendente condidisse.

(7) Chrysost. *hom. 40. in ep. 1. ad Cor.* scribit: *Quibusnam dixit*, nisi comederitis etc. *vivisne, an mortuis?* De eorumdem abusu in baptizandis mortuis iam dixi superiori *tit. IV. num. XLIX.*

(8) Ex Syn. Wormaciens. in *can. presbyter 92. de cons. dist. 2.* Benedictus XIV. in const. *quamvis iusto num. 24. to. 1.* Bullarii, facultatem indulgendi aliis Ecclesiis non parochialibus custodiam Eucharistiae reservatam Sedi Apostolicae declarat, laudatque Card. Petra in *comm. ad const. 1. Urbani IV. sect. un. num. 29. to. 3.*

(9) Bened. XIV. const. *etsi pastoralis 57. de dogmat., et ritib. Italo-Graec. §. 6. num. 3., et seq. to. 1.* Bullarii, et *const. allatae sunt 47. de Syriacis, et Armenis ritibus §. 29. tom. 4.*

LIII. Pueros etiam infantes post Baptismum continuo participes Eucharistiae factos, perinde a Graecis, ac Latinis, res est exploratissima (1). Priscum eiusmodi morem nonnulli Graecorum tenent adhuc (2): alii ab eo (3), quemadmodum et Latini recesserunt pluribus abhinc saeculis (4). Armenorum error propugnans ex necessitate salutis dandam parvulis fore Eucharistiam, proscriptus a Benedicto XII. est saeculo XIV. (5). Cum Patribus Tridentinis itaque aio (6): *parvulos usu rationis carentes nulla obligari* necessitate *ad sacramentalem Eucharistiae communionem. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis* necessitate *id fecisse sine controversia credendum est. Si* autem *quis dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.* Ortum haec mutatio, ut opinor, habuit ab Lateranensi annuae communionis praecepto sub Innocentio III., quo necessitas ab arbitrio apertius distincta, et fines utriusque indicati. Inde fit, ut ex nostris Theologis alii quoslibet doli capaces pueros, puta septennes, huic praecepto obnoxios renunciant; alii pleniorem rationis usum attendendum putant, variis sententiis accipientes ea Lateranensis canonis verba: *postquam ad annos discretionis pervenerint.* Ea in re satius erit S. Caroli (7) consilium Neapolitana Synodo probatum (8) sectari, ut pueri, nisi ab suo Parocho ante probati, praevio examine sint, non praesumant Eucharistiam sani degustare. Moribundos autem septennes, qui Sacramento Poenitentiae capaces fuerint, Viatico munire Parochi ne dubitent (9).

LIV. Tametsi post coenam Christus Dominus suum dedit discipulis non ieiunis Corpus, et Sanguinem: tamen Apostolus, nonnisi ieiunos

(1) Ex S. Cypriano *de lapsis*, et S. Aug. *ep. 23., et 106. ad Bonifacium, serm. 8. de verbis Apostoli*, et alibi, ex const. vulgo Apost. *lib. 8. cap. 12., et 13.*, S. Innocentio I. *ep. 93.*, S. Greg. M. *in Sacramentario tit. de Sabbato Sancto*, ceteris apud Martene *de antiquis Eccl. rit. lib. 1. cap. 1. art. 15. §. 11. tom. 1.*, et Card. Bona *lib. 2. rer. liturg. cap. 19. num. 11.* Vid. dicta superius *num. XLVII.*

(2) Teste Arcudio *lib. 3. de Sacram. Euch. cap. 11.*

(3) De quibus meminit Benedict. XIV. in *const. 47. §. 24. to. 4. Bullarii.* Idemque Pontifex priori *const. etsi pastoralis 57. §. 2. num. 7. tom. 1. Bullarii*, vetuit sacram cunctis italo-graecis parvulis communionem.

(4) Hugo a S. Victore *lib. 1. de Sacramentis cap. 20*, et Guibertus Abbas *lib. 1. de pignor. sanct. c. 2. §. 1.*, quorum ille saeculo XI., hic XII. floruere, datam tunc commemorant pueris latinis Eucharistiam. Parisiensis autem Episcopus Odo *in Statut. Synod.* an. 1175., *can. 39.*, sanxit, ne pueris unquam darentur hostiae etiam non sacratae. Recentiores id omnino silent.

(5) Apud Raynald. ad *annum Christi 1341. num. 66.*

(6) Trid. *sess. 21. cap. 4, et can. 4.*

(7) S. Car. *Instr. tit. qui ad Sacram. Comm. §. nec vero.*

(8) Syn. Neap. Prov. Card. Cantelmi *an. 1699. tit. III. cap. 4. num. 2.*

(9) Ex traditis a Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. Dioec. cap. 12. num. 3.*

ad sacrum convivium admittendos innuit, scribens (1): *Cum convenitis ad manducandum, invicem expectate; si quis esurit, domi manducet, ut non ad iudicium conveniatis.* Haec Paulli verba expendens S. Augustinus (2): *numquid propterea calumniandum est*, ait, *universae Ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur?* Nonnullos tamen excipit, qui feria V. maioris hebdomadae ad peculiarem coenae Domini celebritatem post cibos offerre, atque accipere Eucharistiam consueverant. Id quod vetitum Synodis Carthaginensi III., et Trullana (3). Tum in Constantiensi declaratum (4) non debere hoc Sacramentum *confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a iure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Si quando antiquos Episcopos ab eo generalis consuetudinis iure declinasse ferunt: id post canonem Constantiensem fas est Pontifici tantum Romano ex causa abrogare, vel mutare, praeterea nemini (5).

LV. Infideles, catechumenos, haereticos, criminosos, notorios quoslibet peccatores, poenitentiaeque publicae addictos (6), energumenos etiam, blasphemos, nisi placida calamitatis intervalla id permitterent (7), ab

(1) I. ad Corinth. *cap. 11. vers. ult.*

(2) S. Augustinus in *can. liquido apparet 54. de cons. dist. 2.* Contestes sunt eiusdem universalis consuetudinis S. Io. Chrysostomus *ep. 125. ad Cyriacum Episcopum*, falso insimulatus de Eucharistia semel non ieiuno ministrata, Nicolaus I. *ad consulta Bulgarorum cap. 65.*, et S. Thom. *par. 3. qu. 80. art. 8.*

(3) Uti refert P. Lupus *ad can. 29. Conc. Trullani.*

(4) Conc. Constantiense *sess. 13.*

(5) Benedictus XIV. litteris ad Iacobum III. Magnae Britanniae Regem datis die 24. Martii 1756. (*tom. 4.* Bullarii *const. 54.*) indulsit ei, ut sacram Eucharistiam de spiritualis Directoris consilio sumere possit, quamvis post mediam, quae praecessit, noctem ientaculum aliquod, valetudine id postulante, comederit. Simul refert indultum a Pio IV. ad preces Sebastiani Lusitaniae Regis, ut Presbyteri apud Indos in regionibus eidem Regi subditis celebrent sacrum, coena licet sumpta ex inclementia coeli, vel aegritudinis causa post mediam noctem. Tum ab Innocentio XIII. Elisabethae Christinae Bohaemorum Reginae, suae ut coronationis die ob imbecillam valetudinem ientaculo ante Eucharistiae communionem se reficeret.

(6) *Si es ex iis, qui sunt in* poenitentia, *non debes participare: nam qui non participat, est in* poenitentia, aiebat B. Chrysostomus *hom. 3. in Ephes.* Item S. Augustinus *lib. 1. de symbolo cap. 7.*, inquit: *Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est, ut a Christi Corpore separemur, quod absit a nobis. Illi enim, quos videtis agere* poenitentiam, *scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt* poenitentiam. *Nam si levia ipsorum peccata essent, haec quotidiana oratio delendo sufficeret.* Theodosius caedi Thessalonicae obnoxius idcirco ad poenitentiam a S. Ambrosio ante adactus, quam communionis particeps fieret, de quo Theodoretus *lib. 5. cap. 18.*

(7) Timotheus Alexandr. Arch. in *respons. can. 3.* apud Beveregium *to. 2.*, respondisse fertur: *Si mysterium non enuntiet* energumenus, *nec ullo alio modo blasphemet, sit particeps, sed non singulis diebus.* Eiusmodi memorans disciplinam Cassianus *collat. 7. cap. 30.*, *hoc namque modo curatum, et Andronicum nuper adspeximus*, inquit, *aliosque complures.*

*

eucharistica mensa procul semper habuit vetusta Ecclesiae disciplina. Hodie quos censura episcopalis rite promulgata e societate fidelium seiunctos habeat, vel evidentia criminis admissi, improbaeque vitae notorios fecerit, ex. gr. usurarios, concubinarios, homicidas; iis ut publicis certe peccatoribus debet omnino Eucharistia denegari: secus ceteris, quantumvis indigne petentibus instar Iudae in suam ipsorum perniciem, ne famae ius cuique tribuendum privato iudicio laedatur. Hanc ipsam agendi rationem fore cum refractariis bullae *Unigenitus* observandam Clero Gallicano scitissime rescripsit Benedictus XIV. (1). Quum non modo *Sacramentum*, idque maximum sit Eucharistia, verum etiam *Sacrificium* perfectissimum: hoc simul bene nosse, ac dicere mox nostra plurimum interest.

TIT. VII.

De Sacrificio Missae.

I. Suum Deo tribuere mente pura, sacrificium dicitur generatim.

II. Cultu mentis interno, externisque laudis, et iustitiae operibus Deum honorare debemus.

III. Ritum divini cultus externum naturali ratione insinuatum Deus ipse Mosaycis primum sacrificiis cruentis, mox incruento Eucharistiae sacrificio Christus instituit.

IV. Immolatio legitima victimae divinitus instituta speciatim dicitur Sacrificium.

V. Immolatio victimam vel mactat, vel destruit, vel mutat.

VI. Quae res immolatur, victima, et hostia dicitur; quae tota olim cremabatur, holocaustum.

VII. Divina institutio victimae, ac ritus eam immolandi sacrificium ab idolatria, et superstitione distinguit.

VIII. In sacrificio immolando requiritur legitimus minister.

IX. Caeremonias in eo divinitus institutas nefas est negligere, vel mutare.

X. Dei cultus, et propitiatio finis est sacrificii praecipuus.

XI. In sacrificio eucharistico omnes veri sacrificii conditiones procul dubio insunt.

XII. Hoc ipsum aeternus Sacerdos Christus primum obtulit, et instituit in coena sua.

XIII. Lutherani, et Calvinistae institutum in coena eucharistica sacrificium ab Apostolo traditum negant stultissime.

(1) Bened. XIV. *ep. encyclica* ad Card. Archiep., et Episc. Galliarum in comitiis Cleri Gallicani congregatos data die 16. Octobris 1757., quae incipit *ex omnibus* in Bullario ipsius *tom. 4. const. 61.*

XIV. Apostolus apertis verbis incruentum Corporis, et Sanguinis Domini sacrificium ab ipso Domino Iesu Christo in coena sua oblatum explicat, et tradit.

XV. Divinam novi sacrificii institutionem, et antiqui cessationem praedixit Malachias, Patresque tradunt.

XVI. Divinam institutionem, et sacerdotale ministerium, et incruentam Christi immolationem, Corporis eius nimirum a Sanguine sub speciebus eucharisticis divisi, Evangelia ostendunt.

XVII. Unum, idemque Christi sacrificium eucharisticum immolant novi Testamenti Sacerdotes, quod nullam sacrificio Crucis iniuriam irrogat.

XVIII. Deo tantum sacrificium istud nostrum offertur cultu latriae, praeterea nemini.

XIX. Inter omnes divini cultus formas praecellit hocce sacrificium.

XX. Illudque propitiatorium revera est ex sacris Litteris, et canone tridentino.

XXI. Quod indicant apostolica etiam verba litandi, et liturgiae.

XXII. Divus Petrus primum, mox ceteri Apostolorum ritu solemni consueverunt hoc sacrificium celebrare.

XXIII. Sola consecratione panis, et vini sacrificium constare probabilius videtur.

XXIV. Nam sequens consecrationem oblatio non divinis Christi verbis, sed humanis peragitur, et communio sacrificium Christi iam peractum indicat.

XXV. Missae canonem, quo rite fit consecratio, ab Apostolis accepit Ecclesia: introitum, hymnum angelicum, symbolum Apostolorum, epistolam, Evangelium, orationes, cetera cum variis caeremoniis, et Pontifices, et Patres addiderunt.

XXVI. Liturgias Apostolorum varias ferunt varii nationum codices, quas, excepto canone, genuinas esse negant doctiores.

XXVII. Latini Missale tantum Romano utuntur in sacris peragendis, Mediolanenses Ambrosiano, Hispanorum nonnulli Mozarabico: Graeci autem, Syri, Cophti, Illyrici suo cuiusque nationis.

XXVIII. Prior Missae pars usque ad Evangelium dicebatur Missa catechumenorum, reliqua posterior fidelium: utramque populus fidelis debet quovis festo die audire.

XXIX. Publica, et solemnis Missa, olim collecta, et synaxis, nunc conventualis, aut parochialis dicitur: privata pro quovis privato speciatim offertur.

XXX. Unicam quotidie Missam conventualem Graeci sacerdotes concelebrant, et in Ecclesiis Italo-graecorum, nonnisi ex ne-

cessitate, vel consuetudine licet Latinis presbyteris latino ritu sacra peragere.

XXXI. Privatas Missas in utraque Ecclesia Graeca, et Latina usitatas ferunt prisca Patrum testimonia.

XXXII. Pro Missis conventualibus qui altari serviunt omnes partem communium oblationum, et proventuum, pro privatis peculiarem eleemosynam, vel fructum beneficii, seu praebendae lucrantur singuli celebrantes.

XXXIII. Privatae Missarum eleemosynae usus antiquissimus ex necessitate alendi pauperes presbyteros.

XXXIV. Quem contra Graecos, et sectarios probum habet Ecclesia Romana, profligatis abusibus.

XXXV. Non pretium consecrationis Eucharistiae, sed stipendium substentationis eam esse eleemosynam divus Thomas docet.

XXXVI. Triplicem fert Missa fructum, generalem, specialem, et specialissimum.

XXXVII. Ut omnis ab eleemosynis Missarum turpis quaestus absit, prospicere Episcopi debent etiam in exemptos.

XXXVIII. Quantitas eleemosynae manualis arbitrio dioecesani cuiusque Episcopi pro variis locorum conditionibus definienda caroleno uno minor hoc in regno non est. Maiorem accipiens prohibetur partem exuberantem sibi retinere, sub poena suspensionis ipso facto Papae reservata: laici excommunicationem incurrunt, exceptis Ecclesiarum administratoribus.

XXXIX. Perpetui tamen capellani et beneficiarii manualem unius caroleni eleemosynam probe dant aliis beneficii, et capellaniae Missas celebrantibus.

XL. Missas perpetuas vel redundantes, vel incongruo stipendio, legatas Episcopi consueverant moderari, quoad Sedi Apostolicae reductiones earum Urbanus VIII. reservavit.

XLI. Perpetua Missarum nova onera Ecclesiis Cleri saecularis non licet sine proprii Episcopi consensu acceptare, nec regularibus sine consensu Generalis, aut Provincialis, quae in publicis tabellis pateant, et celebrationes annuae in libris describantur a singulis celebrantibus.

XLII. Ad quotidianam Missam obstrictus perpetuus beneficiarius potest, quamvis non impeditus in hebdomanda semel vacare: nisi aliter fundator statuerit.

XLIII. Unum pro singulis Missis fas est stipendium accipere.

XLIV. Singulas tantum quotidie nunc licet singulis presbyteris, excepto Nativitatis Domini festo, celebrare: olim plures licuit generatim, et alicubi ex indulto Sedis Apostolicae adhuc permittitur.

XLV. Missionariis etiam apostolicis indulgeri nunc solet celebratio plurium eodem die Missarum, ceteris nequaquam ex causa etiam necessitatis, nisi hanc Episcopus loci probaverit.

XLVI. In triduo ante Pascha latinis etiam presbyteris vetitum est privatas Missas celebrare: feriaque sexta ipsius tridui sola praesanctificatorum Missa conventualis peragitur, quam singulis feriis VI. Mediolanenses, et per Quadragesimam fere totam Graeci concelebrant.

XLVII. Ob reverentiam sacrificii canones generatim vetant Missam velato capite, seu cum pileolo celebrare sine Papae licentia.

XLVIII. Eadem prohibitio ad fictitias comas extenditur.

XLIX. Annulus, et pontificalia sine privilegio cunctis celebrantibus, praeterquam Episcopis, et Abbatibus benedictis vetantur.

L. Abbates autem, aliique indulto pontificalium fruentes, ea in solemnibus tantum Missis adhibent, secus in privatis.

LI. Qui stare pedibus non valeant Episcopi, ut Missam celebrent sedentes, indulget Sedes Apostolica.

I. *Suum Deo, tribuere*, id *Sacrificium* esse in primis generatim fateor. Quod suum Deo tribuat, qui ea, quae sine medio accepit a Deo, ipsi Deo reddit, norunt Platonici. *Nonne* sacrificare *est munera offerre Deo? Quid erunt haec nostra dona Deo oblata? Quid putas aliud, quam honorem, venerationem, et gratiam* (1)? A Lactantio si quaeras, *quo Sacrificio Deum coli oporteat? Ut Deum*, ait, *pura; et integra mente coleremus.* Mox addit *Deo carissimum sacrificium esse opus iustum* (2): quod eo nempe animo facimus, ut Deo adhaerentes summum in ipso bonum, vitamque beatam adipiscamur. Rem hanc explicatius primum aperit S. Augustinus (3), dein definit *verum sacrificium* esse *omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati*

(1) In Platonis dialogo, qui *Eutrypho*, seu *de sanctitate* inscribitur, ea ipsa verba Socrates Eutryphoni dixisse legitur: *Diis* tantum pro *Deo* mutatis.

(2) Lactant. *lib. 6. de vero cultu sub initio, et n. 12.*

(3) S. Augustin. *lib. 10. de civit. Dei cap. 3. Cum ad illum* (Deum O. M.) *sursum est,* inquit, *eius est* altare *cor nostrum, eius unigenito eum sacerdote placamus, ei cruentas* victimas *caedimus, quando usque ad sanguinem pro eius veritate certamus, ei suavissimum adolemus* incensum, *cum in eius conspectu pio, sanctoque amore flagramus: ei* dona *eius in nobis, nosque ipsos vovemus, et reddimus: ei* beneficiorum *eius sollemnitatibus festis, et diebus statutis dicamus, sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei* sanctificamus *hostiam humilitatis, et laudis in ara cordis igne fervidae charitatis . . . . Hic autem finis est adhaerere Deo . . . Hic est Dei cultus, haec vera religio, haec recta pietas, haec tantum Deo debita servitus.*

esse possimus (1). Itaque *omne illud*, inquam cum B. Thoma (2), *quod Deo exhibetur ad hoc, quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici* sacrificium.

II. Bonorum omnium largitor num terrena desiderat munera? *Illis,* docet Lactantius (3), *quae in usum tribuit homini Deus, ipse non indiget: et cum omnis terra in ipsius sit potestate, non indiget templo, cuius domicilium mundus est; non indiget simulacro, qui est et oculis, et mente incomprehensibilis: non indiget terrenis luminibus, qui solem cum ceteris astris in usum hominibus potuit accendere. Quid igitur ab homine desiderat Deus; nisi cultum mentis, qui est purus, et sanctus? Nam quid hostiae? quid thura? quid vestes? quid aurum? quid argentum? quid pretiosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est? Sola ergo iustitia est, quam Deus expetit; in hac sacrificium, in hac Dei cultus est.* Holocausta idcirco, et munera iusti Abel, primorumque Patriarcharum, quia Deus probatam offerentium fidem, innocentiamque respexit, ei acceptissima fuere: at improbi Caini, hominumque perversorum, secus. Licet hinc intelligere, cur homines, quia et animam, et corpus a Deo accipiunt, utrumque sacrificium ei soli debeant immolare, et internum mentis, et externum operis. *Immola Deo sacrificium laudis: redde Altissimo vota tua . . . Sacrificium laudis honorificabit me*, ipse Dominus ait (4). Collaudandus enim semper Deus est internis virtutum actibus, externisque operibus; non lingua solum, sed vita; in utraque ara cordis, et templi.

III. Quo essent ritu peragenda sacrificia, Creator idem summus ratione humanis mentibus insita praedocuit ante legem (5). Tum prolapsis in errorem idolatriae imperavit mosayca lege temporarias victimarum, et holocaustorum coeremonias, ut curvos in terram animos sursum erigeris a superstitioso idolorum cultu divelleret (6), augustumque praefigura-

(1) Idem *lib. cit. cap. 6.* Huc spectat illud *psalmi 49. vers. 6. Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Id quod exponens Card. Bellarminus ait: *sensus huius versiculi est, congregandos esse sanctos Dei, idest homines Deo dicatos, qui testamentum disponunt, et pactum feriunt cum Deo, ut ipsi colant Deum sacrificiis, et Deus sit eorum Deus, eosque beneficiis semper afficiat.*

(2) Ait S. Thomas *par. 3. qu. 22. art. 2. in C.*

(3) Lactant. *in epitome lib. 7. num. 1. Quis enim ita desipiat* (ait S. Aug. *lib. 10. de Civ. Dei cap. 5.*), *ut existimet aliquibus usibus Deo esse necessaria, quae in sacrificiis offeruntur?*

(5) Psalm. 49. *vers. 16., et 24.* Ibique Card. Bellarminus.

(5) S. Thom. *2. 2. qu. 93. art. 1. ad 2.* ita docet: *Ante tempus legis iusti per interiorem instinctum instruebantur de modo colendi Deum, quos alii sequebantur. Postmodum vero exterioribus praeceptis circa hoc homines sunt instructi, quae praeterire pestiferum est.*

(6) Videsis dicta superius hoc *lib. tit. II. n. VI., et IX.* Huc pertinet illud Samuelis populum Hebraeorum increpantis: *numquid vult Deus holocausta, et victimas, et non magis ut obediatur voci Domini?* I Reg. *cap. 15. vers. 22.* Consonant Isaiae *cap. 1. vers. 12., et seq.*, et David *cit. psalm. 49., et 50.*

ret sacrificium novae legis (1). Hoc ipsum tandem incruentum Christus Dominus in ultima coena instituit sub panis, et vini speciebus, quum esset Sacerdos secundum ordinem Melchisedech in aeternum a Deo Patre constitutus, quod iugiter in Ecclesia peragerent sacerdotes, vicem eius gerentes in memoriam cruenti sacrificii semel in ara crucis oblati.

IV. Itaque sumptum speciali notione *Sacrificium* definio, quod sit *immolatio victimae divinitus instituta a sacro ministro rite peracta ad Dei cultum, et propitiationem.*

V. In sacris utriusque testamenti Bibliis quum occurrant saepe vocabula *immolationis*, et *victimae* (2) : sat nunc erit illud Apostoli meminisse : *Pascha nostrum* immolatus *est Christus* (3). Id enim *immolare* sonat, quod hostiam, vel victimam Deo non simpliciter offerre, sed sacram omnino facere, dum ea mactatur, vel destruitur, vel mutatur in aliud. *Sacrificia proprie dicuntur,* docet Angelicus (4), *quando circa res Deo oblatas aliquid fit: sicuti quod animalia occidebantur, et comburebantur . . . hoc et ipsum nomen sonat. Nam* sacrificium *dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum.* Oblatio *autem directe, et proprie dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi n hil circa ipsum fiat : sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, circa quos nihil fit.* Unum igitur verbum *immolatio* videtur satis exprimere externam rei sensibilis oblationem, in vero sacrificio mutandae, seu destruendae (5).

VI. Altero *victimae* verbo res ipsa immolanda intelligitur. *Victimam* Quirites idolatrae sicuti appellabant, quae *victrice* manu triumphantis in Capitolio mactaretur (6) : ita *hostiam* dicebant, quae manu sacerdotis caedebatur pro impetranda, vel recolenda contra hostes victoria (7). In sacris litteris promiscua utriusque vocis notio est. Quae tota cremaretur, ea *holocaustum* et *holœautoma* graece nuncupabantur.

(1) S. Io. Chrysost. *in psalm. 95. Omnia veterum sacrificia* (ait) *nova superveniens gratia* uno *complectitur* sacrificio. S. Augustinus *lib. 17. de Civ. Dei cap. 20. Mensa,* inquit, *quam sacerdos novi Testamenti exhibet de Corpore, et Sanguine suo; id est enim* sacrificium, *quod successit omnibus* sacrificiis, *quae immolabantur in* umbra *futuri.*

(2) Exodi *12. vers. 6.*, *et 77.* Immolabitque *eum* (agnum, vel hoedum anniculum) *universa multitudo filiorum Israel. Cum dixerint vobis filii vestri: quae est ista religio? Dicetis eis:* Victima *transitus Domini est.* Levitici *cap. 4. vers. 16., et 26. Offeret pro peccato suo vitulum . . .* Immolatoque *vitulo in conspectu Domini inferet sacerdos . . . Adipem vero adolebit supra, sicut in* victimis *pacificorum fieri solet.*

(3) I. ad Corinth. *cap. 5. vers. 7.*

(4) S. Thom. *2. 2. qu. 85. art. 3. ad 1.*

(5) Non abs re hinc dubitant, an veri sacrificii natura fuisset *emissario hirco* ad expiationem Sanctuarii, et *emissaro passeri* ad expiandam domum leprosam institutis lege Mosayca: ex eo qud uterque peractis coeremoniis vivus hic in agrum, ille in solitudinem peccati populi onustus emitterentur, Levitici *cap. 14., et 16.*

(6) Ovid. 1. *Fastor.* Victima, *quae dextra cecidit* victrice, *vocatur.*

(7) A. Gell. *noct. Actic. lib. 4. cap. 6.*, Ovid. *loc. cit.* Hostibus *a domitis* hostia *nomen habet.*

Huc illud Isaaci pueri spectat (1) : *Pater mi , ecce ignis , et ligna : ubi est* victima holocausti ? Lex inde Mosayca *pacificorum* hostias , victimasque ab holocausto distinxit: quod eae non integrae, sed solum ex parte , puta renes cum adipe , ac reticulo comburerentur (2). Et nedum cruentis semoventium victimis, sed incruentis etiam hostiis similae cum oleo, et thure, seu panum , et laganorum sine fermento (3) , simul et vini libamentorum (4), thymiamatis de lignis Setim, et aromatum (5) , constabant sacrificia veteris Legis.

VII. *Divinitus* quoque *instituta*, et res immolanda, et sacrificii forma sit oportet , ut a pravis gentium superstitionibus, sacrilegoque daemonum , et creaturarum cultu distinguatur legitimum sacrificium. Nam *Deus* , ait Chrysostomus (6) : *Sacrificiorum multitudine detinere hebraeos voluit, ne scilicet superstitionibus vacarent.* Simul addam cum S. Augustino (7) : *in victimis pecorum , quas offerebant . . . prophetiam celebrabant futurae victimae, quam Christus obtulit.* Vetustiores autem Patriarchae Abel, Noe, Abraham divinitus quidem inspirati *celebrabant figuras futurae rei* (8).

VIII. Nonnisi *a legitimo ministro* , nempe a Sacerdote sacrificium fore immolandum , Lex divina iubet , dum profanos ab ara Domini , sacroque ministerio poena mortis eliminat (9). *Lex enim homines constituit Sacerdotes . . . . prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi* , docet Apostolus (10). Paulus IV. , Xystus V., Clemens VIII. , atque Urbanus VIII. iure hinc merito sanxerunt, ut quicumque sacerdotali charactere destitutus Missam celebrasse compertus fuerit, foro saeculari puniendus tradatur: eorumque sanctiones firmavit Benedictus XIV. (11). Idemque insuper declaravit eiusmodi sacrilegos clericos praevia tantum sententia verbalis depositionis, aut degradationis poenam capitalem traditionis brachio saeculari subituros: at sponte crimen suum ad primam iudicis interrogationem integre , et aperte confitentes promereri , ut ea poena mitigetur , atque ad triremes in perpetuum , vel ad perpetuam in carcere, aut ergastulo reclusionem damnentur sine ulla spe commutationis, aut remissionis (12). Constitutio ista ut hoc in regno promulgaretur , indulsit Rex Carolus regio rescripto

(1) Genesis *cap. 22. vers. 7.*
(2) Levitici *cap. 1., et 3.*
(3) Ibidem *cap. 2.*
(4) Ibidem *cap. 7. vers. 29.*, et Numeror. *cap. 15.*
(5) Exodi *c. 30.*
(6) S. Io. Chrysostomus *adversus Iudaeos.* Concinunt S. Iustinus in *dialogo cum Tryphone* , et S. Irenaeus *lib. 4. cap. 28.*, ceteri Patrum. Videsis dicta superius *tit. II. num. IX.*, et hoc eidem *tit. num. III.*
(7) S. August. *enar. in psalm. 3.* , et fusius *lib. 10. de Civ. Dei cap. 20.*
(8) Idem *lib. 20. contra Faustun cap. 18.*
(9) Numer. *cap. 1. vers. 5.* , et *cap. 3. vers. 39.* Videsis dicta *lib. 1.* , *tit. XXXI. de presbyteris num. I., II, III., et XII.*
(10) Ad hebraeos *cap. 7. vers. 27* , et *28.*
(11) Bened. XIV. in *const. sacros in aeternum 97., to. 1.* Bullarii.
(12) Idem in *const. quam grave 59. to. 4.* Bullarii.

ad Regalem Cameram S. Clarae dato die 18. Septembris 1757. Concordatorum praeterea lege cautum est, ut laici sacrilegam Missae celebrationem, aliamve sacri ordinis functionem attentantes, aut sacramentalem confessionem audientes iudicium Potestatis ecclesiasticae subeant, ab eaque puniantur (1).

IX. *Rite peragenda* etiam est immolatio, servatis scilicet caeremoniis eadem lege indictis, quas mutare, aut negligere nefas (2): alias porro in sacrilegium evaderet sacrificium non rite peractum.

X. Denique *Dei cultum, et propitiationem* spectat finis sacrificii. *Quis enim sacrificandum censuit, nisi ei, quem* Deum *aut scivit, aut putavit, aut finxit* (3) ? *Qui immolat diis, occidetur, praeterquam Domino soli* (4). At vero Deum O. M. *non propter seipsum colimus per exteriora sacrificia*, monet S. Thomas (5) *sed propter nos, et proximos. Propter nos, quia videlicet*, idem Angelicus explicans ait, *per hoc quod Deum reveremur, et honoramus, mens nostra ei subiicitur.* Itaque propitiationum Dei nobismetipsis ope sacrificii quaerimus.

XI. Nunc proclivius colligitur contra Lutheranos, et Calvinistas, verissimum fieri sacrificium pane, ac vino eucharistico : hoc si cunctas iam expositas partes, quae ad substantiam pertinent, habere constat ex vulgatis utriusque Testamenti oraculis, et perpetua Ecclesiae fide divinam institutionem, sacerdotale ministerium, immolationem hostiae, ritus immutabiles, ad Deum revera colendum, ac propitiandum. Id quod nostra enucleare mox interest.

XII. Instruens hebraeos Apostolus (6) ostendit uberrime oraculis Prophetarum, rebusque gestis aeternum Christi Sacerdotium, quodque ipse Filius Dei factus Pontifex figuram Melchisedechi explicuerit, expleveritque *semel seipsum offerendo.* Nam *quis magis sacerdos Dei summi*, ait S. Cyprianus (7), *quam D. N. I. Christus, qui* sacrificium *Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest panem, et vinum, suum scilicet Corpus, et Sanguinem ? .. Praecessit ante* imago sacrificii *Christi, in pane, et vino scilicet constituta, quam rem perficiens, et adimplens Dominus, panem, et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo, veritatem praefiguratae imaginis implevit.* Ore uno ceteri Patres oblationem Melchisedechi sacerdotalem, et mysticam tradunt in sacrificio coenae eucharisticae a Christo consummatam (8).

(1) Concordata an. 1741. *cap. 6. art. 1.*
(2) Ex traditis hoc eodem *lib. tit. III. de ritibus sacris num. VIII.*
(3) S. August. *de Civ. Dei lib. 10. cap. 14.*
(4) Exodi *cap. 22. vers. 20.*
(5) S. Thom. *par. 3. qu. 30. art. 4. ad 1.*
(6) *Ep.* ad hebraeos *cap. 5., 6., 7., 8., 9., et 10.*
(7) S. Cyprian. *ep. 63. ad Caecilium.*
(8) S. Hieron. *ep. ad Marcellam, et in can. accipite 88. de cons. dist.* 2. S. Ambros. *lib. 4. de Sacram. cap. 3., et 7.*, et *lib. de initiand. cap. 9.*, S. August. *lib. de Civ. Dei cap. 22., et alibi*, S. Epiphan. *haer. 55.*, Clem. Alexandr. *lib. 4. stromat. prope finem.* S. Io. Chrys. *or. 4. contra Iudaeos*, Theodoret. *in psalm. 109*, ceteri passim.

XIII. Quod vero sentiunt omnes, id furentes solum haeretici student non intelligere. Dictitant porro ineptissime quod tota Pauli ad hebraeos epistola nullum habeat verbum de sacrificio panis, et vini, tametsi Melchisedecho in multis Christum ea confert, praeterquam in oblatione panis, et vini: at vero cruentam unam in cruce immolationem Corporis et Sanguinis Domini, quae iterari nequit, cruentis Sacerdotii Aaronici, et Levitici sacrificiis praefiguratam doceat, inquiens: *Hic autem* unam *pro peccatis offerens* hostiam, *in sempiternum sedet in dextera Dei . . . .* Una *enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos* (1). Hinc inferre vecordes conantur, iniurium sacrificio crucis esse Missae sacrificium, et coenam eucharisticam natura sacrificii expertem.

XIV. Scilicet ipsi caligant in meridie. Quid aliud, nisi eucharisticum Sanguinis Domini sacrificium, exponit Apostolus, ubi scribit: *Si sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis* Sanguis *Christi*, per Spiritum sanctum semetipsum obtulit *immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi Testamenti mediator est . . . Habentes itaque fratres fiduciam in* introitu *sanctorum in* Sanguine *Christi, quam* initiavit *nobis viam* novam, et viventem *per* velamen, *idest Carnem suam*, et sacerdotem *magnum*, *super* Domum Dei: *accedamus cum vero corde in plenitudine fidei* (2). Quam, quaeso, viam *novam*, et *viventem initiavit* nobis Christus per *velamen* carnis suae, nisi novam carnis suae viventis, et immortalis immolationem in sacrificio eucharistici panis veram carnem velantis? Quaenam *Dei domus* est, quo accedamus oportet in plenitudine fidei, nisi ubi convivium carnis, et sanguinis Domini a sacerdotibus novi Testamenti immolantibus celebratur? Quando per *Spiritum sanctum*, non per crucifixores Christus semetipsum *obtulit* immaculatum Deo, nisi in nocte coenae? Quomodo *sanguis* Christi *emundabit* conscientiam nostram, nisi eum ipsum de calice eucharistico biberimus? *Calix benedictionis, et panis, quem frangimus, nonne communicatio Sanguinis Christi, et Corporis Domini* esse dicitur ab eodem Apostolo (3)? *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? . . Non potestis mensae Domini participes esse, et mensae daemoniorum.* Haec divi Paulli verba naturam sacrificii eucharistico pani, et vino attribuunt adeo manifestam, adeo certam, ut nihil supra. Itaque dum hebraeis ostendit fusiori calamo Apostolus minorem dignitatem Sacerdotii Aaronici, et Levitici iam tum versi ad interitum succubuisse novo Christi sacerdotio praestantissimo, et confert Melchisedecho personam Christi: simul veritatem sacrificii eucharistici, quod inepte negant perfidi, tradit more suo verbis paullo abstrusioribus. Et frustra hostes negant, quod cuilibet obviam est, al-

(1) *Ep.* ad hebraeos *cap. 10. vers. 12., et 14.*
(2) Ibidem *cap. 9. vers. 13., et seq., et cap. 10. vers. 20., et seq.*
(3) I. ad Corinth. *cap. 10. vers. 16., et seq.*

teram Melchisedechi oblationem panis, et vini exploratissimam cum altera Christi apertius in apostolicis litteris comparatam.

XV. Futuram huius sacrificii nostri celebritatem una cum mosaycorum reprobatione Malachias praedixit (1) : *Non est mihi voluntas in vobis , dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco* sacrificatur , *et offertur nomini meo* oblatio *munda.* Hanc igitur oblationem eucharistici panis, et vini, quae fit quotidie in Ecclesia universa, verum esse sacrificium pronunciant divina palam oracula. *Novi testamenti novam docuit* Christus *oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in universo mundo offert Deo* , docet S. Irenaeus (2). *Huic summo , veroque* sacrificio *cuncta sacrificia falsa cesserunt* , inquam cum divo Augustino (3). *Unum sit pro omni victima* sacrificium , *sicut unum de omni gente fit regnum* , concinit S. Leo (4).

XVI. Id enimvero si Christus Pontifex per sese in novissima coena semel peregit, discipulisque novi Testamenti sui sacerdotibus, exclusis omnino profanis , mandavit , ut idipsum in eius commemorationem facerent (5) : en *divina institutio* , et *sacerdotale ministerium* patens simul in eo. Mox qui conversionem totius substantiae panis, et vini in substantiam Corporis, et Sanguinis Domini considerant (6), simul vident in hac *immolationem hostiae* incruentam fieri ipsissimis Christi Domini verbis , quae ad *ritum* pertinent necessarium. Vis eiusmodi verborum quia Corpus Domini a Sanguine seiungit, alterum ab altero separatum sub diversis repraesentando speciebus, quamvis utrumque sub alterutra specie per concomitantiam lateat : mortuum , et immolatum in cruce Redemptorem commemorat , quamquam is vivus , et immortalis regnet in coelis. *Quando sacrificamus,* inquit S. Ambrosius (7), *Christus adest , Christus* immolatur.

(1) Malach. *cap. 1. vers. 10., et seq.* Quem locum in Iudaeos urget S. Augustinus *lib. 18. de Civ. Dei cap. 35.* Eodem spectant praedictiones Isaiae *cap. 19. vers. 19., et seq., et cap. 66. vers. 21., et seq.* Ieremiae *cap. 33. vers. 18., et seq.*

(2) S. Irenaeus *lib. 4. cap. 23.*

(3) S. Aug. *lib. 10. de Civ. Dei cap. 20.*

(4) S. Leo *serm. 8. de passione.*

(5) Videsis dicta superiori *tit. VI. num. XXIV.* S. Cyprianus *cit. ep. 63. ad Caecilium. Si Iesus Christus ipse est* (ait) *summus sacerdos Dei Patris , et* sacrificium *Patri seipsum primus obtulit , et hoc fieri in sui commemorationem praecipit : utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur , qui id, quod Christus fecit, imitatur, et* sacrificium verum, *et* plenum *tunc offert in Ecclesia Deo Patri , si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse.* A S. Augustino *lib. 10. de Civ. Dei cap. 20.*, Christus dicitur *ipse offerens , ipse , et oblatio : cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae* sacrificium.

(6) Superius explicatam *cit. tit. VI. num. XIX.*

(7) S. Ambros. *comm. in cap. 1. Lucae. Semel* immolatus *est Christus in semetipso , et tamen quotidie* immolatur *in Sacramento* , scribit S. Prosper in *can. semel 52. de cons. dist. 2.*

XVII. Ab eodem Ambrosio, quid senserit in obiecta sententia Apostolus, audiant nunc hostes, et confundantur. *In Christo semel* (ait) *oblata est* hostia *ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem mortis eius: et una est* hostia, *non multae: quia semel oblatus est Christus. Hoc autem* sacrificium *exemplum est illius, idipsum et semper idipsum. Proinde unum est hoc* sacrificium. *Sicut enim quod ubique offertur, unum est corpus, et non multa corpora: ita et unum* sacrificium (1). Audiant et Augustinum (2). *Vocatur*, inquit, *ipsa* immolatio *carnis, quae Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate: sed significante mysterio.* Et rursus (3): *cum frangitur hostia, dum sanguis de calice funditur, quid aliud quam dominici corporis in cruce* immolatio, *eiusque sanguinis de latere effusio designatur?* Non iniuriam igitur irrogat, sed honorem maximum cruento crucis sacrificio exhibet quotidiana immolatio eucharistica, ceu verum novi Testamenti sacrificium. *Si quis ergo dixerit, in Missa non offerri Deo verum, et proprium* sacrificium, *aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Si etiam *quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi* sacrificio *in cruce peracto per Missae* sacrificium, *aut illi per hoc derogari, anathema sit* (4).

XVIII. Quia verum in Missa peragitur sacrificium: nonnisi Deo congruit illud offerri pro cultu ei debito (5). *Huic nos*, inquam cum S. Augustino (6), *quae* latria *graece dicitur, sive in quibusque Sacramentis, sive in nobis ipsis debemus.* Nec Angelis idcirco, neque Sanctis coelestibus divinum, aut adorationis, aut sacrificii honorem fas est tribuere. *Putaverunt quidam* (7) *deferendum Angelis honorem vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo, et eorum sunt admonitione prohibiti, iussique hoc ei deferre, cui uni fas esse noverunt* (8). *Imitati sunt Angelos sanctos etiam sancti homines Dei,*

(1) S. Ambros. in *epist. ab hebraeos cap. 10.*, apud Gratianum in *can. in Christo 53. de cons. dist. 2.* Consonant S. Aug. in *can. semel. 51.*, Paschasius in *can. iteratur 71.*, et S. Greg. M. in *can. quid sit sanguis 73. eadem dist. 2.*

(2) S. Aug. in *can. hoc est quod dicimus 48. eadem dist.*

(3) Idem in *can. cum frangitur 37.*, et S. Gregor. M. in *can. quid sit Sanguis 73. eadem dist. 2. de cons.* et S. Io. Chrys. supra laudatus *tit. VI. num. XXXII.*

(4) Trid. *sess. 22. can. 1., et 4.*

(5) Ex antedictis hoc eodem *tit. n. X.*

(6) S. Aug *de Civ. Dei lib. 10. cap. 3. num. 2.*

(7) Ait S. August. *eodem lib. cap. 19.*

(8) Apocalypsis *cap. 19. vers. 10. Et cecidi ante pedes eius*, nimirum Angeli, *ut adorarem eum. Et dicit mihi: vide, ne feceris, conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Iesu, Deum adora.* Huc spectat, quod scribit Lactantius *lib. 4. de vera sapientia num. 14.*, loquens de missione, ac Sacerdotio Christi. *Deus enim*, ait, *Filium suum legavit ad homines, ut eos converteret ad impiis, et vanis cultibus ad cognoscendum, et colendum Deum verum . . . ille vero exhibuit Deo fidem. Docuit enim*

Paullus, *et Barnabas* (1). Omnem hac in re adimunt errorem Tridentini Patres (2), id ubi definiunt: *Quamvis in honorem*, et memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri, *docet*, *sed Deo soli*, *qui illos coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet:* offero tibi sacrificium Petre, vel Paulle: *sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat*, *ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis*, *quorum memoriam facimus in terris.* Si autem quis dixerit cum perfidis Lutheranis, et Calvinistis *imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum*, *et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda*, *sicut Ecclesia intendit*, *anathema sit.*

XIX. *Cultum* omnium praestantissimum Deo tribui per immolationem Corporis, et Sanguinis Domini, certo certius est. Si enim quo unusquisque magis Deo adhaeret, eo ipsum perfectiori cultu veneratur, dubitari profecto non potest, quin divinus exsuperet cultus in sacrificio eucharistico, quod efficit, ut fideles omnes unum in Christo sint, ceu membra capiti suo coniuncta. Quid etenim Christus ipse Pontifex, idemque victima, dum immolatur, rogat? *Pro eis rogo*, ipsemet ait (3), *ut omnes unum sint: sicut tu Pater in me*, *et ego in te*, *ita et ipsi in nobis unum sint.* Apostolus addit (4): *Unus panis*, *unum corpus multi sumus*, *qui de uno pane participamus.* Et rursus (5): *glorificate*, *et portate Deum in corpore vestro.* Quia mutaverunt gentes *gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis*

quod unus Deus sit, *eumque solum coli oportere: nec umquam se ipse Deum dixit: quia non servasset fidem . . . Propterea quia tam fidelis extitit*, *quia sibi nihil prorsus assumpsit*, *ut mandata mittentis impleret*, *et sacerdotis perpetui dignitatem*, *et Dei nomen accepit.*

(1) Actor. *cap. 14 vers. 10.*, *et seqq.* In civitatibus Lycaoniae *turbae cum vidissent*, *quod fecerat Paullus*, *levaverunt vocem suam Lycaonice dicentes:* Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. *Et vocabant Barnabam Iovem*, *Paullum vero Mercurium: quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iovis*, *qui erat ante civitatem*, *tauros*, *et coronas ante ianuas afferens cum populis volebat sacrificare. Quod ubi audierunt Apostoli Barnabas*, *et Paullus conscissis tunicis suis exilierunt in turbas*, *clamantes*, *et dicentes:* Viri, quid haec facitis? et nos mortales sumus, similes vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum . . . *Et haec dicentes vix sedaverant turbas*, *ne sibi immolarent.*

(2) Trid. *sess. 22. cap. 3.*, *et can. 5.* Hanc ipsam fidem praedocuit S. Augustinus *lib. 8. de Civ. Dei cap. 27.*

(3) Ioann. *cap. 17. vers. 20. Idem ipse unus*, *verusque* mediator (scribit S. Aug. *lib. 4. de Trinit. cap. 14.*) *per sacrificium pacis reconcilians nos Deo*, *unum cum illo manet*, *cui offert*, *unum in se facit*, *pro quibus offert*, *unus ipse est*, *qui offert*, *et quod offertur.*

(4) I. ad Corinth. *cap. 10. vers. 17.*, et ad Roman. *cap. 12. v. 3.* S. Augustinus *lib. 10. de Civ. Dei cap. 6. Hoc est sacrificium Christianorum*, ait, *multi unum corpus in Christo. Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia.*

(5) I. ad Corinth. *cap. 6. vers. 20. Glorificate*, *dilectissimi* (resumit S. Bernardus *super psalm.* Qui habitat *serm. 8.*) *et portate interim Christum in corpore vestro*, *onus delectabile*, *suave pondus*, *sarcinam salutarem.*

hominis, *et veritatem Dei in mendacium*, *et coluerunt*, *et servierunt creaturae potius*, *quam Creatori* (1) : nos Deum vivum, et immortalem, qui praesens adest nobis in Eucharistia, colimus, et glorificamus, sicuti praedixit Isaias (2) : *Per hoc sacrificium stat Ecclesia*, docet S. Bonaventura (3), *viret*, *et viget Christiana religio*, *et divinus* cultus. *Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia*, *et quid erit in mundo*, *nisi error*, *et infidelitas?* Enimvero *nihil in sacrificiis maius esse potest*, *quam Corpus et Sanguis Christi*, *nec ulla oblatio hac potior est*, *sed haec omnes praecellit* (4). Ad hanc benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque (5) hostiam divina maiestas respicit lubentissime.

XX. Dicendum superest, quod *propitiationem* Dei pariat haec immolatio. Quidni? *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*, scribit Ioannes (6), *et ipse est* propitiatio *pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum*, *sed etiam pro totius mundi..... Societatem habemus ad invicem*, *et Sanguis Iesu Christi filii eius emundat nos ab omni peccato. Omnis namque Pontifex*, ratiocinatur Paullus (7), *ex hominibus assumptus*, *pro hominibus constituitur in iis*, *quae sunt ad Deum*, *ut offerat dona*, *et sacrificia pro peccatis . . . . et propterea debet*, *quemadmodum pro populo*, *ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis. Non quisquam sumit sibi honorem : sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit*, *ut Pontifex fieret.* Idemque rursus inquit (8) : *quem proposuit Deus* propitiationem *per fidem in Sanguine ipsius.* Quid potest apertius ex divinis Scripturae oraculis proferri? Si antiqui Testamenti sacrificia Deum propitiabant (9): undenam Lutherani audent huic nostro novi testamenti sacrificio negare propitiationem? *Panis propositionis*, tradit Origenes (10), *eum significat*,

(1) Ad Roman. *vers. 1. cap. 23.*, *et seq.*

(2) Isaiae *cap. 52. vers. 5.*, *et 6. Iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa : quia ego ipse*, *qui loquebar*, *ecce adsum.* Memorat hunc locum Apostolus ad Roman. *cap. 2. vers. 24.*

(3) S. Bonavent. *tit. VII. de praepar. ad Miss. cap. 2.*

(4) *Can. nihil 8. de cons. dist. 2.*, ex ante siriciana epistola Alexandri Papae, cui consonat S. Gregorius in *can. multi saecularium 84. C. 1. qu. 1.*

(5) Ista verba exponens Paschasius in *can. utrum sub figura 72. de cons. dist. 2.* inquit : Benedictam, *per quam nos benedicamur*, adscriptam, *per quam omnes in coelo adscribamur*, ratam, *per quam in viscera Christi esse censeamur*, rationabilem, *per quam bestiali sensu exuamur;* acceptabilem, *ut qui nobis ipsis Deo displicuimus*, *per hanc acceptabiles cum eius unico Filio simus.*

(6) *Ep. 1.* Ioann. *cap. 2.*, *et cap. 4. vers. 11.*

(7) *Ep.* ad Hebraeos *cap. 5.*

(8) Ad Romanos *cap. 3. vers. 25.*

(9) Levitici *cap. 17. vers. 11. Ego dedi... pro animae piaculo sit* Ibidem *cap. 4. vers. 26. Offerat sacrificium*, *et orabit sacerdos pro peccato eius*, *et dimittetur. 2.* Reg. *cap. 24. vers. ult.* David *obtulit holocausta*, *et pacifica*, *et* propitiatus *est Dominus.*

(10) Origen. *hom. 13. in Levit.*

quem proposuit Deus propitiationem *in sanguine eius: et si respicias ad illam commemorationem , de qua dicit Dominus* , hoc facite in meam commemorationem , *invenies , quod ista est commemoratio sola , quae* propitium *faciat hominibus Deum.* Quare ut Synodus Tridentina declarat (1) , *non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis , satisfactionibus , et aliis necessitatibus, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis. rite iuxta Apostolorum traditionem offertur.* Mox , *si quis dixerit , Missae sacrificium tantum esse laudis , et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti. non autem* propitiatorium, *vel soli prodesse sumenti , neque pro vivis , et defunctis , pro peccatis , poenis, satisfactionibus , et aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

XXI. Huius dogmatis veritatem comprobat apostolicam *liturgiae*, et *litandi* vocabulum, quod idem sonat, ac *sacris* Deum *propitiare* (2). Graecus textus Actorum (3) habet: λειτουργούντων δε αυτῶν τῷ Κυρίῳ, idest *litantibus illis Domino:* tametsi nos in Vulgata legimus verbum *ministrantibus* pro *litantibus.* Quod plane indicat Apostolos per sacrificium novi Testamenti propitiatorium Deo litasse.

XXII. Primum Missae sacrificium a divo Petro (4) cum reliquis Apostolis in coenaculo hierosolymitano die Pentecostes concelebratum verosimilibus , quam antea, putemus. Nam textus Actorum eos *omnes* inibi *perseverantes unanimiter in* oratione *cum mulieribus , et Maria matre Iesu , et fratribus eius* (5) ante Pentecostem fuisse describit. Postea repletos Spiritu sancto , et variis linguis eloquentes quum religiosi viri diversarum nationum, qui in coenaculum convenerant, audissent, receptoque Petri sermone baptizati essent *in die illa circiter tria millia :* enarrat continuo, quod *erant perseverantes in doctrina Apostolorum , et communicatione* fractionis panis , *et orationibus* (6). Exinde Apostoli sacrum eiusmodi facere non sine pompa solemni consueverunt, saepe convenientibus in unum novis cuiusque loci fidelibus. Troade in Graecia *una sabbati cum convenissemus ad frangendum*

(1) Trid. *sess. 22. cap. 2., et can. 3.*

(2) Huc spectat illud Virgilii *Æneid. 4. Tu modo posce Deos veniam* , sacrisque litatis *indulge hospitio.* Livius *lib. 5. cap. . . Nec auspicato, nec* litato *instruunt aciem.* Et Svetonius *in Caesare: pluribus hostiis caesis quum* litare *non posset , introiit Curiam : nam et victimas caesas Diti patri* litavit.

(3) Actor. *cap. 13. vers. 2.*

(4) Asterius Amasenus *hom. in Princip. Apost.* inquit: *sicut Petrus primus omnium gentibus, ac Israelitis tamquam Episcopus , et pastor omnium praedicavit: ita credendum eum primum sacrificium obtulisse.* Consonat Demochares *to. 2. de Missa cap. 5.* Quidquid aliter senserit de Iacobo fratre Domini Genebrardus *lib. de Apostol. liturgia.*

(5) Actor. *cap. 1. vers. 14.*

(6) Ibidem *cap. 2. vers. 1. usque ad 42.* Hesichius in *cap. 9. Levitici* scribit sacrificium Christi innotuisse primum , *ex quo Spiritus adveniens Parthos , et Medos , et Elamitas, et omnium gentium primitias ad Apostolorum coenaculi superiora collegit.* In eadem est sententia Paschasius *lib. de Corp. et Sang. Dom. cap. 21.*, et Card. Bona *rer. liturgic. lib. 1. cap. 5. n. 1.*

panem . scribit Lucas (1) , *Paulus disputans cum eis profecturus in crastinum , protraxit sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lampades copiosae in caenaculo , ubi eramus congregati.* Simul Paulus ad Corinthios scribit de convenientibus in unum ad dominicam coenam (2). Mox ad Timotheum , *obsecro* , inquit , *fieri obsecrationes , orationes , postulationes , gratiarum actiones* (3). Hisce verbis adiunctos Missae ritus Apostolum innuisse, quos eo ex tempore frequentavit Ecclesia , observat scitissime S. Augustinus (4). Insaniunt igitur, qui negant ex apostolica disciplina promanasse multiplices Missarum coeremonias (5).

XXIII. Sola panis , et vini *consecratione* constare integrum Missae sacrificium rectius cum divo Thoma (6) tenent cordatiores Theologi , quam qui et *oblationem . et sumptionem* Corporis , et Sanguinis Domini pertinere ad eius substantiam opinantur. Enimvero *vox illa,* hoc est Corpus meum , *usque ad Christi adventum praestat* sacrificio *firmitatem* , inquam cum divo Chrysostomo (7). Si quotidianum Eucharistiae sacrificium unum , idemque est cum eo ipso , quod semel incruentum in nocte coenae , cruentumque in ara crucis Christus Do-

(1) Actor. *cap. 20. vers. 7., et 8.*

(2) I. ad Corinth. *cap. 11.*

(3) I. ad Timoth. *cap. 2.*

(4) S. Aug. *ep. 59. ad Paulinum qu. 5. Eligo in his verbis* , ait , *hoc intelligere , quod omnis , vel pene omnis frequentat Ecclesia , ut* precationes *accipimus dictas , quas facimus in celebratione Sacramentorum , antequam illud , quod est in Domini mensa , incipiat benedici :* orationes, *cum benedicitur , et sanctificatur , et ad distribuendum comminuitur , quam totam* petitionem *fere omnis Ecclesia* dominica oratione *concludit.* Interpellationes *autem , sive , ut nostri codices habent* , postulationes *fiunt , cum populus benedicitur. Tunc enim Antistites, veluti advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordiae afferunt pietati. Quibus peractis, et participato tanto Sacramento* , gratiarum actio *cuncta concludit.* Contestes ea in re sunt S. Iustinus *apolog. 2.* prope *finem* , Tertullianus *de praescript. cap. 36.* Videsis dicta superius *tit. III. num. XXI.*

(5) Eos damnavit Synodus Tridentina *sess. 22. can. 7., et cap. 5.*, apostolicam traditionem sequuta. Sane S. Iraeneus Polycarpi discipulus *lib. 4. cap. 32., Novi testamenti,* ait de Christo Domino, *novam docuit oblationem, quam Ecclesia* ab Apostolis *accipiens in universo mundo offert Deo.* S. Iustinus *cit. apolog. 2.*, hac ipsa de re loquens , *nam Apostoli* , inquit , *in commentariis a se scriptis , quae Evangelia vocantur , ita tradiderunt praecepisse sibi Iesum.* S. Epiphanius *haer. 79.*, Apostolos omnes fuisse contestatur primarios sacrificii eucharistici, eiusque mysteriorum institutores, scribens: *Petrus, et Andreas , Iacobus, et Ioannes. . . . hi omnes electi sunt Apostoli per orbem administrantes sacram Evangelii functionem, cum Paulo, et Barnaba, ac reliquis , et* mysteriorum institutores *cum Iacobo fratre Domini , et primo Hierosolymorum Episcopo.*

(6) S. Thom. *par. 3. qu. 12. art. 10. resp. ad 1. Hoc sacramentum* , ait , *perficitur in* consecratione *Eucharistiae, in qua* sacrificium *Deo offertur.* Consonant S. Basil. in *can. ecclesiasticarum 5. dist. 11.*, et S. Aug. cum Paschasio *in can. utrum sub figura 72. de cons. dist. 2.*

(7) S. Io. Chrys. *hom. de prodit. Iudae* , supra laudatus *tit. VI. num. VI.* Concinit S. Irenaeus *lib. 4. contra haereses cap. 23.*

minus immolavit (1) : fateamur necesse est, quod Sacerdotes istud in persona (2) Christi tunc sane perficiant sola consecratione, quum divina ipsiusmet aeterni Sacerdotis verba, quibus vertendi panem, vinumque in Corpus, et Sanguinem eius vis est, proferuntur, Deoque Patri mortuum sic se ipsemet Christus ministerio Sacerdotis repraesentat, et reipsa offert immolatum (3). *Per hoc* Christus Iesus, ait S. Augustinus (4), *et sacerdos est ipse offerens, ipse et oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae Sacrificium.* Quae igitur Sacramentum perficit consecratio, ea et Sacrificium perfici, ex Augustini quoque sententia probe adstruitur, docentis utrumque unum, idemque esse.

XXIV. Quam vero, peracta consecratione, *oblationem* non in persona Christi, sed in sua ipsorum, plebisque fidelis humano sermone pronunciant Sacerdotes, iam liquet, cur ea divini sacrificii pars ad essentiam non pertineat. Quemadmodum et *sumptio*, seu communio quum celebrantis, tum populi. Haec enim non aliud quum sit, nisi rei immolatae *participatio* (5) : fit exinde, ut sacrificium iam antea perfectum ponamus. Itaque praeter consecrationem *reliqua omnia*, addam cum Augustino (6), *quae Sacerdos dicit, aut Clerus chori cantant, nihil aliud, quam laudes, et gratiarum actiones sunt, aut certe obsecrationes, et fidelium petitiones.*

XXV. Multa quidem ab Apostolis usurpata, et tradita, alia ab antiquis Patribus, et Pontificibus superaddita in celebratione Missae recitant Sacerdotes quum Latini, tum Graeci, aliarumque Nationum, servatis Ecclesiae quisque suae ritibus consuetis. *Quum sacras illas coenas accipiebant Apostoli*, scribit B. Chrysostomus (7), *quid tum faciebant? nonne in preces convertebantur, et hymnos? nonne in sanctas vigilias? nonne in longam illam doctrinam, et multae philosophiae plenam?* Plane ordinem Missae Romanae, puta *canonem* semper immotum stetisse ex apostolica traditione testatur Vigilius Papa (8). *Introitum* vero a Coelestino Papa, *hymnum angelicum*, seu *doxologiam*

(1) Ex paullo ante dictis *hoc tit. num. XII.*, *et XVII.*

(2) Ex traditis *tit. X. num. XVII.*, *et XIX.*

(3) Videsis dicta superius *num. XVI.*

(4) S. August. *de civ. Dei lib. 10. cap. 20.*, et S. Hieron. *in can. sacerdos 8q. de cons. dist. 2.*

(5) I. ad Corinth. 11. *v. 13. Nonne qui edunt hostias*, participes *sunt altaris?* Vide *can. relatum 11. de consecr. dist. 2.*

(6) S. Aug. in *cit. can. utrum sub figura 72. de cons. dist. 2.*

(7) B. Chrys. *hom. 27. in ep. 1. ad Corinth.* Illud Apost. ad Corinthios: *cetera cum venero disponam:* explicans S. Augustinus *ep. 118. ad Ianuar.* ait: *Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epistola totum illum* agendi ordinem, *quem universa per orbem servat Ecclesia, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diversitate variatur.*

(8) Vigilius *ep. ad Eutherium* ait: *Ordinem precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum : sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quapropter ipsius canonicae precis textum direximus subter adiectum, quem Deo propitio ex apostolica traditione suscepimus.* Consonant Patres Trid. *sess. 22. cap. 4.*

a Telesphoro, vel Symmacho, vel B. Hilario Pictaviensi, *Graduale responsorium* a Coelestino, vel Gregorio M., *symbolum Apostolorum* vel a Marco Sylvestri successore, vel S. Damaso, mox in fine *S. Ioannis Evangelium* a S. Pio V., ab aliis alia superaddita feruntur (1). Usum praeterea vetustiorem, formulis licet diversis (2), habent in cunctis fere Ecclesiis lectiones Epistolarum, Evangeliorumque, offertorium, praefatio, hymnus seraphicus, seu trisagion, dypticha, seu commemoratio qua vivorum, qua mortuorum fidelium, nominumque eorumdem recitatio, hostiae, et calicis elevatio, oratio dominica, fracta ex hostia particulae in calicem demissio, elogium Praecursoris, preces quum ante, tum post communionem, ablutio, et gratiarum actio, dimissio populi, et benedictio (3). *Omnia secundum ordinem fiant in vobis*, ait Apostolus (4). Quae verba Suarez (5) explicans docet, adactam fuisse Ecclesiam ad constituendum ordinem stabilem circa res etiam minutissimas ad ritum administrandi Sacramenta, et Missae celebrandae spectantes : *et ideo oportet*, ait, *in his omnibus etiam minutissimis certum ordinem ab Ecclesia constitui. Si namque cuiusque arbitrio id fuisset relictum, multa indecore, et imprudenter fierent. Quid quod eadem apud omnes rituum ratio, et Ecclesiae unitatem commendet, et intentam Pastorum solicitudinem ? Haec uniformitas, quae in his omnibus servatur, ad splendorem officii ecclesiastici spectat, et unitatem Ecclesiae commendat, et Pastorum eius curam, et sollicitudinem.*

XXVI. Sunt qui superesse adhuc putant genuinas Apostolorum liturgias. Unam divi Petri edidit graece, et latine Guillelmus Lindanus ex ms. codice Cardinalis Sirleti in Apulia superiori saeculo inventam. Suam Æthiopes a divo Matthaeo, Alexandrini a divo Marco accepisse gloriantur, et hanc quoque Sirletus promit ex vetusto codice monasterii Rossanensis in Calabria ordinis divi Basilii. Aliam S. Iacobo inscriptam habet Leo Allatius. Duas duodecim Apostolis vindicant Orientales, iisque tertiam addit auctor constitutionum vulgo apostolicarum, aliam S. Dionysius Areopagita divi Pauli discipulus (6). At eas alii doctiores negant omnino (salva ipsarum substantia uniformi) esse puras Apostolorum Missas, quod multa singulae contineant aevo apostolico haud congruentia.

XXVII. Prisca Episcoporum libertate factum est, ut Missalia ferme innumera, aliud ab alio discrepans, adhiberentur olim in unius, eius-

(1) Walfridus Strabo *de reb. Eccles. cap. 22.*. Amalarius *lib. 3. cap. 5.*, Alcuin. *cap. 40.*, Innoc. III. *lib. 2. de Myster. Miss.*

(2) S. Isidorus *lib. 1. de eccles. offic. cap. 15. Ordo Missae*, ait, *vel orationum, quibus oblata Deo sacrificia consecrantur ; primum a S. Petro est institutus, cuius celebrationem non uno, eodemque modo universus peragit orbis.* Huc spectant dicta superius *tit. III. num. XXI., et seq.*

(3) De his uberrime Card. Bona toto *lib. 2. rerum liturgicarum.*

(4) I. ad Corinthios *cap. 14. vers. 40., et ult.*

(5) Suarez *to. 3. in par. 3. D. Thom. qu. 83. art. 5. disp. 84. sect. 1.*

(6) S. Dionysius, seu rectius auctor incertus *lib. de eccles. hierarch. cap. 3.*

demque nationis Ecclesiis. Mox ad unam, quoad fieri potuit, formam redigere ita sategit novis sanctionibus Romana Sedes, ut omnes latini ritus Ecclesiae Romano solum Missale (1) uterentur: praeterquam Mediolanenses, quibus pervetustum Ambrosianae liturgiae usum adhuc indulget (2). Praeterea Collegio sacelli Toletani, nonnullisque Toleti Parochiis, et Salmanticae sacello Talabricensi Mozarabicos ritus adhuc permittit (3). Graecam vero liturgiam a SS. Basilio, et Chrysostomo cum primis compositam, auctamque subsecutis temporibus; simul Syriacam, seu Chaldaicam, et Cophtam, et Illyricam, seu Sclavonicam (4) pro moribus regionum usitatas non improbat, dummodo prava schismaticorum, haereticorumque additamenta sint indidem deleta (5).

XXVIII. Inspectis quae adsunt personis Missa, olim bipartiebatur. Prior sane pars ab introitu usque ad Evangelium, quum catechumeni una cum fidelibus adessent, iique post Evangelium dimitterentur (6),

(1) Quod S. Pius V. primum (sicut decreverat Syn. Trid. *sess. 25. de indice librorum*, *Catechismo*. *Breviario*, *et Missali*) emendatum evulgavit, recudendumque salegerunt curatius Clemens VIII., et Urbanus VIII.

(2) Eam describit Card. Bona *lib. 1. rer. liturg. cap. 10.* V.d. Lud. Ant. Murator. *to. 3. dissert. 173.*

(3) De quibus Alvarus Gomesius *lib. 2. de rebus gestis Card. Ximenii*; Card. Bona *loc. cit. cap. 11.*, et superius dicta *tit. III. n. XXXI.*

(4) Lingua Illyrica Ruthenos, seu Moscovitas sacra Graeco ritu facere, Istros autem, Liburnos, et Dalmatas ritu Latino, monet *cit.* Bona *eodem lib. cap. 9. num. 4.* Additque Moravis indulsisse Ioannem VIII. Papam an. 880. *ep. 245.* ad Moraviae Comitem usum linguae Sclavonicae in Missis celebrandis. Id autem Bohemis denegavit Gregorius VI. *lib. 7. ep. 11.* ad Uratislaum Bohemiae Ducem. Missale Cophticum, Illyricum, Maronitarum, cetera, quae nonnulli malitia corruperant, et emendari, et recudi curasse Pontifices Romanos monet Benedictus XIV. *const. 47. §. 18.* Bullarii sui *to. 4.*

(5) Sacra universalis inquisitionis Congregatio litteris die 22. Septembris a Card. Spada Praefecto ad Card. Franc. Pignatellium Arch. Neap. datis iussit, ut libros Graecorum liturgicos revideret, eosque correcturus, primum inquireret, an deleta sint ex Triodo in Dominica I. quadragesimae in orthodoxia commemoratio Photii schismaticorum principis, et Gregorii Palamae haeretici iam damnati. 2. in eadem Dominica synaxodion, quod Palamam ipsum supra ceteros Patres omnes collaudat. 3. in feria V. coenae Domini, quae solent contra panes azimos proferri. 4. ex feria secunda post Pentecosten illud *solum ex Patre procedit.* 5. ex feria VI. bacchanalium in commemoratione defunctorum fabula liberatae ab inferis animae Traiani. Videsis hasce litteras in appendice Synodi Dioec. Neap. Card. Pignatelli *num. 1.*

(6) Conc. Carth. IV. in *can. 67. de cons. dist. 1.* decrevit, *ut Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, et audire verbum Dei, sive gentilem, sive haereticum, sive Iudaeum, usque ad* Missam catechumenorum. Conc. Valentinum in Hisp. *cap. 1.* idipsum iussit. Eamdem superioribus saeculis disciplinam viguisse innuit Tertullianus *de praescript. haereticor. cap. 41.*, scribens: *Quis catechumenus, quis fidelis, incertum est: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant.* Apertius S. Athanasius *apol. 2. Si catechumeni intus erant, ergo non est celebrata oblatio.* S. Basilius *de Spir. Sancto ad Amphiloch. cap. 27. Quae nec intueri fas est non initiatis.* S. Ambrosius *lib. 1. offic. cap. 50. Non omnes vident alta mysteriorum, quia operiuntur, a Levitis, ne videant qui videre non debent.* S. August. *in psalm. 33. Non-*

Missa catechumenorum dicta idcirco est: reliqua pars a symbolo usque ad finem, *Missa fidelium* dumtaxat. Missas hinc festo die totas audire populo fideli praecipit Synodus Agathensis (1), nec licere ante benedictionem sacerdotis discedere. Cum itaque benedictio ad Missae complementum pertineat, praepropere discedentes, praecepto videntur non satisfacere: reiecta sententia opinantium ad id solam sufficere praesentiam consecrationi, oblationi, et sumptioni, quibus sacrificii essentia constat.

XXIX. Rursus Missa *pubblica*, et *solemnis a privata* distinguitur. Quae Clero, populoque frequente, ac communicante concelebratur, *publica* quidem est: quam *solemnem* quoque tunc dicimus, ubi et cantus chori, et ministrorum adsistentia, et apparatus pompa simul adiiciuntur. Eamque veteres *collectam*, et *synaxim* ideo appellabant, quod multitudo fidelium colligeretur ad offerendum una, et communicandum (2). *Conventualem* nunc eiusmodi Missam fere nuncupant, quae in singulis Cathedralibus, et Collegiatis, et conventualibus Ecclesiis est quotidie pro benefactoribus universis celebranda (3), praeter alias, quae privatim inibi offeruntur a Latinis presbyteris. *Parochialis* quoque Missa, quam singuli curam animarum habentes omnino debent pro *populo* suo quotidie, vel festis saltem diebus offerre (4), *publica* dicitur: eam ut a privatis sacrificiis, quae pro quovis privato benefactore fiunt, distinguamus.

XXX. In parochialibus vero Graecorum Ecclesiis unam in die Missam celebrandi (5) mos viget antiquissimus (6), scilicet publicam, et conventualem. Italo autem Graecis indulsit Benedictus XIV. graecum ea in re morem servare, interdicens Latinis presbyteris Missas, aliaque divina officia in altaribus Graecorum Ecclesiarum maioribus peragere: nisi necessitas, aliis aris, Ecclesiisque deficientibus, urgeat, quibus

dum erat sacrificium, quod fideles *norunt.* Idemque *serm. 237. de tempore.* Ecce post sermonem fit *Missa catechumenis, manebunt fideles, venietur ad locum orationis.*

(1) Syn. Agathens. an. 506. in *can. Missas 64. de cons. dist. 1.*

(2) S. Augustinus in *breviculo collat. diei tertiae* sic distinguit *Collectam* a *Dominico*, veluti speciem a genere, ut nos *publicam*, solemnemque *Missam* a sacrificio.

(3) *Cap. cum creatura 11. de celebrat. Missar.*, ubi Honorius III. universis Ecclesiarum Praelatis praecipit, ut *et pro anniversariis defunctorum, et pro festo, vel feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia conventualiter* celebrentur. Benedictus XIV. in *const. cum semper 103. to. 1.* Bullar. celebrationem Missae conventualis pro benefactoribus generatim applicandae, non speciatim, reprobata quavis contraria consuetudine iubet. Consonat Neap. Syn. Prov. Card. Cantelmi *tit. II. cap. 2. n. 15.*

(4) Ex Bened. XIV. *cit. const. cum semper*, de qua dictum superiori *lib. 1. tit. XXX. de Parochis num. IX.*

(5) Id quod comprobant. Leo X. in Breve sub annulo Piscatoris dato die 18. Maii 1521., et Clemens VII. in altero Breve die 26. Martii 1526., presbyteris Latinis vetantes ad illas celebrandum accedere, aliamque aram inibi erigere.

(6) Bellot. *de ritib. Laudun. Eccl. par. 3. num. 9. pag. 136.* Quartus *ad rubr. Missalis pag. 386.*, Benedict. XIV. *in const. exemplis 48. to. 2.* Bull.

suum nequeat Parochus graecus consensum hunc denegare. Simul annuit, ut minora etiam altaria in Italo-graecis Ecclesiis erigantur, ubi et Graeci, et Latini suo quisque ritu sacra faciant (1). At Graecis Melchitis, et Patriarchae Antiocheno rescripsit idem Pontifex, fore nil innovandum in eo, quod rescripsit Missae sacrificium, nonnisi unicum in singulos dies super quolibet altari ex vetusta Graecorum disciplina offerendum in Ecclesiis quoque Libani, et Antilibani: posse tamen eos altaria minora ex decreto Congregationis propagandae Fidei erigere, et ubi altarium numerus celebrantium, offerentiumque multitudini non respondeat, pluribus licere sacerdotibus, vigente consuetudine, super eodem altare una cum Episcopo, aliove primario sacrificante concelebrare, more celebrantium indutis, totamque liturgiam insimul recitantibus (2). Mos huiusmodi concelebrationis in Latina Ecclesia olim usitatae (3), iamdiu prorsus exolevit: vix enim in consecrandis Episcopis, ordinandisque sacerdotibus nunc ea servatur.

XXXI. *Privatas* quoque Missas in utraque olim Ecclesia Graeca, et Latina offerri consuevisse compertum est ex antiquis Patrum monimentis. *Si colligere interdiu non potes*, scribit Tertullianus (4), *habes noctem. Non potes discurrere per singulos, sit tibi, et in tribus Ecclesia.* S. Cyprianus (5) Clerum suum hortatus est, ut presbyteri carceres martyrum visitaturi non turmatim, sed singuli cum singulis diaconis alternarent. S. Lucianum martyrem, rogantibus discipulis, in carcere sacrum fecisse, suumque pectus pro mensa deficiente subrogasse, tradit Metaphrastes (6). S. Paulinus Nolanus moribundus in ara ante lectulum parata sacrificavit (7). S. Ambrosio in domo paralyticae sacrificium offerente, mulier illa osculatis sancti viri vestibus, sanata est (8). Fert S. Augustinus liberatam a vexationibus doemoniacis domum cuiusdam Hesperii, statim ac in ea fuit ab uno ex suis presbyteris peractum sacrificium (9). Ad Graecos quod attinet: S. Gregorius Nazianzenus patrem suum Gregorium seniorem Nazianzenum Episcopum suo in cubiculo sacrificasse, suaeque sorori Gorgoniae domesticam fuisse aram enarrat (10). B. Chrysostomus quotidianam oblationem aevo

(1) Bened. XIV. const. *etsi pastoralis 57. §. 8.*, *et 9. de dogmatib.*, *et ritib. Italo-Graec.* die 26 Maii 1742. *to. 1.* Bullarii.

(2) Idem const. *demandatam 87. §. 8. et 9. eodem to. 1.* Bull.

(3) Id quod multis ostendit Christianus Lupus *in append. ad Syn. Chalcedonens. to. 1.* Georgius *to. 2. liturgiae pontificiae pag. 1., et seq.*, *et to. 3. pag. 1., et seq.*: et Bened. XIV. *const. certiores 64. §. 5. to. 1.* Bull. et *const. allatae sunt 4. §. 38. to. 4.* Bullar. Inn. III. *lib. 4. de myst. Miss. cap. 25.* describit Romanum Pontificem cum presbyteris Cardinalibus concelebrantem.

(4) Tertull. *lib. de fuga in persecut. cap. 14.*

(5) S. Cyprian. *ep. 5.*

(6) Metaphrast. *in vita S. Luciani*, Philostorgius *lib. 2. hist. eccl. cap. 14.*, et Nicephor. *lib. 1. cap. 31.*

(7) Uranius *in vita S. Paulini.*

(8) Paulinus presbyter in *vita S. Ambrosii.*

(9) S. Aug. *lib. 22. de Civ. Dei cap. 8.*

(10) S. Greg. Nazian. *orat. 19.* in laudem patris, et *encomio* Gorgoniae sororis.

suo consuetam tradit (1). Idemque privata Oratoria quammaxime commendavit (2). Theodoretus Cyri Episcopus Marium quemdam in carcere visitans, ut eius precibus indulgeret, divinum inibi sacrificium obtulit, diaconorum manibus utens pro ara (4). Concilio etiam Trullano (3) comprobatur privatae Missae usus in Orientali Ecclesia. Sic affatim refelluntur Lutherani Missae privatae hostes, eam antiquis ignotam venditantes (5). Propterea Synodus Tridentina (6) *Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat*, ut privatas, *et illicitas non damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.*

XXXII. Quemadmodum pro Missis *publicis*, *et conventualibus* qui altari serviunt, de communibus fidelium oblationibus, Ecclesiaeve redditibus participant: ita pro Missa qualibet *privata* peculiarem eleemosynam, vel beneficii, et capellaniae fructus celebrans probe accipit ad necessariam sui sustentationem. Singuli olim fideles ad divina sacrificia convenientes, non modo panem, vinumque ad altare offerebant, cuius pars mox consecranda iis ipsis distribueretur (7), reliquum sacris ministris segregatum cederet (8): sed alias etiam res consueverunt pro necessariis, et sacerdotum, et diaconorum, clericorumque alimentis adferre (9), pecuniam quoque in gazophylacium depone-

(1) S. Chrysost. *hom. 3. in ep. ad Ephes.*, *et hom. 17. in ep. ad hebraeos*, et in cap. 1. *ep. ad Titum.*

(2) Idem *hom. 18. in Act. Ap.*

(3) Theodoretus ipse *lib. hist. religiosae cap. 20.*

(4) Conc. Trullan. an. 692. *can. 31.*, ibique Theodorus Balsamon *in notis.*

(5) Vid. Schelstrat. *de Missis privatis in Ecclesia Graeca cap. 1.* circa finem, ubi recensentur *acta Ecclesiae Orientalis contra Lutheranos*, eorumque confessionem augustanam.

(6) Trid. *sess. 22. de sacrif. Missae cap. 6., et can. 8. Si quis* autem *dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.*

(7) S. Cyprian. *lib. de operib., et eleemos. Locuples, et dives es*, ait, *et Dominicum celebrare te credis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* S. August. *serm. 215. de tempore: Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.* Synodus Matisconensis II. an. 585. *can. 4.* decrevit, *ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, et mulieribus offeratur tam panis, quam vini:* inobedientes anathemate percellantur. S. Greg. VII. in Syn. Rom. an. 1078., in *can. omnis 69. de cons. dist. 1. Omnis christianus procuret ad Missarum solemnia aliquid Deo offerre.* Mediolanensis Ecclesia metropolitana morem adhuc servat antiquum. Nam celebrans in solemni Missa accipit oblationes trium hostiarum, et vasculi argentei vino albo pleni, quum a duobus scholae Ambrosianae senibus, tum a duabus mulierum senioribus, albo linteo, nigroque caputio utrisque indutis. Bona *lib. 1. rer. liturg. cap. 10. in fine.*

(8) Christianus Lupus *dissert. 2. prooem. ad decret., et can. Concil. to. 3.*

(9) *Can. 4.* vulgo Apostolorum. *Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre, praeter novas spicas, et uvas, et oleum ad luminaria, et thymiama*

re (1). Intermissis postea sensim eiusmodi oblationibus suffecti communes sunt redditus Ecclesiarum, unde alimenta, et praebendas Canonicorum Capitula, et collegia sacerdotum, conventusque Regularium habent.

XXXIII. Quo autem tempore mos privatae Missarum eleemosynae incoeperit, satis non liquet (2). Ipsis eum privatis Missis coaevum, uti accessorium puto. Quoniam porro sanctissimi, qui saeculo IV. floruerunt Episcopi (3), sua ipsorum aetate vigentem privatae quoque Missae consuetudinem contestantur: consequens est Gorgoniam ex. gr. Nazianzenam sacerdoti in domestico eius altare celebranti alimenta, oblationesque ultro suppeditasse, sicuti et Hesperium presbytero illi, quem S. Augustinus commemorat. Sed apertius id aio probatum a divo Chrysostomo (4), utpote qui locupletes viros ad privata suis in domibus, villisque oratoria aedificanda cohortans, *educa*, inquit, *magistrum*, *educa diaconum*, *et sacerdotalem ordinem : quasi ducta uxore, dotem adscribe . . . . Parum ne est . . . simul prudentem habere sacerdotem, simul habere conversantem?* Processu temporum sicuti una cum privatis occidentalium Missis, quarum numerus in diem longe percrebuit octavo abhinc saeculo (5), privatae coaluere oblationes eleemosynarum, ita ex earum paucitate primum, communi dein desuetudine apud orientales hae simul defecerunt.

XXXIV. Occidentalem hanc disciplinam obtrectare quum dissentientes Graeci, tum sectarii recentiores non dubitarunt: quam utique turpis quaestus, et avaritia improborum foedabat multis suffulta errori-

tempore, quo sancta celebratur oblatio. Omnis autem alius fructus domum mittatur primitiae Episcopo, et presbyteris. Clarum autem est, quod Episcopus, et presbyteri diaconis, et clericis distribuunt. Eumdem morem multiplicis oblationis tradunt Reginon *lib. 1. de eccles. discipl.* Martene *de antiqu. Eccl. ritib. lib. 1. cap. 4. art. 6. to. 1.*, Thomassinus *par. 3. de vet., et nov. Eccl. discipl. lib. 1. cap. 7.*

(1) Tertullian. *in apolog. cap. 39. Si quid arcae genus est . . . modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit : nam nemo compellitur, sed sponte confert.* S. Iustinus *apol. 1. num. 67. Qui abundant, et volunt, suo arbitrio quod quisque vult, largiuntur, et quod colligitur, apud eum, qui praeest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis, et viduis, et iis, qui vel ob morbum, vel aliam ob causam egent.* Gazophylacii testes etiam sunt SS. Paulinus *ep. 34.*, et August. *serm. 356. n. 13.*

(2) Mabillonius in *praef. ad par. 1. Benedictini saec. III. num. 62.* huiusce moris initium saeculo VIII. attribuit, antiquius fuisse putat P. Franciscus Berlendi Theatinus in *dissert. de oblationibus par. 2. §. 2.*

(3) Iam supra laudati *num. XXXI.*

(4) Chrysost. *hom. 18. in Act. Apost.*

(5) In *can. et hoc 52. de cons. dist. 1.* habetur. *Missae* peculiares, *quae per dies solemnes a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus a* publicis *Missarum solemnibus, quae hora tertia canonice fiunt, abstrahatur.* Canonem hunc Gratianus Augustino, alias Gregorio inscribit prorsus inconsulto, quippe qui ab utriusque stylo dissonat, et voluminibus abest. Romani Correctores hunc ipsum vindicant Theodulpho Episcopo Aurelianensi, qui anno 797. *capitula ad presbyteros* parochiae suae edixit, moresque aevi sui sequiores studuit ibi reformare.

bus (1). At Romana Ecclesia rectum a deflexo distinguens probas oblationes peculiarium sacrificiorum privatis pro benefactoribus tutatur contra hostes (2) improbas, et erroneas quaquaversus profligat.

XXXV. Itaque docet cum divo Thoma (3) contra Wicleffitas, et Lutheranos, quod privatim celebrans *sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiae; hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suae sustentationis.* Qui unus altari servit, ut alicuius indulgeat devotioni, nonne iure accipiat sibi sponte oblatam laboris mercedem, partem cum inservientibus communi altari nullam habiturus? Apostolus quod non distinxit privatum a publico, et communi, sine ullo discrimine, inquiens: *qui altari servit, de altari vivere debet*, id nefas est distinguere.

XXXVI. Infinita quamvis certe sit virtus eucharistici sacrificii, quia divina: effectus tamen limitatos ex eo quisque hominum pro captu suo nanciscitur. Hinc triplex Missae *fructus*, *generalis*, *specialis*, et *specialissimus*. Quoniam unum totius Ecclesiae corpus hoc sacrificio Christus ipse confovet potissimum (4): fieri non potest, quin istud, quoties vel privatim offeratur, *fructum* toties *generalem* Ecclesiae universae proficuum effundat. Missas privatas idcirco esse *vere communes*, docet Synodus Tridentina optans, *ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret* (5). *Specialis* uberior fructus eis utique suf-

(1) Eos praecipue refellunt Concilia Toletanum XII. *can. 5.*, et Toletanum XVII. *can. 5.*, Baronius *ad annum 694. n. 9.* Abbas Walafridus Strabo, qui IX. saeculo floruit, *lib. de offic. divin.*, sive *de exord. increm. rer. ecclesiast. cap. 22.* S. Bernardus *in psalm. 90.* deploravit *ipsa quoque ecclesiasticae dignitatis officia in turpem quaestum, et tenebrarum negotium transire . . . propter hoc frequentant Ecclesias, Missas celebrant.* Praecipuos errorum eiusmodi ab Ecclesia profligatos dicam inferius *num. XXXVII.*

(2) Eam Wicleffi propositionem 19: *Speciales orationes applicatae uni personae per Praelatos, vel Religiosos, non plus prosunt eidem, quam generales*, damnavit Concilium Constantiense.

(3) S. Thom. *2. 2. qu. 100. art. 2. ad 2.*, et *in 4. dist. 25. qu. 3. quaestiunc. 1. ad 4.* Adstipulatur Gersonius *in opusc. de solicitud. ecclesiast. to. 2. par. 3. partic. 6., et 19.*

(4) Ex supradictis *hoc tit. num. XIX.*

(5) Trid. *sess. 22. de sacrificio Missae cap. 6.* S. Aug. *de civ. Dei lib. 10. cap. 6. Tota ipsa redempta civitas*, inquit, *hoc est congregatio, societasque sanctorum* universale sacrificium *offert Deo per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus.* Idemque *lib. 21. cap. 24., orat pro omnibus*, ait, *nec tamen pro omnibus exauditur.* Benedictus XIV. in *const. certiores 64. §. 2. to. 1.* Bull. *Utinam eo ipso fervore*, ait, *quo primorum saeculorum fideles exardebant, nostrorum quoque temporum homines inflammati avide ad publicam sacram mensam advolare, sanctorumque mysteriorum solemnitati non adesse tantum, sed religiose eorumdem participationem exoptare conspicerentur.* Ea vero ipsa constitutione docet sapientissimus Pontifex, sacerdotes Missam celebrantes non teneri sacram Eucharistiam omnibus petentibus infra ipsam sacrificii actionem ministrare, neque adstantes sibi factam iniuriam querantur, *si quandoque pro tempore, loco*,

fragatur, licet absentibus, pro quibus intendit nominatim sacerdos immolare, Deumque suis propitiare precibus (1). Singuli etiam adstantes, communicantesque fructum hunc participant (2). *Specialissimo* sola sacerdotis persona fruitor, praeterea nemo.

XXXVII. Varios hac in re abusum, erroresque hominum improbitate, ac avaritia invectos quo pacto catholica Ecclesia correxerit, et eliminandos fore caverit, dicendum superest. In primis igitur *cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur: nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, ut omnino prohibeant* Episcopi, sanxit Synodus Tridentina (3). Quae porro vitanda, servandaque sint in Missarum celebratione, Episcoporum est delegata quoque Sedis Apostolicae auctoritate praescribere, ac Regulares etiam exemptos ad ea cogere (4).

XXXVIII. Quanta ergo pecunia necessariae Sacerdotum sustentationi congruat, hoc etiam Episcopi synodicis praesertim constitutionibus definiunt quisque suam intra provinciam, aut dioecesim pro variis locorum, temporum, et personarum conditionibus. Sacra Congregatio Concilii die 15. Novembris 1698. censuit eleemosynam Missae quum *adventitiae*, quam *manualem* vocitant, tum *perpetuae* a testatoribus non taxatae, ubi consuetudo loci, aut synodica lex eam non praefiniverit, congruam fore arbitrio Episcopi statuendam (5). Rursus Episcopo S. Severinae in Calabria exponenti presbyterum quotidie se ad Missas celebrandum offerre cum tenui eleemosyna dimidii iulii, postulantique, an

et personis Episcopus minime opportunum censuerit a sacerdote celebrante Eucharistiam distribui iis, qui adstant, quibus scilicet eo ipso tempore facilis, et obvia suppetit ratio ad eamdem mensam accedendi, in pluribus aliis locis cuivis instructam. Huiusmodi constitutio Benedicti XIV. hoc in regno promulgata est cum regio placito dato die 17. Ianuarii 1743.

(1) S. Thom. *in 4. dist. 45. art. 4. quaestiunc. 1., et 2.*, et Suarez *to. 3. part. 3. disp. 78. sect. 1., et disp. 79. sect. 12.* Profecto *ipsi sacerdotes pro populo interpellant, et peccata populi comedunt: quia suis precibus, et oblationibus ea delent, atque consumunt: qui quanto digniores fuerint, tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.* can. *ipsi sacerdotes 91. C. I. qu. 1.* S. Ambrosius in *can. 83.*, et S. Augustinus in *can. 95., et 96. eadem C. et qu.* explicant curatius, quomodo gratiam Deus per ministerium sacerdotis vel probi, vel mali transfundat hominibus ea dignis. Qui scilicet corde puro, et recta fide contriti, ac poenitentes eam implorant. Trident. *sess. 22. cap. 2.* de Sacr. Missae.

(2) Trid. *cit. sess. 22. cap. 6.* ait: *ad eos* (adstantes puta, communicantesque) *sanctissimi huius sacrificii* fructus uberior *proveniret.* Huc etiam spectat illud *ep. 1.* Petri *cap. 2. vers. 5.* et *9. Ipsi . . .* offerre *spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum . . . vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus adquisitionis.* Videsis dicta *lib. 1. tit. XXXI. num. II.*

(3) Trid. *ead. sess. 22. in decreto de observ. et evitand. in celebr. Missae.*

(4) Benedict. XIV. in *const. accepimus 17. to. 2.* Bullarii *pag. 127.*, et Fagnanus ad *cap. grave de offic. Ordin. n. 46.*

(5) Apud laudatum Benedict. XIV. in *tract. de Syn. Dioec. lib. 5. cap 8. in fine.*

sibi liceret manualem integri iulii eleemosynam indicere, minoremque accipientes punire: Congregatio eadem die 16. Iulii 1689. respondit utique licere (1). Statutis episcopalibus, moribusque manualis eleemosyna hoc in regno carolenum fere municipalem, alicubi Romanum iulium non excedit. Ita illicitis pactionibus, incongruisque stipendiis occlusus aditus. At vero incongruam, minoremque taxa eleemosynam accipiens manualem, sicuti volitas ab offerente Missas celebrare tenetur; ita partem nullam ex maiore sponte oblata potest sibi retinere, ubi celebrationem alteri sacerdoti demandaverit: sed integram ei tribuat (2), alias ipso facto suspensionem Papae reservatam incurrit, et si laicus ea in re turpem quaestum faciat, excommunicationi quoque reservatae statim fit obnoxius (3). Vix autem administratoribus Ecclesiae, cui ampliores offeruntur eleemosynae, expensas pro celebratione Missarum necessario subeundas dumtaxat, quoties alios ea non habeat redditus, detrahere indulgetur (4).

XXXIX. Quod perpetuas attinet Missas, ex laudatis Urbani VIII., et Innocentii XII. declarationibus, beneficiarii, capellanique perpetui, qui per alium sua implendi onera facultatem habeant, celebrantibus manuale, quod moris est, stipendium probe dant, nisi fundator integrum ab se definitum iusserit fore tunc exolvendum. Quot fundatori placuerit Missas praescribere, totidem sunt omnino celebrandae; quamvis incongrua ex bonis attributis merces obveniat. Ubi testator vel Missarum numerum, vel quantitatem mercedis non indicaverit, Episcopus, non haeres utrumque statuit pro regionis more.

XL. Onera Missarum perpetua, vel redundantia in Ecclesiis tam saecularium, quam Regularium, vel incongruis adnexa redditibus consueverant olim Episcopi, Praelatique Regulares ad taxam dioecesanam

(1) Ibidem *cap. 9. num. 2.*

(2) Ex duobus S. Congr. Conc. decretis sub Urbano VIII., Prospero Fagnano Secretario, latis: quorum alterum die 21. Iunii 1625. *art. 2.* et 7; alterum posterius ad *dub. 3.*, *et 10.*, quaeque Innocentius XII. confirmavit 10. Kal. Ian. 1697. in const. *nuper.* Vide Fagnan. *in cap. fraternitatem 3. de sepulturis num. 66.*, et Monacell. *to. 1. in append. form.*

(3) Benedictus XIV. die 30. Iunii 1741 in *const. quanta cura 22. to. 1.* Bull. abusus in mercimonio eleemosynae Missarum varios execrabiles coerciturus, quos decessores Pontifices detestari de consilio S. Congr. Conc. non omiserant, iussit Episcopis edicto publico in propria cuiusque dioecesi notum facere, *quemcumque*, *qui eleemosynas*, *seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis* secundum locorum consuetudines, et synodica statuta *colligens Missas retenta sibi parte earumdem eleemosynarum sive ibidem*, *sive alibi*, *ubi pro Missis celebrandis minora stipendia tribuuntur*, *celebrari fecerit*, laicum *quidem*, *seu* saecularem, *praeter alias* arbitrio episcopali *irrogandas* poenas *excommunicationis poenam*, clericum *vero sive quemcunque* sacerdotem *poenam* suspensionis ipso facto *incurrere: a quibus nullus per alium*, *quam per Romanum Pontificem*, *nisi in mortis articulo constitutus absolvi possit.* Huius bullae promulgationem hoc in regno Rex Carolus permisit regio rescripto ad Curiam Cap. Mai. dato die 5. Septembris 1741., hac adiecta clausula, *con que però deba esta tener su execucion quoad ecclesiasticas personas tantum.*

(4) Ex eodem posteriori decreto ad *dub. 7.*

reducere , ac moderari (1). Id ne amplius inconsulta Sede Apostolica fieret , cautum quoque est modo dictis Urbani VIII. decretis. Eaque servanda fore in legatis piis etiam futuris , et tenuibus , antequam acceptentur , declaravit S. Congregatio Concilii (2). Plurimae hinc reductiones Missarum auctoritate apostolica factae, aliae speciatim, audito pro singulis Ordinario loci, aliae generatim, ubi opus fuit pro cunctis alicuius , vel dioecesis Ecclesiis , et beneficiis (3) , vel Ordinis Regularium monasteriis (4). Sed ampliori privilegio Benedictus XIII. (5) Praelatis omnibus , qui eius Romanae Synodo provinciali adfuere, largitus est ad triennium , ut perpetuas Missas in sua quisque dioecesi reducerent ad rationem eleemosynae scutorum sexaginta monetae romanae pro qualibet Missa quotidiana (6). Haec ratio respondet circiter duobus in singulas Missas carolenis monetae huius regni.

(1) Cuiusmodi consuetudine usus est Archiepiscopus Valentinus in duabus Synodis dioecesanis an. 1577., et 1590., tum in Synodo Provinciali an. 1584., quas habet Card. de Aguirre *to. 4. Concil. Hispaniae.*

(2) Decreta memorantur in *notis ad const. 45.* Urbani VIII. *to. 5. Bullarii*, et a Bened. XIV. *de Syn. Dioec. lib. 5. cap. 10. num. 2.*, reiectis opinionibus adversus Pasqualigi *de Sacrif. nov. leg quaest. 1168.* , et Passerini *de statu homin. qu. 187. num. 1055. to. 2.*

(3) Benedictus XIV. Episcopo Puteolano generale huiusmodi indultum reducendi Missas Ecclesiae suae largitus est litteris in forma Brevis.

(4) Generalibus Ordinum superioribus fere cunctis privilegia id genus indulsisse Alexandrum VII. , Clementem X. , et XI. , Innocentium XIII., et Benedictum XIII. tradit Benedictus XIV. *loc. cit. num. 3.*

(5) Bened. XIII. in Syn. Rom. an. 1725. *tit. XV. cap. 8.*

(6) Per S. Congr. Concilii die 13. Maii 1726., sanctissimus Dominus Benedictus XIII. benigne indulsit Archiepiscopo Neapolitano Cardinali Francisco Pignatellio, *ut enunciato indulto concesso, et in Romano Concilio impresso circa Missarum reductionem, etiam pro dioecesi Neapolitana iuxta petita uti possit, et valeat , illius forma , et tenore servato.* Dein die 6. Iulii 1726. , eadem S. Congregatio attenta relatione Eminentiss. D. Cardinalis Pignatelli Archiepiscopi Neapolitani censuit *posse Vicarium ipsius generalem procedere ad condonationem Missarum praetermissarum, servata tamen forma indulti, de quo in Synodo Romana: ac item procedere posse ad reductionem omnium onerum Missarum ad rationem scutorum sexaginta pro qualibet Missa quotidiana, ut in eodem indulto praescribitur, etiamsi onera ipsa nullam passa sint reddituum deminutionem. Ceterum quoad Missas cantatas , quae habent sufficientes redditus ad rationem eleemosynae currentis pro Missa cantata iuxta morem regionis , esse omnino celebrandas, et applicandas iuxta praescripta in legatis, seu fundationibus : illas vero Missas cantatas , quae non habent sufficientes redditus, ut supra, iuxta morem regionis, esse reducendas ad eum numerum, qui celebrari poterit , habita ratione reddituum cuilibet legato , seu fundationi assignatorum , et supradictae eleemosynae de praesenti vigentis pro Missis cantatis : factaque modo praedicto reductione, quidquid ex redditibus superèrit , erogandum esse in celebrationem tot Missarum lectarum applicandarum pro animabus , et iuxta intentionem eorum , qui Missas cantatas reliquerunt. Si autem aliquod legatum sit complexivum Missae cantatae, et Missarum lectarum , quatenus redditus non sufficiant pro utroque onere adimplendo, omnes eiusdem legati redditus erogandos esse in celebrationem Missarum lectarum, deleto onere Missae cantatae.* Haec decreta videsis exscripta in dioecesana Synodo

XLI. Mox ut Missis perpetuo celebrandis plus aevo ne graventur Ecclesiae, vetitum iisdem decretis est, nova Missarum eiusmodi legata ecclesiasticis Cleri saecularis, Ecclesiarumque administratoribus acceptare, sine praevio Episcopi dioecesani consensu; Regularibus sine Generalis, aut Provincialis sui consensu, nonnisi cognita re impertiendo: alias illi interdictum ipso facto ab ingressu Ecclesiae (1), hi privationem vocis activae, ac passivae, omniumque officiorum incurrant. Quam ob rem debet publica in singulis Ecclesiis tabella Missarum prostare (2), unde facile cuivis pateat, an nimia sint onera, quae aliis obstent novis obvenientibus. Nec non in sacrario sunt libri duo retinendi, quorum in altero perpetuae, in altero manuales, seu adventitiae Missae adnotentur singulatim: in eisque sacerdotes adimpletam celebrationem quotidie conscribant de ea quotannis rationem reddituri Ordinariis locorum (3). Adventitiis quoque in diem sese nimis obligare, manualesque eleemosynas suscipere pro istis prohibentur, qui eas nequeant brevi dierum intervallo celebrare, susceptisque antea non satisfecerint, nisi aliud postero placeat benefactori (4). Simul capsulae pro eleemosynis Missarum prostantes in Ecclesiis profligatae.

XLII. Obstrictus Missam quotidie per semetipsum pro sua praebenda, vel beneficio, vel capellania perpetua celebrare, tametsi potest non modo infirmus, sed aliquando sanus etiam licite abstinere (5), videlicet semel tantum in hebdomada, tamen Missam eo, quo vacare die licebit, celebrans ipse aliud pro ea nequit stipendium accipere, aut eamdem pro alio speciatim benefactore offerre. At per alium qui potest Missam quotidianam ex fundatoris vel expressa, vel tacita voluntate capellanus, vel beneficiarius satisfacere, ei nullo die fas est sacrificium omittere, pro quo immolando impeditus cogitur manualem substituto sacerdoti eleemosynam exolvere (6).

XLIII. Quot accipiuntur stipendia, totidem sunt sacrificia offerenda,

Neap. Cardinalis Pignatelli *pag. 111. cap. 24.*, et *pag. 114.* in appendice eiusdem Synodi *num. 35.*

(1) Sancitum id etiam est in Provinciali Synodo Neapolitana Card. Cantelmi *tit. II. cap. 2. num. 16.*

(2) Syn. Mediolan. I. *de offic. Sacristae*, et dicta Syn. Neapol. *loc. cit. n. 14.*, ex litteris S. Congr. Conc. iussu Alex. VII. datis die 15. Dec. 1663.

(3) Ex *cit.* decreto S. Congr. sub Inn. XII., et Neap. Syn. Prov. *loc. cit. num. 12., et 13.*

(4) Ex antedictis duobus S. Congr. decretis, et eadem Syn. Neap. *loc. cit.*

(5) *Cap. significatum est 11. de praebendis*, ubi Alexander III. Praeposito et Capitulo Insulano rescripsit Sacerdotem, cui esset praebenda collata cum onere Missam de S. M. quotidianam, quoties infirmitate non detineretur, celebrandi debere, *quanto frequentius* posset, *salva honestate sua, et debita devotione*, eam celebrare; eique non licere vacationem *causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo.* Emm. Gonzalez hoc in textu *num. 4.* plurium Theologorum sententiae innixus putat *ob honestatem*, et *maioris devotionis gratiam* omitti licite unam, vel aliam in hebdomada Missam.

(6) Ex decreto S. Conc. in Collensi celebrat. Missar. die 18. Septembris 1683., impresso *in append.* Neapolitanae Synodi Card. Cantelmi *num. 6.*, quod innovat eadem Synodus *cit. tit. II. cap. 2. num. 17.*

nec suam pluribus desponsam fidem implebit, qui semel pro cunctis benefactoribus Missam celebraverit (1). Pro *generali* sane fructu, vel pro *specialissimo* plura percipere stipendia, id procul dubio quaestus esset turpissimus, et cupiditas inexplebilis (2). Iure hinc merito contrarias his opiniones Ecclesia Romana proscripsit. Simul et monstrosas Missas *bifaciatas*, ac *trifaciatas:* cuius nempe partes ferme omnes sub uno canone, unaque consecratione, ac sumptione bis, ter, et pluries iterabant quidam improbissimi, ut plura stipendia lucrarentur (3).

XLIV. Hanc ob rem quoque sancitum saeculo adhinc XI, ne plures, quam unam singuli eodem die presbyteri Missam peragerent, praeterquam in festo Nativitatis Domini (4). Subditis autem Hispaniarum, et Portugalliae Regum adhuc in generali defunctorum commemoratione permittitur binas, ternasque Missas, illis ex vetusta consuetudine, his ex pontificio indulto Benedicti XIV. celebrare hoc pacto, ut nulla exinde stipendia accipiant, easque speciatim non applicent (5). Mos alius erat in antiquiori disciplina. Tertullianus (6) Missam bis in die, mane scilicet, ac vespere celebratam aevo suo tradit. Synodus Emeritensis an. 666. decreverat, ut presbyter plures regens Ecclesias in singulis dominico die sacrum faceret (7). Toletana XII. an. 681. su-

(1) S. Congr. Conc. sub Urb. VIII. saepe dicto *decr. 21. Iulii 1625. artic. 2.* praecipit, *ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin suae obligationi non satisfaciant quinimmo graviter peccant, et ad restitutionem tenentur.* Dein posteriori decreto declaravit *ad 4. dubium*, Sacerdotes etiam, *quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellaniae, legati, aut salarii, non posse*, ubi eleemosynam accipiant manualem, *utrique obligationi satisfacere.*

(2) Inter damnatas ab Alexandro VII. octava ita se habet: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando partem etiam* specialissimam *fructus ipsemet celebranti correspondentem; idque post decretum Urbani VIII.* Decima: *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio, offeram.* Armenis autem, et Orientalibus singulatim presbyteris trina celebratio Missarum non licet, ex Provinciali Synodo Montis Libani an. 1736. *cap. 13.*, et Benedicti XIV. *const. in superiori. 52. to. 4. Bullarii.*

(3) Eos execratus cum primis est saec. XII. Petrus Cantor Parisiensis in *verbo abbreviato cap. 29.*, et nuper Benedictus XIV. *de Syn. Dioec. lib. 5. cap. 8.*

(4) Alexander II. saec. XI. in *can. sufficit 53. de consecr. dist. 1.*, *sufficit*, ait, *Sacerdoti unam Missam in die una celebrare . . . et valde felix est, qui unam digne celebrare potest. Quidam tamen pro* defunctis *unam faciunt, et alteram de die, si* necesse *fuerit. Qui vero pro* pecuniis, *aut* oblationibus *saecularium una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem.* Innoc. III. in *cap. consuluisti 3. de celebr. Missar.* rescripsit, *quod excepto die Nativitatis dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Consonat Honorius III. epist. ad Sipontinum Archiep. in *cap. te referente eod. tit.* De nocte sancta Nativitatis vide *can. 48. de cons. dist. 1.*

(5) Bened. XIV. in *const. quod expensis 61. to. 2. Bullarii.*

(6) Tertull. *de corona cap. 3.*

(7) Syn. Emeritens. in Hispania sub Vitaliano Papa *can. 19.*

spensionis censuram in eos sanxit, qui plura uno die sacrificia immolantes, in ultimo tantum, non in singulis eucharisticum cibum, potumque sumerent (1). Leo III., qui sedit ab anno 795. ad 816., quandoque septem, ac novem consuevit Missas celebrare (2). Tandem, ut alios omittam plurimos, Cardinalis Petrus Damiani, qui obiit anno 1057., tradens consuetudinem a maioribus acceptam abluendi, abstergendique calicis in postrema, *si nosmetipsi*, ait, *eodem die sacrificium denuo speramus offerre* (3). Praeterea Romanam Ecclesiam in multis festivitatibus indixisse olim uni, eidemque vel Episcopo, vel presbytero onus celebrandi duo, vel tria sacrificia solemniter, puta praeter Domini Nativitatem die primo Ianuarii, feria quinta maioris hebdomadae, Ascensionis festo, tribus ieiunii diebus ante Pentecostem, et quoties plurium Sanctorum natalitia eodem die concurrerent, aut Missa ob aliquam necessitatem votiva, aut ob imminentem defuncti sepulturam incideret (4).

XLV. Necessitas nunc etiam ex Innocentii III. textu (5) potest aliquando efficere, ut ab uno Missa iteretur (6). At S. Congregatio die 25. Octobris 1588. declaravit posse id solum in casu magnae necessitatis particularis, quam Episcopus ante probaverit, indulgeri: *ut puta in locis, ubi perpaucissimi sunt sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum fidei, vel quid simile* (7). Tum Benedictus XIV. (8) *certissimum illud esse docet Missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die sacrificium bis operentur: reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa* necessitatis *intercedere videatur.*

XLVI. Sunt vicissim tres dies aliturgici ante Paschatis festum, in quibus nempe latini quoque presbyteri iubentur a sacro privatim faciendo vacare. In Ecclesiis quippe cathedralibus, et collegialibus una tantum Missa publica, seu conventualis generatim solemni ritu celebratur. Quae tamen ad feriam VI. illius tridui attinet, *praesanctificatorum* Missa nuncupatur: propterea quod in ea celebrans non consecrat Corpus, et Sanguinem Domini, sed utrumque die praecedenti consecra-

(1) Conc. Tolet. XII. *can. 5.*

(2) Walfridus Strabo *can. 21.*, et Baronius ad ann. 816. *to. 1. annal.*

(3) Petr. Damiani *lib. 6. ep. 18.* Hugo Menardus *in lib. Sacramentor. S. Gregorii M.* haec ante secundam Missam habet. *Quando Apostolicus* duas *Missas celebrat uno die, inter eas non lavat os, nisi post officium, sed absque intervallo finita priore incipitur alia: nimirum, ut ieiunus celebret.*

(4) Ex antiquis Ritualibus, aliisque monumentis morem eiusmodi ostendit Card. Bona *rer. liturgic. lib. 1. cap. 18. n. 5.*, et Synod. Carthaginens. in *can. sacramenta 49. de cons. dist. 1.*

(5) *Cit. cap. consuluisti 3. de celebr. Miss.*

(6) Glossa in eodem *cap. consuluisti verb. necessitatis.* Tunc autem integra est utraque peragènda, nec licebit facere Missam *praesanctificatorum* ex Bened. XIV. *in const. declarasti 3. §. in nonnullis to. 2.* Bullarii.

(7) Apud Fagnan. *in cap. in ordinando I. de simonia num. 37.*

(8) Ben. XIV. in *const. declarasti 3. to. 2. Bullarii.* Idemque in const. *Apostolicum 16. §. 11. to. 4. Bullarii* posse Missionarios in Anglia bis quandoque uno die sacrificare cum adsensu Vicarii apostolici ob fidelis populi necessitatem.

tum solus absumit (1). Mediolanenses insuper nullum omnino sacrificium in singulis Quadragesimae sextis feriis habent (2). Graeci vero per totam Quadragesimam, praeterquam Sabbato, Dominica, festoque Annunciationis, sola Missa *praesanctificatorum* utuntur (3).

XLVII. Summam Deo reverentiam, et interiorem, et exteriorem in sacris faciendis praestare sacerdotes oportet. Missam propterea vetant canones operto capite celebrari. *Nullus Episcopus, presbyter, aut diaconus ad solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere: quoniam et Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, et qui temere praesumpserit, communione privetur*, ex decreto Zachariae in Romana Synodo (4). Necessitas autem vitandi frigoris noxii, aliave iusta causa efficit, ut in regionibus gelidis tempore hyemis, vel calvitie, aut capitis dolore affecti caput pileolo, aut fictitio capillo tegant, cum celebrant Missam, praeterquam in peragendo canone. Fert Wasquez in Polonia sacerdotibus consuevisse licentiam dari celebrandi operto capite Missam, excepto canone, ubi medici testentur periculum salutis ex nudatione capitis imminere (5). Paulus V. indulsit integras cum canone Missas in nonnullis orientalibus Ecclesiis, ubi indecoram, et inurbanam aestimant capitis denudationem, tecto capite celebrari (6): pluresque Doctores consentiunt salutis tuendae causa nullam esse irreverentiam in sacrificiis peragendis habere capita tecta (7). At S. Rituum Congregatio die 21. Ianuarii, et 24. Aprilis 1626. hac in re decrevit, quod *nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria con-*

(1) Nam Innocentius I. *ep. 1. ad Decentium* loquens de feriae sextae, et Sabbati ieiunio, *utique constat* (ait) *Apostolos biduo isto, et in moerore fuisse, et propter metum Iudaeorum se occuluisse. Quod utique non dubium est in tantum eos ieiunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiae habeat eo biduo Sacramenta penitus non celebrari*, can. *Sabbato 13. de cons. dist. 3.*

(2) Ex S. Caroli Dioecesana Synodo III. *decr. 20.*, et Synodo XI.

(3) Ex Trullano *can. 52.* Cuiusmodi ritum probat Benedictus XIV. *const. demandatam 87. §. 8. to. 1.* Bullarii, et *const. ex quo primum 53. §. 32. to. 4.* Videsis Leonem Allatium *in prolegom.* ad Gabr. Naudaeum *de Missa praesanctificatorum*, et Card. Bona *cit. cap. 18. num. 2.*

(4) *Can. nullus 57. de cons. dist. 1.* Benedict. XIV. *to. 1. de Sacrif. Missae sect. 1. cap. 4. §. 2., et to. 2. notificat. 14.*

(5) Wasquez *to. 3. in par. 3. disp. 232. cap. 4.*

(6) Ex traditis a Bened. XIV. *in ep. de celebratione Missae a sedente §. 22.*

(7) Navarr. *lib. 3. de celebr. Missar. cons. 7. num. 5. Non desinunt Sacramenta divina reverenter tractari*, ait, *dum ex iusta causa, et necessitate vitandi frigoris, vel doloris capitis pileolo aliquo honesto caput tegatur.* Henaus *to. 2. de Sacrif. Missae disput. 27. sect. 2. num. 20.*, cum Arriaga scribit. *Non est censendum Deum malle omitti sacrificium, aut quod graviter sacerdotes de salute periclitentur, quam quod habeant tecta capita: cum hoc ipsum, quod extra necessitatem esset irreverentia, desinat esse talis in similibus casibus.* Consonant Theophilus Raynaudus *to. 6.* operis inscripti *Sacrum Christianum Acathistum, seu sessionis expers pag. 499. col. 2.* et Salmero *to. 14. in ep. 1. ad Corinth. cap. 11. disp. 18.*

studium (1). Cuiusmodi decretum habet etiam generalis rubrica Missalis Romani iussu Urbani VIII. ad meliorem formam redacti (2), Episcopos etiam obstringens.

LVIII. Idipsum de fictitia coma dicendum est, qua mulieres primum exornatas, mox viros, et pagani scriptores (3), et prisci Patres nostri maxime irriserunt (4), et criminati sunt. Foemineum eiusmodi ornamentum in equitis capite coaevus Augustino poeta christianus (5) ludibrio habuit: sat indicans effoeminatos etiam viros illud sibi iamdudum adscivisse (6), quod aequo tardius factum nonnulli putant (7). Nullo interea pacto licuisse clericis potuit caput suum alienis capillis contegere, atque ornare, qui suos deorsum circumtondere instar monachorum adigebantur, dum suum ipsi nomen darent sacrae militiae attonsumque semel caput ita semper gestare, ut nutrire comam vetarentur, capillosque cincinnatos, vel calamistro intortos gestare (8):

(1) S. Rituum Coner. apud Gavant. *in comment. ad rubric. Missal. par. 2. tit. 11.*, et Benedict. XIV. *lib. 7. de Syn. dioeces. cap. 60. num. fin.* edit. Rom. an. 1748.

(2) Hinc que rursum laudat Benedictus. XIV. *inst. 34. §. 4.*, latinae edit. Venetiae an. 1750, et *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 60.*

(3) Martialis *lib. 6. epigr. 12. Iurat capillos esse, quos emit suos Fabulla. Numquid illa, Paulle, deierat?* Idemque *lib. 12. epigr. 23. Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis, Quid facies oculo, Laelia? non emitur.* Ovidius *lib. 3. de arte . . . Foemina procedit densissima crinibus emptis, Proque suis alios efficit aere suos.*

(4) Tertull. *de cultu foemineo . . . Si non pudeat enormitatis, pudeat inanimamenti, ne exuvias alieni capitis forsan immundi, forsan nocentis, et gehennae destinati sancto, et christiano capiti supparetis.* Clemens Alexandrin. *lib. 3. pedagogi cap. 11. Alienarum capillorum appositiones sunt omnino reiiciendae, et externas comas adhibere capiti est maxime impium, quae mortuis ossibus cranium induunt. Cui enim manum imponit presbyter? cui benedicit? Non credenti, quae est ornata: sed alienis capillis, et per ipsos alieno capiti.* S. Hieron. *ep. ad Demetriadem . . . Quando eras in saeculo, quae erant saeculi negotia, polire faciem purpurisso, et cerussa ora depingere, ornare crinem, et alienis capillis turritum verticem struere.* Prudentius in *psychomachia. Turritum tortis caput accumularet crinibus.*

(5) Rufus Festus Avienus *carmine 10.* ita canit. *Calvus eques capiti sortitus reliqare capillos, Atque alias nitido vertice ferre comas. Huius ab adverso boreae spiramina praestant Ridendum populo conspiciente caput. Nam mox deiecto nituit frons nuda galero, Discolor apposita, quae fuit ante coma.*

(6) Id quod multis ostendit Thiers in *tract. de perruchis cap. 1.*

(7) Christianus Lupus in *dissert. de actis S. Leonis IX. cap. 15. in fine*, ex eo quod prisci Patres in foeminis tantum fictitias comas execrati abhorruerint, colligit omnes ubique viros ab illis penitus abstinuisse ad saeculum usque XI., vel XII., eosque in Anglia primum sub Guilielmo II, vel Henrico I. eius successore monstrum ficti capillitii, quod ab ea etiam insula procul antea fuerat, adoptasse, mox inde ad alias regiones propagatum.

(8) Constitutum liquet ex synodo in Hibernia sub S. Patricio celebrata anno 450. *can. 6.*, et Martino Bracarensi *cap. 66.* in collect. Concil., synodo Agathensi anno 506. in *can. clerici 22. dist. 23.*, Toletana IV. an. 633. *can. 41.*, etc. Sanxit inde Alexander III. in *cap. clericis 7. de vit., et honest. cleric.*, ut *clerici, qui* comam *nutriunt, et barbam, etiam inviti a suis archidiaconis tondeantur.*

adeout nullam in eis causam Patres unquam invenissent vetandi clericis fictum capillitium (1) usque ad saeculi proxime superioris exitum (2). Quandoquidem usus communis quum virilibus comis adscitilis ademisset priscam notam turpitudinis, eamque ad decorem vertisset: clerici quoque lapsis moribus eas adsumere non dubitarunt ad exitum declinante saeculo XVII. Quare Sarnellus Episcopus Vigiliensis anno 1697. speciatim suis interdixit clericis usum comae fictitiae, censura excommunicationis ipso facto sancita in contumaces: quam S. Congregatio particularis in gradu appellationis firmavit, quod ad sacris initiatos, et beneficiarios, quod vero ad minorum ordinum clericos, et non beneficiarios moderandam esse censuram, aliisque poenis animadvertendum (3). Cardinalis Cantelmus Archiepiscopus neapolitanus in provinciali Synodo Neapolitana anno 1699. pariter vetuit clericis *adscititium capillamentum* (4): dein Episcopus Melphitensis anno 1721. (5) id etiam edixit. Mox in provinciali Synodo Romana Benedictus XIII. anno 1725 (6). Sunt qui opinantur sacerdoti licere sacrificium Missae cum ficto capillitio peragere, quod ita sit capiti coaptatum, ut nequeat a propriis crinibus discerni (7). At fallacem eiusmodi opinionem refellit ratio ea-

(1) Id quod observant Mabillonius in *praefat. ad saec. 3. Act. Bened. par. 1. num. 18., et 19.*, et Thiers *loc. cit.*

(2) In Synodis XVI., et XVII. saeculi nullum de fictitia clericorum coma verbum occurrit: quamvis comarum cultus, et cincinni, et calamistri saepenumero sint eis vetiti. Mediolanensis I. Synodus provincialis *par. 2., ita sint abraso capillo*, ait, *ut tonsura conspicua sit omnibus. Comam vero, et barbam ne studiose nutriant, capillis simplicem cultum adhibeant.* Burgensis item provincialis anno 1584. *tit. V. cap. 3. clerici crines calamistratos, ac retortos non habeant.* Ravennatensis anno 1607. *tit. de vit., et honest. cleric. cap. 1. capillos ne gerant calamistratos, nec supra frontem eminentiores.* Lucensis anno 1615. *eod. tit. cap. 2. comas calamistratas more foeminarum ne gestent.* Amalphitana anno 1639. *eod. tit. cap. 2. cincinnos, et comam ne nutriant.*

(3) Ex relatis ab eodem Episcopo Sarnello *to. 4. epist. cap. 13. de perrucchis*, et Bened. XIV. de Syn. dioeces. *lib. 7. cap. 60. num. 1.*

(4) In Provinciali Synodo Neapolitana an. 1699. *tit. IX. cap. 5. de vit.*, *et honest. cleric. num. 6.*, ita cautum. *Tonsuram conspicuam suo congruentem ordini omnes deferant, qui vero* adscititium capillamentum *gestaverit, praeter illius amissionem, poenam carceris formalis incurrat.* Dioecesana Synodus Bononiensis anno 1698. *lib. 3. cap. 1.* paulo ante clericis comam fictitiam interdixerat, *nisi ex causa nobis*, ait, *vel vicario nostro cognita indulgendum ad tempus arbitrabimur.* Idipsum cum eadem limitatione constituit Synodus Asculana anno 1719. *cap. 20.*, inquiens: *nisi ex iusta, et rationabili causa dispensationem impetraverint.*

(5) Apud Bened. XIV. *loc. cit.* S. Congr. Conc. *to. 2. thesaur. resol. p. 206., et seq.*

(6) Conc. Romanum Bened. XIII. *tit. XVI. cap. 3.* haec habet. *Qui ignominiam saecularis habitus, et comas capitum pro Christi amore deposuerunt, veste, ac tonsura clericis congruente semper utantur, comamque fictitiam, vulgo* parucca, *aut* cerchietti *numquam adhibeant.* Martinus Schoockius *exercit. 24. de coma, et barba* in fine, *ingenue profiteor*, ait, *me non videre, quomodo alienae hae capitis exuviae excusari possint, quum omni aevo apud omnes nationes eaedem exosae fuerint.*

(7) Theophilus Raynaudus *to. 13. de pileo, et ceteris capitis tegminibus sect. 2. circa fin.*, et Pasqualigus *de sacrif. nov. leg. qu. 83.*

dem, qua interdictus usus pileoli sacra facientibus est : quum negari nullatenus possit, magis ficto capillitio, quam pileolo tegi, et cooperiri caput (1), id quod praesentis in ara sua Hominis Dei maiestas non patitur. Iure hinc merito censuit S. Congregatio ab Alexandro VII. deputata anno 1690., licere nemini sine Apostolicae Sedis dispensatione Missam cum supposititia coma, quamvis modesta et decenti celebrare, eamque sub interdicto pileolo *comprehendi* (2). Idque inde Innocentius XII. locorum Ordinariis per litteras encyclicas Nuntiorum Sedis Apostolicae nunciavit, curaturis, ne aliter agere quis audeat (3). Verumtamen extra Missarum tempus integra Episcopis, locorumque Ordinariis facultas est fictum capillitium modestum permittendi clericis, et presbyteris, qui eo ad tuendam valetudinem medicorum iudicio opus habeant : illudque vicissim cunctis vetandi subditis per edicta, et synodicas constitutiones (4).

XLIX. Annulum, et ornamenta pontificalia adhibere in celebratione Missarum Episcopis, et Abbatibus tantum benedictis licet (5): aliis non item, nisi cui speciatim indulserit Sedes Apostolica. S. Congregatio Rituum protonotariis etiam apostolicis, ac Dignitatibus, et Canonicis cathedralium vetuit, dum rem divinam in ara conficiunt, annulum in digitis gestare (6). Protonotarios honorarios enim celebrare Missam perinde debere, ac simplices Sacerdotes, decrevit cum voto Congr. Rituum Alexander VII. die 20. Septembris 1659. (7). Eadem Rituum Congregatio litteris ad Bononiensem Archiepiscopum Card. Lambertinum datis die 28. Augusti 1734. (8) rescripsit non licere Parochis, ac Superioribus Ordinis Mendicantium nulla dignitate insignitis, nulloque privilegio pontificio fultis adhibere in sacrificio Missae acolythum cum argenteo manubrio, quod *bugia* vulgo dicitur, seu ministrum a candela, qui accensam candelam illuc prope adfert, ubi legendum aliquid Episcopo celebranti sit : eosque aliter agentes fore ab Archiepiscopo, delegata etiam auctoritate, coercendos.

L. Abbates Regularium ex memoratis Alexandri VII. decretis, *pontificales benedictiones cum trina crucis productione in Missis tantum pontificalibus, nec non vesperis, et matutinis pontificaliter iti-*

(1) Reiffensthuel ad *lib. 3. Decretal. tit. 1. num. 91.* hac ratione vetitam sacrificantibus instar pileoli comam adscititiam plane ostendit, eumque laudat, et sequitur Benedictus XIV. *lib. 7. de Syn. dioeces. cap. 60. prope finem.*

(2) Ursaya *lib. 1. inst. crim. tit. 10. §. 4. num. 51.* Itaque nullam Episcopos potestatem habere indulgendi celebrantibus Missam presbyteris fictitiae comae tegumentum, rescripsit Innocentius XI. ad Legatos, Nuntios, et Episcopos litteris encyclicis, quas laudat Pater la Croix *lib. 2. par. 2. num. 401.*, et Benedictus XIV. *instit. 34. §. 4.*

(3) Reiffensthuel, et Benedictus XIV. *loc. cit.*

(4) Ex traditis a Benedict. XIV. *loc. cit. num. 5.*

(5) Bened. XIII. in Synodo Romana *tit. XVI. cap. 3. Non annulos deferant*, inquit, *nisi hi eis ratione dignitatis competant ; et tunc illos, nisi Abbates sint benedicti, in Missae celebratione deponant.*

(6) S. Congr. Rit. apud Gavantum, la Croix, et Thom. Piton. quos laudat Benedictus XIV. *loc. cit.*

(7) Apud Monacell. *to. 4. form. num. 89.*

(8) Eas videsis apud Benedictum XIV. *cit. instit. 34. §. 4.*

dem celebratis tantum licere sibi meminerint. In Missis vero privatis quoad indumenta , coeremonias , ministros , altaris ornatum , et benedictionis largitionem a simplici Sacerdote non discrepent. Cumque Procurator generalis Ordinis Casinensis contra ea reclamasset, vetustam consuetudinem , et peculiaria sui Ordinis privilegia ostendens , eadem S. Congregatio Rituum die 20. Iulii 1660. respondit *servandum esse decretum* auctoritate Alexandri VII. confirmatum (1).

LI. Episcopi cuiusque munus praecipuum est sacrificia Missarum pro suis , et populi peccatis offerre. *Omnis namque Pontifex* , Apostolus docet , *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis , quae sunt ad Deum , ut offerat dona , et* sacrificia pro peccatis , *qui condolere possit iis, qui ignorant, et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate ; propterea debet, quemadmodum pro populo , ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis* (2). Pontificalis huius officii exequendi necessitas in causa fuit , ut sanctiores Episcopi satius duxissent in carceribus martyrum, vel eremitarum cellis, vel alibi quandoque sacrificium eucharisticum celebrare sine ara , vel decumbentes in lecto , quocumque modo poterant , vel sedentes , ubi stare pedibus non valerent , quam ab eo penitus abstinere. S. Lucianus martyr sub Maximiano , Antiochenae Ecclesiae presbyter, deficiente in carceribus martyrum ara , captivis cum ipso fidelibus convivium eucharisticum summopere expetentibus in Epiphania Domini, indulgens procubuit humi supinus , suoque pectore pro ara utens divinam Christi victimam immolavit , et sacrum inde dedit epulum (3). S. Eremicolae , qui numquam sacrificio altaris adfuerat , fervidum votum impleturus Theodoretus Cyri Episcopus quinto saeculo, sacris vasis in eius tugurium adductis , pro ara inibi deficiente, manus Diaconorum adhibens Missam celebravit (4). S. Paulinus Episcopus Nolanus ab Uranio, fertur aegrotans Missam concelebrasse cum duobus aliis Episcopis , qui ad eum visitandum convenerant , in ara prope lectum ipsius erecta (5). De S. Tarasio Patriarcha Constantinopolitano, qui obiit nono ineunte saeculo, Ignatius Nicoeae Episcopus, discipulus eius loquens, *ingruens morbus* , ait , *et valde gravem ei dolorem afferens non persuasit , ut oblivisceretur perpetui, et divini officii. Nam et morbo, et senio laborans nequaquam satiabatur sacrosancti mysterii celebratione : sed intenso amore ad Deum ardens , et morbi nullam ducens rationem, pectore innixus mensae ligneae, quae ponebatur ante aram divinam, sancta peragebat* (6). S. Ivo presbyter , et parochus Britanniae Armoricensis

(1) Ex traditis a Benedicto XIV. *loc. cit.*

(2) Ad Hebraeos *cap. 5. vers. 1.*, *et sequ.*, *et cap. 8. vers. 3.*

(3) Ex actis martyrum apud Bollandistas *to. 1. Ianuarii pag. 361. num. 14.*, et supradictis *num. XXXI.*

(4) Sicut enarrat idem Theodoretus *in philoteo cap. 20.* Idipsum ab eo gestum in carceribus dixi iam superius *num. XXXI.*

(5) Uranius in *epist. de obitu S. Paulini* apud Bollandistas *to. 4. Iunii pag. 198. num. 2.* , Tillemont. *to. 14. in actis S. Paulini art. 52.* , et P. Orsi *to. 12. hist. eccl. lib. 28. num. 70.*

(6) Ignatius Nicoenus Episcopus , *de vita S. Tarasii* apud Bollandistas *to. 3. Febr. pag. 586. num. 47.*

d. functus anno 1303., *fuit adeo infirmus, et debilis, quod se non poterat sustinere: immo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, et sic Missam celebravit in Capella sua* (1). Papa Honorius IV. electus anno 1285., *pedibus erat ita aegrotus, ut nec ambulare, nec stare posset: manus autem sic contractas habebat, ut digitos exceptis pollicibus unum ad alterum adiungere non posset, immo etiam carne superexcrescente, fere unus ab altero secerni non poterat. Et cum celebraret, ponebatur Corpus Domini inter ipsos pollices, et quodam instrumento ligneo, quo insidebat, volvebatur ad populum* (2). Pius II., qui ad Petri Sedem evectus est anno 1458., *propter aegritudines, et absentiam ante quatuor annos non viderant Romani suum Pontificem divinam hostiam offerentem: cumque suis pedibus stare Pius nequiret, excogitata ingenia sunt, ut quasi sedens celebraret* (3). Pius III. anno 1503. creatus Pontifex, die 8. Octobris, quo coronatus est, Missam pontificalem sedens celebravit in Basilica Vaticana, gravi ulcere impeditus, ne pedibus staret (4). Tot tantisque innixus exemplis Benedictus XIV. maluit in extrema senectute sua Missam sedendo celebrare in ara sic praeparata, ut pedes infirmos extendere subtus eam posset (5). Quod vero ad Episcopos infirmos tradit idem sapientissimus Pontifex, quod Paulus III. Ioanni Rennae Veneto, Episcopo Algeriensi, ad Sedem Pampelonis novae translato anno 1538. indulsit, ut ob podagrae infirmitatem in sella fabrefacta sedens, ita ut stare videretur, quoties ei placuerit, Missam celebraret, benedictionem largiretur, et alia episcopalis ordinis officia exerceret (6). Idipsum S. Pius V. indulsit Petro Francisco Ferrerio Cardinali anno 1566. (7). Scrutans enim corda, et renes Deus mentem puram sacrificantis, et fidelem officii pontificalis executionem respicit propitius, nihil faciens actus involuntarios aegri corporis, vel sedentis, vel decumbentis.

(1) Ex monimentis apud Bollandistas *to. 4. Maii num. 17., et 65.*, et Mauritio Gaufrido in vita S. Ivonis *eodem to. 4.*

(2) Scribit P. Franciscus Pipinus in *chronic. lib. 4. cap. 22.* Contestantur id Riccobaldus Ferrariensis in *hist. Roman. Pontif. ad an. 1285.*, in *to. 9. rerum Italiae Scriptorum pag. 182.*, Ptolomaeus Lucensis *lib. 24 hist. eccles. cap. 13.*, in *to. 11. rer. Ital. Scriptor. pag. 119.*, Raynaldus *ad an. 1285. num. 14.*, Fleury *to. 19. hist. eccl.* Ciacconius in *vita Hon. IV. to. 2.*, ceteri.

(3) Ex commentariis Pii II. in translatione capitis S. Andreae ex Achaia.

(4) Ex relatis a Io. Burcardo pontificiarum coeremoniarum magistro *lib. ult. ephemeridum.*

(5) Id quod sapientissimus ipse Pontifex luculenter tradit in epistola ad Ignatium Reali apostolic. coeremon. magistrum data die 11. Octobris 1757, quae incipit *aetas anni 1756.*

(6) Idem ex Ciacconio *to. 3. pag. 569.*, et archivio secreto Sedis Apostolicae an. 1538.

(7) Videsis indulta apud Benedict. XIV. *loc. cit.*

TIT. VIII.

De Sacramento Poenitentiae.

I. Sacramentum corde dolentibus, et confessis peccata post Baptismum remittens, Poenitentia est, variis item nominibus appellata.

II. Ea ut virtus iustitiae post Adae lapsum vim semper habuit divinam impetrandi misericordiam.

III. Huiusce virtutis necessitas, et utilitas ex sacris Litteris patet.

IV. Eique gratiam Sacramenti addidit Christus Dominus, ubi solvendi potestatem Apostolis mandavit.

V. Negantes hocce Sacramentum a Christo institutum refellantur.

VI. Eos anathemate profligavit Synodus Tridentina.

VII. Cordis contritio, oris confessio, et satisfactio sunt signum sensibile, seu materia, aut quasi huiusce Sacramenti.

VIII. Communionem poenitentia divino iure postulat.

IX. Animi dolor cum detestatione peccatorum, ac proposito non peccandi ob Dei amorem, contritio speciatim dicitur, ob timorem irae Dei attritio.

X. Perfecta ob amorem contritio cum voto Sacramenti statim Deo poenitentem reconciliat.

XI. Attritio ad ipsum Deo reconciliandum disponit.

XII. Filialis nimirum Dei timor, et voluntarius, non item servilis, et involuntarius.

XIII. Timorem filialem sufficere ad Poenitentiae Sacramentum videntur contra Lutheranos probasse Tridentina Synodus, et Alexander VIII.

XIV. In timore Dei cum proposito emendationis inest initium dilectionis.

XV. Ad dilectionem attritio non tendens evadit inanis.

XVI. Confessio verecunda, et sincera divino etiam iure indicta est.

XVII. Eiusque necessitas ex utriusque Testamenti litteris ostenditur.

XVIII. Tum ex lege mosayca.

XIX. Tandem ex perpetua traditione Patrum.

XX. Captiosa argumenta haereticorum, qui negant confessionis auricularis necessitatem, refelluntur.

XXI. Omnia singulatim lethalia confiteri poenitens necesse habet, venialia non item.

XXII. Ea etiam adiuncta, quae circumstant lethalibus, et peccati speciem mutant, debet necessario explicare: de iis vero quae aggravant dumtaxat, dissentiunt theologi.

XXIII. Unum ex lethalibus, vel adiunctis speciem mutantibus dolo reticens, fit sacrilegii reus, oblitus aliquod bona fide veniam de omnibus consequitur cum onere illud confitendi, postquam rediverit ad memoriam.

XXIV. Publicam primitivi fideles confessionem inire ultro sueverant, quam voluit S. Leo M. secretam, et auricularem adprobans.

XXV. Annuae confessionis praeceptum paschale ex antiquissima obvenit consuetudine, quod firmavit, non primus invexit Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV., additque medicis onus monendi infirmos in tertia visitatione, ut Confessarium adsciscant.

XXVI. Satisfactio etiam poenitentibus Deo reconciliatis incumbit iure divino ad expiandas promeritas poenas.

XXVII. Et lege quoque evangelica, quam tradit Apostolus.

XXVIII. Quidquid contra cavillantur Lutherani, et Calvinistae.

XXIX. Eorum hac in re blasphemias pluribus anathematismis execrata est Synodus Tridentina.

XXX. In Ecclesiae primordiis longaeva, et asperior satisfactio ex apostolicis moribus inoleverat.

XXXI. In fletu, auditorio, substratione, consistentia diu gradatim detinebantur publici poenitentes, ante sacramentalem absolutionem.

XXXII. Publicam eam poenitentiam semel in vita publici peccantes, privatam arbitrio sacerdotale, ut nunc fit, obibant occulti.

XXXIII. A Confessario imperata quam spontanea opera magis expiant.

XXXIV. Satisfactio poenas luens absolutionem in Sacramento culpas remittentem vel praecedit, vel sequitur arbitrio Sacerdotis.

XXXV. Congrua corrigendis vitiis opera sunt aequo, et prudente arbitrio iniungenda.

XXXVI. Absolutionis verba vel indicativa, vel deprecativa ad necessariam Sacramenti formam pertinent.

XXXVII. Trinitatis autem invocatio non Iure divino, sed praecepto Ecclesiae ad eam accessit.

XXXVIII. Sola poenitentis fides, nisi eum Sacerdos serio, et vere absolvat, inanis est.

XXXIX. Nam Sacerdotibus tantum Christus Dominus ministerium huiusce Sacramenti mandavit.

XL. Et Iacobi epistola idipsum revera tradit.

XLI. Diacono confitentes videntur veniam a Deo promereri ex desiderio Sacerdotis absentis.

XLII. Sacerdotale hoc ministerium ad alios qui extendunt, canone Tridentino damnantur.

XLIII. Episcopi facultatem reconciliandi publicos poenitentes presbyteris, nonnisi urgente necessitate, mandabant.

XLIV. Quinto inde saeculo eam Archipresbyteris, et Parochis propriis generatim largiti sunt, ex quo magis invaluit secreta confessio.

XLV. Episcopi, Praelatique inferiores quemlibet sibi Confessarium eligunt: Regulares post legem Tridentinam prohibentur confessiones audire saecularium sine parochialis beneficio, aut speciale mandato Episcopi.

XLVI. Confitentes Regularibus adprobatis nunc satisfaciunt paschali praecepto annuae confessionis.

XLVII. Iure quidem ordinario, et proprio Episcopi, et Parochi omnesque animarum curatores, delegato, et extraordinario ceteri hoc Sacramentum administrant.

XLVIII. Parochis ideo ius est absolvendi suos tantum parochianos ubilibet, delegatis vero Confessariis non item extra dioecesim delegantis: praeterquam Episcopos, aliisque indulto gaudentes ex Bulla praesertim Cruciatae eligendi sibi Confessarium.

XLIX. Id efficit separata dioecesanorum iurisdictio, quâ Ordinis exercitium limitatur ad certas personas, et loca.

L. Fines mandatae ab Episcopo iurisdictionis nequeunt idcirco transilire Confessarii extraordinarii.

§. I. De Casuum reservatione.

LI. Criminum graviorium absolutionem et Papa, et Episcopi iure sibi reservant.

LII. Saeculo XII. Romana Sedes Apostolica coepit in bulla Cruciatae sibi duos casus reservare, aliis inde sanctionibus adauctos.

LIII. Romam poenitentes olim, exceptis impotentibus, adibant pro casuum papalium absolutione: quam nunc Pontifices Ordinariis locorum in foro externo delegant, et sacra Poenitentia cuilibet Confessario pro occultis in foro conscientiae.

LIV. Reservata Papae crimina, excepta solum calumnia accusantis innoxium Sacerdotem de sollicitatione, adnexam censuram semper habent: quae vero sunt Episcopis reservata, eorum alia adnexam, alia non habent censuram.

LV. In mortis articulo a reservatis quibuslibet absolvit Sacerdos quisque etiam excommunicatus, haereticus, degradatus.

LVI. Extra mortis articulum, quoties alius adsit presbyter, Benedictus XIV. absolvendi facultatem ademit presbytero complici, et correo contra sextum decalogi praeceptum.

LVII. Omnia penitus scelera expiat per Poenitentiam Ecclesia, quidquid contra cavillantur Montanistae, ac Novatiani.

LVIII. Eorum sophismata ex detortis divinarum Scripturarum sententiis a Patribus confutata dudum sunt.

LIX. Diversitas criminum diversas in Ecclesia postulat poenas expiantes.

§. II. De peccatis.

LX. Voluntarium contra Legem Dei factum, dictum, concupitum, omissum, reapse peccatum est.

LXI. Affectus naturales, cupiditas, metus, spes, iracundia, ceteri humanis animis a Deo inditi ipsos extimulant, ut sua quisque voluntate vel bonum, vel malum operetur.

LXII. Lutheranos, et Calvinistas cum Manichaeis negantes liberum in humanis actibus arbitrium, et fatalem peccandi necessitatem somniantes damnavit synodus Tridentina.

LXIII. Ignorantia, vel infirmitas gravitatem peccati deminuit, studiosa voluntas auget, usus rationis deficiens omnino tollit.

LXIV. Plus naturae infirmitas, quam ignorantia voluntatem spontaneo, et involuntario mixtam peccantibus non adimit.

LXV. Quidquid contra divina, et ecclesiastica praecepta voluntarie fit, adeo grave peccatum est, ut mortem inferat spiritalem: venialis culpa non item.

LXVI. Venialem efficit culpam imperfecta voluntas, et parva materia.

LXVII. Dum pluries iterantur parvae materiae in furto, et rebus aliis, unionem naturaliter ferentes, in peccatum grave simul coalescunt: secus in ceteris materiae moraliter insociabiles.

LXVIII. Peccata cordis, seu cogitationis gradatim suggestione, morosa delectatione, et consensu consummantur.

LXIX. Ore autem, opere, omissione in plura homo peccata prolabitur.

LXX. Agens contra Dei Legem vel sibi notam, vel in corde scriptam a Deo utique peccat.

LXXI. Nulla ignorantia excusat peccantes contra decalogum: secus contra cetera praecepta.

LXXII. Bonum ne aliquid, an malum sit, dubitans, illudque dubio animo agens etiam peccat.

I. *Quod corde dolentibus, et confessis peccata post Baptismum admissa per sacerdotalem absolutionem remittit*, id equidem esse Poenitentiae Sacramentum definio. Hoc ipsum vero consuevit a Patribus antiquis appellari *secunda tabula post naufragium* (1), *Baptismus laboriosus* (2), *impositio manuum reconciliatoria*, et Sacramentum *reconciliationis* (3).

II. Accepta generatim Poenitentia utique *virtus* specialis est a *iustitia* profluens, quae discessos a Deo peccatores ad ipsius dilectionem, et cultum revocat per resipiscentiam (4). *Is enim*, inquam cum Lactantio (5), *quem facti sui poenitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoque Graeci melius, et significantius* μετάνοιαν *dicunt, quam nos possumus* resipiscentiam *dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiae, et confirmat animum ad rectius vivendum, tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur.* Hinc intelligimus, cur poenitentiae virtus in seipsa vim semper ab Adae lapsu habuit divinam impetrandi misericordiam (6). Si enim unusquisque parens, qui suos ob contumaciam improbos, ingratosque filios abiecerit, quoties ipsos videat ad frugem meliorem converti, ac poenitendo malefacta corrigere; tunc rursus ingenita pietate cogitur com-

(1) Tertull. *de poenit. cap. 4. Eam tu peccator*, inquit, *ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulae fidem.* S. Hieronymus in *cap. 3. Isaiae:* Poenitentia *quasi secunda post naufragium tabula.* Trid. *sess. 6. cap. 4. de iustificat.*

(2) A S. Greg. Nazianz. *orat. 39.*, *et* Trid. *sess. 14. cap. 2.* Vide Ioh. Opstratium *de laborioso Baptismo.*

(3) Synod. Arausicana I. in *can. qui recedunt 7. C. 26. qu. 6*, et Carthagin. IV. in *can. is, qui poenitentiam 8. eadem C. et qu.*

(4) *Cum iudex Deus* iustitiae *exigendae, tuendaeque praesideat... sicut in universis actibus nostris, ita in* poenitentiae *quoque causa* iustitiam Deo praestandam esse, monet Tertullianus *de poenit. cap. 2.* A divo Thoma *par. 3. qu. 85, art. 3. in C.* iustum secundum quid dicitur esse inter servum, et dominum, inter filium, et patrem: *et tale iustum*, inquit, *consideratur in poenitentia.*

(5) Lactant. *lib. 6. de vero cultu num. 24.* S. Isidor. Hispal. *lib. 2. de offic. Poenitentia*, inquit, *nomen sumpsit a poena, qua anima cruciatur, et caro mortificatur.* Auctor *lib. de vera, et falsa poenit.* Poenitentia *est quaedam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse.*

(6) Tertull. *de poenit. cap. 2.* Deus *post tot, ac tanta delicta humanae temeritatis, a principe generis* Adam *auspicata, post condemnatum hominem, post eiectum paradiso, mortique subiectum, cum rursus ad suam misericordiam maturavisset, iam inde in semetipso* poenitentiam *dedicavit.* Id quod satis superque ostenditur exemplo Ninivitarum, ex Ionae *cap. 3. vers. 5. et seq.* De quibus Christus Matth. *cap. 12. vers. 41.* ait: *Viri Ninivitae* (gens pagana scilicet) *surgent in iudicio cum generatione ista* (hebraeorum), *et condemnabunt eam, quia poenitentiam egerunt in praedicatione Ionae.* B. Chrysostomus *hom. de poenit. Per te, o poenitentia*, inquit, David *afflictus factus est sanctus, per te* filius prodigus *paternum amplexum meruit, per te* Petrus *postquam ter Dominum negavit, indulgentiam recepit: per te ... tronem subito Christus ad regnum aeternum rapuit.*

plecti ex animo : nequit sane dubitari , quin ingenita pietate Deus O. M. pater omnium clementissimus lapsos in vita homines , deviosque maluerit quovis tempore ad sese per poenitentiam redeuntes in gratiam suam recipere (1).

III. Ad virtutem hanc supernaturalem pater misericordiarum nullo umquam tempore destitit impios excitare. Quamvis enim ratio naturalis necessitatem poenitentiae cuique ostendat: tamen potest nemo solis naturae viribus quidquam aeternae saluti profcuum agere sine auxilio divinae gratiae quum praevenientis , tum coadiuvantis (2). Post legem vero mosaycam ipsemet ore Prophetarum patefecit , quanta sit poenitendi necessitas , et utilitas (3). Tum ore suo Christus Dominus , suorumque Apostolorum id etiam praedicavit (4).

IV. At sciens ipse figmentum nostrum , quo poenitendi virtus infirmatur , eam dignatus est gratia Sacramenti augere , suisque sic fidelibus ad eam ipsam exercendam magnas vires addidit (5). Potestatem idcirco ligandi , et solvendi Petro, et cunctis Apostolis , eorumque successoribus dedit , ut Ecclesia tam necessarium quoque Sacramentum perenne haberet. *Tibi dabo claves regni coelorum* , in primis inquit Petro (6) , *et quodcumque ligaveris super terram , erit ligatum , et in coelis , et quodcumque solveris super terram, erit solutum, et in coelis.* Cunctis deinde Apostolis ait (7) : *Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram , erunt ligata et in coelo ; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Tandem (8) *insufflavit , et dixit eis : accipite Spiritum Sanctum , quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

(1) Trid. *sess. 14. cap. 1. Fuit* poenitentia *universis hominibus , qui se mortali aliquo peccato inquinassent*, quovis tempore *ad gratiam, et iustitiam assequendam necessaria.*

(2) *Converte nos Domine ad te , et convertemur* , ait Ierem. *thren. 5. Ignoras* (scribit Paulus ad Roman. *cap. 2. vers. 4.*) *quoniam benignitas Dei ad* poenitentiam *te adducit ?* Idemque *2. ad Corinth. 3. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est.* Vide Trid. *sess. 6. can. 1., et 3.*

(3) Ierem. *cap. 18. vers. 8. Si* poenitentiam *egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam et ego poenitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* Ezechiel. *cap. 18. vers. 21., et seq. Si impius egerit* poenitentiam *ab omnibus peccatis suis , quae operatus est , et custodierit omnia praecepta mea , et fecerit iudicium , vel iustitiam: vita vivet, et non morietur , omnium iniquitatum eius non recordabor . . . numquid voluntatis meae est mors impii , dicit Dominus Deus , et non , ut convertatur a viis suis et vivat ?* Adde Ionam *cap. 3.*

(4) Matth. *cap. 4. vers. 17.* Poenitentiam *agite , appropinquavit enim regnum coelorum.* Lucae *cap. 13. v. 5. Nisi* poenitentiam *egeritis.* Rursus *cap. 3. vers. 19.*, poenitemini *et convertimini , ut deleantur peccata vestra.* Ibidem *cap. 51. vers. 18. Gentibus* poenitentiam *dedit Deus ad vitam.* Tum *cap. 17. vers. 30. Deus nunc annunciat hominibus , ut omnes ubique* poenitentiam *agant.* Ad Roman. cit. *cap. 2. vers. 4.*, Apocalips. *cap. 2. vers. 5., et seqq.*

(5) S. Thom. *par. 3. qu. 89. art. 1. ad 1.*

(6) Matth. *cap. 16. vers. 19.* — (7) Matth. *cap. 18. vers. 18.*

(8) Ioann. *cap. 20. vers. 21.*

Divinam Sacramenti huius institutionem in recitatis verbis sani vident omnes. *Duobus maxime Sacramentis*, scribit Hieronymus (1), *nobis sanguinem Christi applicari*, *in* Baptismate *scilicet*, *et in* Poenitentia, *quae imitatur* Baptismi *gratiam*. Constans est huiusce dogmatis traditio apud Patres omnes quum Graecos, tum Latinos (2).

V. Hinc palam est, quam infeliciter haereticorum dementissimi Lutherus, Zuinglius, et Calvinus hoc oppugnare Sacramentum cumprimis conati sunt (3). Tria primum Sacramenta Baptismi, poenitentiae, ac Panis agnoverat Lutherus, deinde sibimetipsi non constans duo tantum asseruit, expungens Poenitentiam ex eo, quod signo visibili, et divinitus instituto carere, et aliud non esse opinaretur, nisi viam, et reditum ad baptisma. Ambo alii audacius asserere non dubitarunt lapsis post Baptismum sufficere memoriam Baptismi ad remissionem peccatorum obtinendam sine alio expiationis remedio. Proh Dei, hominumque fidem! Absolutionis ministerium, quam praecedat utique oportet externa poenitentis confessio, et humiliatio, nonne signum est a Christo institutum? An non Christus ipse Petro inperavit (4) ut fratri peccata dimitteret non septies sed usque septuagies septies? Quid toties dimittendi praeceptum, ubi relapsus frater, Baptismo scilicet regeneratus, sola Baptismi recordatione ad pristinam redire gratiam ex sese posset, nec opus haberet dimissionem a Petro, Ecclesiae puta mini-

(1) Hieron. *in dialog. contra Pelagianos lib. 1.*

(2) Ex Graecis Chrysost. *lib. 3. de sacerdotio. Non solum sacerdotes*, ait, *cum regenerant*, *sed etiam postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem.* S. Cyrill. Alex. *lib. in Ioan. Duobus modis Dei spiritu afflati homines peccata remittunt*, *ac retinent*, *vel cum dignos admittunt ad* Baptismum, *et indignos excludunt; vel cum filios Ecclesiae peccantes corripiunt*, *ac* poenitentibus *ignoscunt.* Ex Latinis Tertull. *de poenit. cap. 7. Cum scias adversus gehennam post prima illa* intinctionis *dominicae monimenta esse adhuc in* exomologesi *secunda subsidia: cur salutem tuam deseris?* S. Ambrosius *lib. 1. de poenitentia cap. 8.*, Novatianos increpans, *cur baptizatis*, ait, *si per hominem peccata remitti non licet?.. Nec interest*, *utrum per* poenitentiam, *an per* lavacrum *hoc ius sibi datum sibi sacerdotes vindicent: unum in utroque ministerium est. Sed dices*, *quia in* lavacro *operatur mysteriorum gratia: quid in* Poenitentia? *nonne Dei nomen operatur?* S. Augustinus *lib. 2. de adulterin. coniug. cap. 16. Si a catechumeno factum est homicidium*, Baptismate *abluitur; si a baptizato*, Poenitentia *et* reconciliatione *sanatur.* S. Leo M. *ep. 91. ad Theodor. episc. Foroiul. multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis*, *ut non solum per* Baptismi *gratiam*, sed etiam *per* Poenitentiae *medicinam spes vitae reparetur aeternae*, can. *multiplex 49. de poenit. dist. 1.* Ceteri hac in re unanimes.

(3) Montanistae secundo exeunte saeculo primi omnium quum negassent in Ecclesia esse potestatem remittendi peccata, quae Poenitentiae Sacramento dat formam: eos propterea damnatos statim ab Asianis Episcopis, tum totius Ecclesiae iudicio fert Eusebius *hist. lib. 5.* Tertio deinde saeculo Novatiani peccata non omnia, sed graviora tantum remittere sacerdotes non posse, indulgentiamque erga lapsos in fide exitialem Ecclesiae esse blaterantes, anathemate profligati merito fuere iteratis Ecclesiae catholicae sanctionibus. Id quod Patres etiam Tridentini commemorant *sess. 14. cap. 1.*

(4) Matth. *cap. 18. vers. 21.*

sive, humiliter postulandi? *Confiteantur singuli, quaeso vos fratres*, aiebat S. Cyprianus (1), *delictum suum: dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti* confessio *eius potest, dum* satisfactio, et remissio *facta per Sacerdotes apud Dominum grata est, convertamur ad Dominum mente tota, et* poenitentiam *criminis veris doloribus* exprimentes, *Dei misericordiam deprecemur.*

VI. Stat igitur immotum Poenitentiae Sacramentum irritis hostium conatibus, quos iure meritissimo confixit Synodus Tridentina (2). *Si quis* itaque *dixerit in catholica Ecclesia Poenitentiam non esse vere, et proprie* Sacramentum *pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum, anathema sit.* Simul *si quis Sacramenta confundens ipsum Baptismum Poenitentiae Sacramentum esse dixerit, quasi haec duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari, anathema sit.* Itidem *si quis dixerit peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, sola recordatione, et fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.*

VII. Quod tres veri poenitentis actus, cordis *contritio*, oris *confessio*, et *satisfactio* praeseferant *signum sensibile*, sive (ut loquuntur scholae) *materiam*, aut *quasi materiam* (3) huiusce Sacramenti, operae pretium est, quo magis confundantur hostes, ostendere perpetua Ecclesiae traditione, et Scripturarum oraculis. *Perfecta Poenitentia*, docet Chrysostomus (4), *cogit poenitentem omnia libenter ferre; in corde eius* contritio, *in ore* confessio, *in opere toto* humilitas: *ut quibus modis Deum offendimus, corde, ore, opere, iisdem reconciliemur Deo: corde quidem per* contritionem, *ore per* confessionem, *opere per* satisfactionem. S. Augustinus (5) ait: *sanat* contritos *corde, sanat* confitentes, *sanat seipsos* punientes. Unanimis hac ipsa in re consensus Patrum omnium, qui singulos huiusmodi actus in sincera Poenitentia exigunt, non marte quidem suo, sed ex divinis oraculis nunc speciatim edisse rendis.

VIII. In primis ad *contritionem* quod attinet, quam Graeci συντριμμον, seu συντριψιν appellant, Dominus ipse per Ioelem (6) ait: *scindite* corda *vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum Deum vestrum.* Et David vero poenitens a Domino misericordiam sic precabatur: *cor* contritum, *et humiliatum Deus non despicies* (7) Isaias (8): *recogitabo tibi omnes annos meos in* amari-

(1) S. Cyprian. *tract. de lapsis.*

(2) Trid. *sess. 14. can. 1., et 2., et sess. 7. de Baptismo can. 10.*

(3) Eugenius IV. in decreto pro Armenis: *Poenitentiae materia,* inquit, *sunt actus poenitentis, qui in tres distinguntur partes.* Tridentini Patres *sess. 14. de sacr. Poenit. can. 4.*, tres actus in poenitente *quasi materiam* Sacramenti esse docent.

(4) Chrysost. *hom. de poenit.* in *can. 40. de poenit. dist. 1.*

(5) S. Aug. *ad psal. 146. vers. 3.*, ubi ea explicat verba: *sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.* — (6) Ioël *cap. 2. vers. 13.*

(7) Psalm. *50. vers. 19.* — (8) Isaias *cap. 38. vers. 15.*

tudine *animae meae.* Iob (1), *insipienter locutus sum*... *idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam.* Petrus *egressus foras flevit amare* (2). Quid sit Poenitentia, si quaeramus a B. Gregorio Nazianzeno (3) : *est baptismus lacrymarum*, inquit, *baptismus laboriosus.* S. Augustinus docet (4) *non sufficere ad poenitentiam, mores in melius commutare : nisi etiam de his, quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae* dolorem, *per humilitatis* gemitum, *per* contriti *cordis sacrificium.* Huc alludit illud cordatissimi Iuvenalis (5): peccatorum *prima est haec ultio, quod se iudice nemo nocens absolvitur.*

IX. Ex tridentina definitione (6) *contritio est animi dolor, ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cetero.* Causa, propter quam animus dolet, duplex est : vel scilicet *amor* Dei summi boni, gignens displicentiam filialem; plene voluntariam, et perfectam, vel *timor* irati Dei, poenasque minitantis, excutiens tristitiam servilem, coactam, et imperfectam, quae nuncupatur *attritio.*

X. Quoniam sacrae nos Litterae docent, quod *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (7), *et charitas operit multitudinem peccatorum* (8) : contritio idcirco perfecta Deum amantis illico ipsum Deo reconciliat ante Sacerdotis absolutionem, dummodo votum in corde suo is habeat saltem implicitum rite suscipiendi Sacramentum Poenitentiae (9), ex divino Legis evangelicae praecepto necessarium. Siquidem sine voto eiusmodi nemo quantumvis contritus, ad reconciliationis gratiam pervéniet : qui enim sese post lapsum renuat ostendere Sacerdoti, nec Christi Domini sermonem servat, neque ipsum revera diligit, ita in Evangelio docentem (10): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diligit eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus : qui non diligit me, sermones meos non servat.* Superfluam contrito Sacramenti necessitatem qui adhuc vel dubius putaverit, audiat S. Augustinum (11): *Videte genus resuscitationis*, ait, *processit Lazarus de monumento vivus, et ambulare non poterat, et Dominus ad discipulos* : solvite eum, *inquit*, et sinite abire. *Ille suscitavit mortuum, illi solverunt ligatum : ad quid pertineat, videte. . . Nonne post obiurgationes. . . homines incipiunt secum volvere, quam malam vitam gerant, quam pessima consuetudine premantur? deinde displicent*

(1) Iob *cap. 42. vers. 3., et 6.* — (2) Lucae *cap. 22. vers. 61.*
(3) S. Greg. Naz. *orat. 39.* — (4) S. Aug. *serm. 351. num. 12.*
(5) Iuvenal. *sat. 13. vers. 2. et 3.* — (6) Trid. *sess. 14. cap. 4.*
(7) Ioan. *ep. 1. cap. 4. vers. 16.* — (8) I. Petri *cap. 4. vers. 8.*
(9) Trid. *cit. sess. 14. cap. 4.* — (10) Ioannis *cap. 14. vers. 23.*
(11) S. Aug. *serm. 44. de verbis Domini.* Consonat S. Gregorius M. *hom. 26. in Evang.* inquiens : *Qui vivens egressus fuerat Lazarus, postmodum a discipulis solutus est : ex qua consideratione intuendum est, quod illos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat.*

sibi, mutare vitam instituunt : resurrexerunt iam isti, revixerunt, quibus displicet quod fuerunt : sed reviviscentes ambulare non possunt : haec sunt vincula, ipsius reatus. Opus est ergo, ut qui revixit, solvatur et ire permittatur: hoc officium discipulis dedit, quibus ait : quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in coelo.

XI. Ad *attritionem* quod spectat : Deus O. M. deficientes in eo ipso diligendo animos nostros extimulat, erigitque metu gehennae, iactura beatitudinis aeternae, foeditate scelerum, et colluvie, ceteris irae suae flagellis. *Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me,* ait Dominus ipse ad Moysem (1). Tum Moyses (2), *ut probaret vos,* populo inquit, *venit Deus, et ut terror illius esset in vobis, et non peccaretis.* David exin orabat (3) : *confige timore tuo carnes meas: a iudiciis enim tuis timui.* Idemque rursus psallebat (4): *Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum.* Iterumque (5) : *ecce oculi Domini super metuentes eum, et in eis, qui sperant super misericordia eius.* Mox Ecclesiasticus (6): *plenitudo sapientiae est timere Deum... timor Domini super omnia.* Ecclesiastes (7) : *time Deum, et mandata eius observa : hoc est enim omnis homo* Iob (8) : *ecce timor Domini ipsa est sapientia.* Hinc a Tertulliano (9) : scitissime *timor fundamentum salutis* esse dicitur.

XII. Ad rem vero nostram est sedulo distinguendus a *servili,* et involuntario *timor filialis*, et voluntarius. Nam ille *servilis* cupidinem peccandi non tollit, sed absconditam intrinsecus celat : *filialis* autem voluntatem prorsus avertit a malo ad bonum. S. Augustino melius nemo alterum ab altero quomodo secernamus, indicat (10). *Cum dicis mihi,* ait, *gehennam timeo, ardere timeo, in aeternum puniri timeo : quid dicturus sum? male times? vane times? non audeo, quandoquidem ipse Dominus,ablato timore* (mundano) *subiecit timorem, et dixit:* timete eum qui habet potestatem, et animam, et corpus mittere in gehennam ignis *: ita dico vobis, hunc timete . . . Sed interrogo te, si te non videret Deus, quando facis malum, nec quisquam te vinceret in iudicio illius, faceres ? tu te vide, inspice teipsum, faceres ? si faceres : ergo poenam times, castitatem nondum amas, charitatem nondum habes,* serviliter times, *formido mali in te est, nondum dilectio boni: sed time tamen, ut ista formido custodiat te, ut perducat ad dilectionem. Timor enim iste, quo gehennam times, et ideo mala non facis, continet te, et sic volentem peccare animum interiorem non sinit : est enim quidam custos timor, quasi paedagogus legis,*

(1) Deuteronomii *cap. 5. vers. 29.* — (2) Exodi *cap. 20. vers. 20.*
(3) Ps. 118. *vers. 120.* — (4) Ps. 33. *vers. 9.* — (5) Ps. 32. *vers. 18.*
(6) Ecclesiastici *cap. 1. vers. 20.*, et *cap. 25. vers. 14.*
(7) Ecclesiastes *cap. ult. vers. 14.* — (8) Iob *cap. 28. vers. ult.*
(9) Tertull. *de cult. foeminar. cap. 2.*
(10) S. August. *serm. 18. de verbis Apostoli.* Filialem timorem explicans S. Basil. *comm. in psalm. 33.*, ait, *quemadmodum qui corporis membra habent clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea habent : sic ii, quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccandi occasionem vitant.*

littera est minans, nondum gratia iuvans: custodiat tamen timor iste, dum non facis timendo, et veniat charitas. Idemque alibi (1): *Timor locum praeparat charitati: timor ideo intrat, ut charitatem introducat: si nullus est timor, non est qua intret charitas.*

XIII. Quaestio inter Theologos nostros (quam sane abstinuit synodus Tridentina definire, et Alexander VII. die 5. Maii 1667. futuro Sedis Apostolicae iudicio integram reliquit cum innocua interim libertate disputandi) adhuc versatur, sufficiat, ne poenitenti attritionem timore conceptam adferre ad Sacramentum Poenitentiae? Quidquid hinc, et hinc disputant probabilibus argumentis, possumus, ni fallor, probe conciliare ope distinctionis Augustinianae: si nempe negantem opinionem timori servili, et involuntario, affirmantem filiali, et voluntario accommodemus. Reiecto enim eo timore improbo, qui pravam peccandi voluntatem non deponit: timor alius probissimus, animum interiorem a peccando prorsus revocans, et locum idcirco praeparans charitati, non video, cur poenitentem possit a misericordia Dei, et sacramentali gratia removere. In hanc sententiam propendisse Patres etiam tridentinos arguimus ex duobus contra lutheranos editis canonibus (2). *Si quis dixerit*, aiunt, *gehennae metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Tum *si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur... ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, et aeternae damnationis incursum, cum proposito melioris vitae, non esse verum, et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypochritam, et magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum, et non liberum, ac voluntarium, anathema sit.* Adde suffragium Alexandri VIII, qui hasce duas propositiones proscripsit. XIV: *Timor gehennae non est supernaturalis.* XV: *Attritio, quae gehennae, et poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei, propter se non est bonus metus, ac supernaturalis* (3). Cui bono autem cieretur a Deo motus iste supernaturalis, nisi prodesset poenitentibus ad gratiam sacramentalem? Christus Dominus nova lege, quae iugum est suave, onusque leve, Sacramentum hoc idcirco instituit, ut lapsos homines ad Deum timendum, quam amandum proniores attritione, saltem formidolosa perduceret ad reconciliationem, eorumque in confitendo erubescentiam remuneraretur gratia Sacramenti uberiore. Enim-

(1) S. Aug. *tract. 9. in ep. Ioannis.*

(2) Trid. *sess. 6. can. 8, sess. 14. can. 5.*

(3) Supernaturalis utique metus dicitur, quem causae dumtaxat supernaturales ad aeternam vel poenam, vel beatitudinem pertinentes ingenerant. Enimvero caussae naturales, puta infamia, vel iactura quum salutis corporeae, tum rerum temporalium, cetera id genus terrena mala, quantumvis honestae, nequeunt spiritualem attritionis effectum producere, nec locum habere in poenitentia sacramentali. Quare Innocentius XI. meritissime damnavit propositionem LVII. ita conceptam: *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.*

vero *sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione, eiusque adiutorio hominem nec credere, aut sperare, nec diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur*, docet catholica Ecclesia (1).

XIV. Quoties igitur inest sincerum in attritione propositum emendationis : tunc poenitens dum humiliter confiteatur peccata sua, iam incipit Deum diligere, beneficioque Sacramenti ex attrito sensim fieri contritus praesumitur. Nam *timor Dei initium dilectionis eius* (2). Hactenus dictis adversari videtur illud B. Ioannis Apostoli (3): *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor poenam habet ; qui autem timet, non est perfectus in charitate.* At hunc locum explicans S. Augustinus (4) : *Ergo* timor (ait) non est in charitate : *sed in qua charitate? non in inchoata. In qua igitur?* Perfecta, *inquit*, charitas foras mittit timorem. *Ergo incipiat timor, quia* initium sapientiae timor Domini: *timor quasi locum praeparat charitati : cum autem coeperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei praeparavit locum. Per Poenitentiae Sacramentum*, docet S. Thomas (5), *numquam datur gratia, nisi praeparatio adsit, vel prius fuerit... Unde si ante absolutionem aliquis non fuisset perfecte dispositus ad gratiam suscipiendam, in ipsa confessione, et absolutione sacramentali gratiam consequeretur, si non obicem poneret.* Rursus alibi monet (6), quod Sacerdos *eum non debet absolvere, in quo signa contritionis non videt, per quam homo iustificatur a Deo culpa remissa .... quandoque aliqui consequuntur iustificationem in ipsa absolutione, quam ante non fuerant assecuti.*

XV. Qui a timore ad dilectionem non progreditur, ponens obicem voluntatis suae ad malum adhuc pronae, ei frustra quidem erit attritio. Nam *qui non diligit, manet in morte*, scribit Ioannes (7). Et Paullus (8) *non accepistis*, ait, *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei . . . Plenitudo legis*

(1) Syn. Trid. *sess. 6. can. 3.*

(2) Ecclesiastici *cap. 25. vers. 16.*

(3) Ioan. *ep. 1. cap. 4. vers. 18.*

(4) S. Aug. *tract. 9. in ep. 1. Ioannis.* Adde S. Greg. M. *lib. 1. moral. cap. 27.* haec scribentem: *Sancta electorum Ecclesia simplicitatis suae, et rectitudinis vias timore inchoat, sed charitate consumat, cui tunc est funditus a malo recedere, cum ex amore Dei coeperit iam nolle peccare. Cum vero adhuc timore bona agit, a malo penitus non recessit: quia eo ipso peccat, qui peccare vellet, si peccare inulte potuisset.*

(5) S. Thom. *par. 3. in supplem. qu. 18. art. 1. in C.*

(6) Idem *opusc. 22. cap. 2. in resp. ad arg. 7.* Tum in 1. 2. *qu. 113. art. 10 in C.* haec alia habet : *Est iste communis, et consuetus cursus iustificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum; primo quidem conversione* imperfecta, *ut postmodum* ad perfectam *deveniat : quia charitas* inchoata *meretur augeri, ut acta mereatur* perfici.

(7) Ioann. *ep. 1. cap. 3. vers. 14.*

(8) *Ep.* ad Romanos *cap. 8. vers. 15, et cap. 13. vers. 10.*

est dilectio. Rursus inquit (1): *Finis praecepti est charitas de corde puro.* Hinc intelligere est, cur virtutes cunctae morales superno afflatu elicitae ad unam charitatem, sicuti ad finem media, reapse tendunt. Et quemadmodum Philosophi tenent medium participare aliquid de fine: ita quemcumque virtutis actum participare aliquid de charitate, docet S. Thomas (2).

XVI. *Confessio*, pars altera Poenitentiae sensibilior, ex divino praecepto necessaria, quam Graeci ἐξομολόγεσιν quandoque appellant (3): est accusatio suarum omnium iniquitatum verecunda, et sincera apud sacerdotem pro absolutione obtinenda. Necessitatem huiusmodi confessionis iure divino indictam operae pretium est nunc ostendere. Ad discipulos suos ait Christus Dominus (4): *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: et si poenitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te*, dicens: *poenitet me, dimitte illi.* Exinde Ioannes scribit (5): *Si* confiteamur *peccata nostra, fidelis est, et iustus, ut remittat nobis peccata nostra.* Mox addit: *Qui* scit *fratrem suum peccare peccatum non ad mortem*, petat, *et dabitur ei vita peccanti non ad mortem*, puta non obstinato in voluntate peccandi. An non perspicua sunt haec evangelica oracula?

XVII. Praeterquam quod ea alia Christi verba ad Petrum, suosque discipulos iterata: *quaecumque solveritis*, vel *ligaveritis*, *erunt soluta*, vel *ligata:* nonne implicitam, sed indubiam continent necessitatem illis patefaciendi quaecumque ii ipsi solvere, aut ligare debebunt? Si discipulus Christi sacerdos, et iudex, et frater est poenitentium: malefacta eorum singula cognoscat necesse est, ut et congruum de unoquoque peccato iudicium vel absolutionis, vel ligaminis proferre, poenasque satisfactionis moderari valeat; et opportunam suggerere correctionem. *Qui abscondit scelera sua*, ait Salomon (6), *non dirigetur: qui autem* confessus *fuerit, et reliquerit ea, misericordiam consequetur... iustus, prior est accusator sui.* Simul Ecclesiasticus monet (7): *Non confundaris* confiteri *peccata tua, et ne subiicias te omni homini pro peccato.* Ei ergo homini, qui facultatem habeat dirigendi, et absolvendi, confitearis, eique te subiicias, praeterea nemini. Isto etenim sensu accipiendum est illud Iacobi effatum (8): confitemini *alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salve-*

(1) Ad Timoth. *ep. 1. cap. 1. vers. 5.*
(2) S. Thom. *par. 3. dist. 26. art. 2. ad 3.*
(3) LXX. Interpretes Bibliorum ἐξομολογησιν pro confessione laudis dixere, ut eam distinguerent ab ἐξαγορευση, quod confessionem culparum proprie sonat. At Apostoli, primique Ecclesiae Patres in utroque sensu confessionis, et laudis, et culparum ἐξομολογησιν usurparunt, ex traditis a Morino *lib. 2. cap. 2. num. 3.* Vid. Carolum Blascum *to. 2. opus. dissert. 1. de poenitentia.*
(4) Lucae *cap. 17. vers. 3., et 4.*
(5) *Ep. 1.* Ioann. *cap. 1. vers. 9., et cap. ult. vers. 15.*
(6) Proverb. *cap. 28. vers. 13., et cap. 18. vers. 17.*
(7) Ecclesiastici *cap. 4. vers. 31.*
(8) *Ep. 1.* Iacobi *cap. 5. vers. 16.*

mini. Quid inquies? confusionem ne times? *Pro anima tua ne confundaris dicere verum : est enim confusio. . . adducens gloriam, et gratiam*, ait Ecclesiasticus (1).

XVIII. Hebraeos etiam sacrificio arietis expiandos in veteri Testamento Deus ad confessionem delictorum adigebat. *Loquere ad filios Israel*, dixit Moysi (2) : *vir, sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quae solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint*, confitebuntur *peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccaverunt. Sin autem non fuerit, qui recipiat, dabunt Domino, et erit Sacerdotis ; excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia.* Pro expiando insuper quotannis populo iussit oblationem hirci emissarii hac lege, ut Aaron *posita utraque manu super caput eius*, confiteatur *omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta, atque peccata eorum, quae imprecans capiti eius, emittet illum per hominem paratum in desertum* (3). Nil itaque mirum, si poenitentiam a praecursore Domini Ioanne Baptista nunciatam amplexi, *baptizabantur ab eo in Iordane*, confitentes *peccata sua* (4). His ita se habentibus, quisnam, nisi demens, abnegaverit oralem confessionem poenitentibus reconciliandis iure divino utriusque Testamenti praescriptam?

XIX. Idipsum ostendit apertius traditio Patrum superius iam delibata (5), nunc adhuc resumenda paullulum. S Irenaeus (6) quasdam corruptas a Marco haeresiarcha mulieres memorans, *quae deinde*, ait, *conversae ad Ecclesiam Dei saepissime turpes amores* confessae sunt. Mox de cuiusdam diaconi uxori loquitur, *quae deinde magno fratrum labore conversa, omne tempus* in exomologesi *consummavit, plangens, et lamentans propter hanc, quam passa fuerat ab hoc mago corruptelam.* Tertullianus (7) *plerosque* conqueritur, *et abhorret publicationem sui, aut suffugere, aut de die in diem differre, pudoris magis memores, quam salutis. . . an melius est*, ait, *damnatum latere, quam palam absolvi?* Origenes (8), *dum accusat semetipsum*, inquit, *et* confitetur, *simul evomit, et delictum, atque omnem morbi digerit causam. . . proba prius medicum, cui debeas*

(1) Ecclesiastici *cit. cap. 4 vers. 24.*

(2) Numeror. *cap. 5. vers. 6. ad 8.* Quo spectat et illud Levitici *cap. 19. vers. 21., et 22. Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi arietem ; orabitque pro eo sacerdos, et pro peccato eius coram Domino, et repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum.* Illudque aliud quoque Levit. *cap. 26. vers. 40. Tabescent in iniquitatibus suis . . . donec* confiteatur *iniquitates suas . . . donec* erubescat *incircumcisa mens eorum.*

(3) Levitici *cap. 16. vers. 21.*

(4) Hoc eodem *tit. num. V. et VII.*

(5) Matthaei *cap. 3. vers. 6.*

(6) S. Irenaeus *lib. 1. contra haeres. cap. 9., et lib. 3.* de Cerdone haeretico fert eadem.

(7) Tertull. *de poenitentia cap. 10.*

(8) Origenes *hom. 2. in psalm. 37*, ea exponens verba : *iniquitatem meam annuntiabo.*

causam languoris exponere, *qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente.* S. Basilius (1): *omnino in peccatorum* confessione *eadem ratio est, quae in apertione vitiorum corporis... etiam peccatorum* confessio *fieri debet apud eos videlicet, qui ea possint curare... Necessario iis peccata* aperire *debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* S. Gregorius Nyssenus (2): *tu vero, cuius animus aeger est, cur non ad medicum properas? cur non ei* confitendo *morbum ostendis tuum?* Chrysostomus (3): *cuiusmodi est medicamentum Poenitentiae, et quomodo conficitur? primum ex suorum peccatorum condemnatione, et* confessione *... nam si peccatum fueris* confessus, *ut oportet* confiteri, *fit humilis anima.* S. Hieronymus (4): *si tacuerit qui percussus est, et non egerit poenitentiam, nec vulnus suum fratri, et magistro voluerit* confiteri: *magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit... quod ignorat medicina non curat.* S. Augustinus (5): *tu agnosce medici manum*, confitere, *exeat in* confessione, *et defluat omnis sanies.* Ceteri passim (6).

XX. In meridianum ergo solem quid furunt nebulones, praesertim Wicleffus, et Calvinus? Negant ambo confessionem auricularem iuris esse divini, humanoque ingenio inventam aiunt. Tum ille superfluam, et inanem, hic perniciosam dicere ausi sunt. Foedo simul mendacio iactat hic eam arbitrio priscorum fidelium relictam, ut liberam efficiat. Quia fluctuante animo Lutherus modo necessitatem confitendi, vel reipsa, vel in voto, divinumque praeceptum abnuit, modo suasit confessionis, et absolutionis sacerdotalis usum: eius asseclae, in his Kemnitius, et Brentius, vix generalem peccatorum accusationem cum omnium, et singulorum reticentia malunt retinere. Wicleffum execrata est Synodus Constantiensis (7), ceteros omnes Tridentina (8). Duabus ii abutebantur argutiis. Primo iactabant, quod necessitatem confitendi tertio saeculo Episcopi, ut Novatianis obviam irent, instituissent; mox quarto saeculo Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus, Chrysostomi praecessor, poenitentiario presbytero aboleto, reliquisset cuiusque arbitrio libertatem ad Sacramentorum communionem accedendi;

(1) S. Basil. *in reg. brevior. interrog. 229., et 288.*

(2) S. Greg. Nyss. S. Basilii frater *serm. adversus eos, qui alios acerbius iudicant.*

(3) S. Io. Chrys. *hom. 9. in ep. ad Hebraeos.*

(4) S. Hieronym. *in cap. 10. Ecclesiastis, can. venit 45., et can. secunda 72. de poenit. dist. 1.*

(5) S. August. *enarrat. in psal. 66. can. si cui 30, et can. agite 44. ibid.*

(6) S. Cyprianus in *can. numquid. 26.*, S. Ambrosius *in can. non potest 38. et can. serpens 46.*, S. Leo *in can. multiplex. 49., can. sufficit. 61., et can. quamvis 89.*, Prosper. in *can. porro 31.*, Theodorus Cantuariensis *in can. quidam Deo 90., et ult. de poenit. dist. 1.*

(7) Syn. Constant. eam septimam haeresiarchae propositionem proscripsit: *Si homo debite fuerit contritus, omnis* confessio *exterior est sibi superflua, et inutilis.*

(8) Trid. *sess. 14. can. 6. Si quis negaverit* confessionem *sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse Iure divino, aut dixerit*

eamque omnes fere Episcopi exinde probassent (1). Secundo nitebantur adstruere, quod Deo soli occulta deberent homines peccata sua confiteri, tum ex detortis sacrarum Litterarum locis, tum ex divi Chrysostomi sententia (2). At priorem refellunt argutiam nedum evangelica oracula, et prisca testimonia quum SS. Irenaei, et Cypriani, tum Tertulliani, et Origenis, aliorumque iam prolata, quae antiquiorem saeculo III. consuetudinem necessariae confessionis sacramentalis ostendunt, sed res etiam a Nectario, et ceteris Episcopis gestae, quippe qui publicam dumtaxat confessionem, non vero auricularem, aut vitanda scandala sustulerunt. Posteriorem difficultatem, nefas omnino est tot obiicere patentibus Scripturis, Patrumque sententiis. Chrysostomi autem homilia, ut evidens est, non ad baptizatos poenitentes spectat, sed ad baptizandos catechumenos, quos lex Evangelii ad confessionem haudquaquam obstringit. Eamque a sancto Doctore, dum adhuc presbyter is esset, Antiochiae recitatam, esse liquet, sed an priusquam Nectarius poenitentiarium suppressisset, vel res Constantinopoli acta innotuisset Antiochiae, id incertum est.

XXI. Ut proba, et rata sit confessio : poenitens cuncta, quorum conscius, et memor est, *lethalia* peccata sigillatim debet omnino ex divini praecepti necessitate Sacerdoti aperire ; *leves* autem, *venialesve* culpas ex consilio tantum, si velit, utiliter confitebitur ex tridentinis declarationibus (3). Hinc scholae *remotam* huius Sacramenti *materiam*,

modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper observavit, et observat, alienum esse ab institutione, et mandato Christi, et inventum esse humanum, anathema sit.

(1) Socrates *lib. 5. hist. cap. 19. Ab illo tempore*, scribit, *quo Novatiani se ab Ecclesia seiunxerant, et recusaverant cum iis communicare, qui tempore persecutionis lapsi erant, Ecclesiarum Episcopi canoni adiunxerunt, ut in singulis Ecclesiis presbyter esset* poenitentiarius, *qui poenitentiae praesset; cui videlicet lapsi post Baptismum peccata sua confiteri tenerentur. Episcopi, qui nunc Ecclesias regunt, cum hoc institutum diu retinuissent, tandem Nectarii Episcopi temporibus abrogarunt propter facinus quoddam, quod in Ecclesia commissum fuerat* (puta electionem Diaconi, quem stupri correum mulier confessione detegerat). *Populus vero graviter commoveri coepit . . . Eudoemon quidam Ecclesiae presbyter Episcopo Nectario persuasit, ut* poenitentiarium *presbyterum* aboleret, *unumquemque vero pro arbitrio, et animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem accedere permitteret.* Sozomenus *lib. 7. cap. 16. Per idem tempus*, ait, *Nectarius Constantinop. Episcopus presbyterum illum, qui praepositus erat poenitentibus, primus ex Ecclesia sustulit. Cuius exemplum omnes fere Episcopi sunt secuti.* Num vero Socrates, et Sozomenus submotam a Nectario confessionem, quae ad aures Episcopi, alteriusve presbyteri fieret, hic enarrant? Minime gentium.

(2) Chrysostom. *hom. 21. ad popul. Antioch. Neque hoc tantum est admirabile*, ait, *quod nobis peccata dimittit Deus, verum et quod ipsa non revelat, nec manifesta facit, aut conspicua, nec cogit in medium procedentes, quae peccavimus, enunciare : sed sibi soli rationem reddere nos iubet, et sibi confiteri... solo nostro testimonio contentus est.*

(3) Trid. *cit. sess. 14. cap. 5. Oportere*, docet, *a poenitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus*

eamque *necessariam* lethalia, *voluntariam* vero esse venialia dicunt (1).

XXII. Quaestio in eisdem scholis est, an peccatorum adiuncta quaelibet, seu circumstantia, nedum quae speciem mutant, sed etiam quae aggravant solummodo, sint a confitentibus exprimenda? S. Thomas (2) scribit *circumstantias aggravantes, quae aliam speciem peccato non tribuunt, vel quae tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non esse de necessitate confessionis, et easdem confiteri solius perfectionis esse, sicut de venialibus dictum est.* Tridentina synodus videtur huic opinioni favere, ubi anathema fulminat in eum, qui dixerit *necessarium non esse Iure divino confiteri omnia, et singula peccata mortalia . . .* et circumstantias, *quae peccati* speciem *mutant* (3). At Catechismus Romanus (4) valde aggravantes quoque aperiendas monet, inquiens: *neque vero solum peccata gravia explicare oportet, verum etiam illa, quae peccatum* circumstant, *et pravitatem* valde augent, *vel minuunt.* Paulloque post in exemplo furti addit indicandam fore non modo pecuniae sacrae qualitatem, quae alteram sacrilegii speciem furto addit: sed et quantitatem pecuniae, quae levius, vel gravius efficit furtum simplex. Tum in actis suis constituit (5) divus Carolus *confessarium scire debere circumstantias, aut* speciem mutantes *peccati, aut illud notabiliter* aggravantes: *quia illae circumstantiae necessario in confessione declarari debent.* Dominicus Sotus (6): *omnis*

duo ultima Decalogi praecepta commissa, quae nonnunquam animum gravius saucrant, et periculosiora sunt iis, quae in manifesto admittuntur. Nam venialia, *quibus a gratia Dei non excludimur, et in quae frequentius labimur, quamquam recte, et utiliter, citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur*, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. *Verum cum universa mortalia peccata etiam* cogitationis *homines irae filios, et Dei inimicos reddant: necessum est omnium etiam veniam cum* aperta, et verecunda *confessione a Deo quaerere.* Videsis ibidem *can. 7.* Innocentius II. *falsam poenitentiam* dixit, *cum spretis pluribus de uno solo poenitentia agitur, can. fratres 8, et ult. C. 33. qu. 3. de poenitentia dist. 5.*

(1) In utriusque peccatorum speciebus discernendis toti sunt Theologi morales qui opinionum plus minus, vel aeque probabilium disputationibus innumeris negotium maximopere facessunt. Satius fortasse foret christianis moribus characteres virtutum, vitiorumque adversantium enormitatem patefacere, simul praecepta quum naturalia, et divina, tum humana, pura puta suis ex fontibus haurienda, poenasque canonicas cum priscis Patribus edisserere, quam in recentiorum quaestiunculis insudare.

(2) S. Thom. *in 4. sent. dist. 16. qu. 3. art. 2. quaestiunc. 5.*

(3) Trid. *loc. cit. can. 7.* Idemque *cap. 5.* refellit dicentes, *circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse.*

(4) Catechism. *part. 2. de Sacr. Poenit. num. 47., et seq.*

(5) S. Carol. *actor. par. 4. in instruct. ad Confessar.*

(6) Dom. Soto in *4. Sent. dist. 18. qu. 2. art. 4.*, cui subscribit N. Alexander *to. 4. theol. dogm., et moral. lib. 2. de Sacr. Poenit. cap. 5. art. 6. §. 1.* Ex antiquis theologis Petrus Blesensis *in tract. de confess.* saeculo XII. haec habet: *Omnes* circumstantias *peccatorum is, qui confitetur, aperiat, causam, locum, tempus, modum, et quidquid mensuram reatus* exaggerat. *Sic enim B. Augustinus* (recius qui sub nomine Augustini latet *auctor libri*

circumstantia, inquit, *notabili modo ad iudicium sapientis aggravans peccatum*, *sive* mutet, *sive* non mutet speciem, *est necessario confitenda*: hancque antiquiorum theologorum sententiam fuisse. *Et licet S. Thomas contrarium scripserit* in 4. sent. *quum iunior esset*: *fortasse* in Summa, *quae suum erat postremum testamentum mutasset.* Si Patres Tridentini de prioribus speciem mutantibus loquuti, non siluissent alteras in quaestione positas: huic posteriori sententiae prono animo subscriberem.

XXIII. Si sciens prudens aliquod quis peccatum in confessione reticeat: non modo nullam de confessis veniam promeretur, sed novum quoque serit sacrilegii crimen (1). At inculpata poenitentis oblivio nullatenus impedit, quin singula, quae memoria tenet, sincere confessus plenam assequatur absolutionem de occultis etiam, et oblitis (2), hoc pacto, ut ubi reminiscetur, ea debeat exinde confiteri (3). Quemadmodum et in articulo mortis absoluti, quos confiteri non siverit vis morbi, vel urgens periculum, postquam convaluerint, supplere confessionem coguntur (4). Et quoties conscius erit quispiam sese ad Poenitentiae Sacramentum vel sine sufficiente cordis dolore, aut emendationis proposito accessisse, vel aliquid mortale peccatum dolo, vel erubescentia reticuisse: integram denuo confessionem iterare debebit. Itaque divinum integrae confessionis praeceptum non impossibile, sed facillimum, non carnificina aegri animi, ut blasphemant impii, sed solatium est, ac medicina saluberrima.

XXIV. Priscorum fidelium ardor eos ultro ducebat ad publicam in Ecclesia confessionem, adeo ut sua singulorum peccata ex scriptis libellis, adstante Clero per Episcopum, vel Poenitentiarium recitari palam ferret aequo animo (5); et quo ipsi ad sic evulganda crimina essent proniores, eo mitius in operum satisfactione tractarentur (6). Eam vero consuetudinem quum plerique iam odissent: S. Leo M. in medio saeculo quinto abolendam fore censuit, secretamque sacerdotis auribus

de vera, et falsa poenit. *cap. 14.*) *poenitens suorum criminum exprimat qualitatem in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personae, etc.*

(1) Trid. *cit. sess. 14. cap. 15. et can. 7.*

(2) Trid. *ibid.*

(3) In damnatis ab Alexandro VII. propositionibus ita se habet XI: *Peccata in confessione* omissa, *seu* oblita *ob instans periculum vitae, aut ob aliam causam, non tenemur in confessione exprimere.* Obliviosi eam Apostoli sententiam prae oculis habeant: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, 1.* ad Corinth. *cap. 4. vers. 4.*

(4) Syn. Carthagin. IV. in *can. is qui poenitentiam 8. C. 26. qu. 6. Poenitentes, qui* (ait) *in infirmitate viaticum Eucharistiae acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.* Consonant Synodus Martini Bracarensis in *can. si quis 6.*, et Arausicana in *can. qui recedunt 7. eadem C. et qu.*

(5) Liquet ex supradictis *num. XX.*

(6) S. Greg. M. Sabiniano Episcopo, rescribens in *can. presbyterum 3. dist. 50.*, *circa quem tamen mitius agendum est*, ait, *quia commissum facinus facti dicitur professione confessus.*

confessionem sufficere (1). *Nec satis consulte humana aliqua lege praeciperetur, ut delicta, praesertim secreta, publica essent confessione aperienda*, quum non sit divino id praecepto mandatum, docent Patres tridentini (2). Vix ubi Confessarii linguam poenitentis omnino ignoraverint, fas est interpretem adhibere. Docens posse confessionem sacramentalem fieri per litteras absenti Confessario, excommunicationem ipso facto incurrit, a Clemente VIII. latam (3).

XXV. Unicam quotannis confessionem paschali tempore cunctis fidelibus praecipit Ecclesia ex consuetudine vetustissima. Innocentius I. (4) ineunte saeculo V., *de poenitentibus*, ait, *qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus poenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante* Pascha *eis remittendum, Romanae Ecclesiae* consuetudo *demonstrat... Sane si quis in aegritudinem inciderit, atque usque ad desperationem devenerit, ei est ante tempus* Paschae *relaxandum, ne de hoc saeculo absque communione discedat.* Tum Willelmus Parisiensis Episcopus suis constitutionibus id etiam decrevit (5). Vide quam toto coelo aberrent effutientes, et annuae, et auricularis confessionis praeceptum non ante saeculum XII. Lateranensi Concilio sub Innocentio III. (6) editum! Eos idcirco diris devovit meritissime synodus Tridentina (7).

(1) S. Leo in *can. quamvis 89. dist. 50. Quamvis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen, quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea qui poenitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis sua facta reserare. Sufficit enim illa confessio, quae primum Deo offertur, tum etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentiam precator accedit.* Id quod alia itidem ratione suasit Chrysostomus *hom. 31. in ep. ad hebraeos*, inquiens: *Non dico tibi, ut peccata tua tanquam pompam in publicum proferat, neque ut apud alios te accuses, sed suadeo, ut pareas Prophetae dicenti:* revela Domino viam tuam: *apud Deum ea confitere, apud* iudicem *confitere peccata tua, orans . . . ut tui misereatur.* Sunt qui istud: *apud iudicem confiteri:* ad Deum, non ad sacerdotem Dei ministrum referre *perperam* student.

(2) Trid. *cit. cap. 5. sess. 14.*

(3) Clem. VIII. in *const. sanctissimus 87.* in Bull. Rom. Cherub.

(4) Innoc. I. *ep. ad Decentium cap. 7.*

(5) *To. 26.* Conc. *can. 3.*, antiqua constitutio Episcopi Parisiensis ita se habet. *Presbyteri parochianos suos moneant, ut frequenter in Ecclesiis suis denuncient, quod omnes saltem paterfamilias, et matres ad Confessionem veniant ante Pascha floridum: et qui in hoc negligentes fuerint, in poenam usque post octavas Paschae ad Confessionem non admittantur, sed usque ad illud tempus a carnibus ieiunabunt, sicut in quadragesima.* Apud Emm. Gonzalez in *not. ad cap. omnis utriusque sexus 7. de poenit., et remis.*

(6) In *cap. omnis utriusque sexus 12., de poenit., et remiss.* ibi: *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem* semel in anno *fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere.*

(7) Trid. *loc. cit., et can. 8.*: *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, et singulos utriusque*

Idem praeterea Concilium Lateranense IV. monendos decrevit infirmos a medicis corporum ante omnia : *ut medicos advocent animarum , cum infirmitas corporalis* , ait , *nonnumquam ex peccato proveniat:* alias negligens medicus , *tamdiu ab ingressu Ecclesiae arceatur*, interdicto nimirum ferendae sententiae, *quamdiu satisfecerit competenter* (1). S. Pius V. anno 1566. excommunicationem ipso facto , sibique reservatam sanxit in medicos , post tertiam infirmi visitationem a cura ipsius , qui monitus omiserit Sacramentum Poenitentiae interea suscipere , non abstinentes (2). Eam constitutionem Pianam Benedictus XIII. observandam decrevit in Synodo Romana (3).

XXVI. *De satisfactione*, quae Poenitentiam perficit, dicendum nunc superest. Æqua iustitiae ratio postulat, ut qui Deo iniuriam intulit pravis operibus , bonis honorem deferat , quae iniquitatibus membra inservierunt , virtutibus famulentur , corpusque scelestis voluptatibus affectum acerbitatibus torqueatur. Hac naturali ratione intelligimus, cur Deo reconciliati per poenitentiam peccatores , obtenta licet remissione poenae apud inferos aeternae , temporarias adhuc poenas pro reliqua expiatione teneantur vel in hac , vel in altera vita luere. Id quod sacris etiam Litteris docemur. Sapientia Dei , tradit Salomon , Adamum *eduxit a delicto suo* (4) : at non a spinis , et tribulis terrae , neque a laboribus , et sudore vultus , neque a reditu in pulverem , poenis nimirum temporariis superbiam , voluptatemque in vetita comestione conceptam expurgaturis. *Dimisi iuxta verbum tuum* , ait Dominus ad Moysem (5) , *attamen omnes homines. . . qui tentaverunt me iam per decem vices , nec obedierunt voci meae , non videbunt terram , pro qua iuravi patribus eorum... in solitudine hac iacebunt cadavera vestra. . . filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta , donec consumantur cadavera patrum in deserto.* Davidi Nathan : *Dominus transtulit peccatum tuum , non morieris : verumtamen... filius , qui natus est tibi , morte morietur* (6). Rex inde cinerem tamquam panem manducare , afflictus, et curvatus usque in finem, rugiens a gemitu , ad Dominum clamabat (7); *miserere . . . ecce enim veritatem dilexi-*

sexus fideles , iuxta magni Conc. Later. constitutionem , semel in anno , et ob id suadendum esse christifidelibus , ut non confiteantur tempore Quadragesimae anathema sit.

(1) Conc. Later. IV. in *can. cum infirmitas 13. de poenit., et remiss.*

(2) S. Pius V. in *const. super gregem dominicum 3. to. 2.* Bull. Cher.

(3) Bened. XIII. in Syn. Rom. *tit. 32. de poenit., et remiss. cap. 1.*

(4) Sapientiae *cap. 10. vers. 2.*

(5) Numeror. *cap. 14. vers. 22., et seqq.*

(6) 2. Reg. *cap. 12. vers. 13.* De quo ita S. Greg. M. *lib. 9. moral. cap. 27. Nequaquam igitur peccato parcitur , quia nullatenus sine vindicta laxatur. Sic David audire post confessionem meruit :* Dominus transtulit peccatum tuum : *et tamen multis post cruciatibus afflictus , reatum culpae, quam perpetraverat , exolvit , can. si peccatum David 82. de poenit. dist. 1.*

(7) Psalm. 50. *vers. 7.*, quae verba edisserens S. Augustinus *enarr. in psal. 50*, addit ore davidico : *hoc est , impunita peccata eorum* , etiam quibus *ignoscis , non reliquisti , sic prorogasti misericordiam, ut servares, et veritatem : ignoscis confitenti , ignoscis seipsum punienti.* Rationem addit Chryso-

sti. Ecclesiasticus monet (1): *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Quid plura?

XXVII. Iustum huiuscemodi satisfactionis vinculum potius obfirmavit, quam dissolvit nova lex gratiae. Portans enim iniquitates omnium Servator noster, et *tentatus per omnia pro similitudine absque peccato* (2), dum Deo Patri condignam dedit satisfactionem, et summa animae suae tristitia usque ad mortem, et corporeis tot cruciatibus in crucifixione consummatis: suo nos exemplo docuit, quomodo, et satisfacere pro nobismetipsis debeamus, sua nos quidem gratia ad satisfaciendum adiuturus. *Si enim omnis praevaricatio, et inobedientia*, inquit Apostolus (3), *accepit iustam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? . . . Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, et honore coronatum*, qui nuntiavit *nomen* Patris *fratribus* suis, *in medio Ecclesiae* laudavit eum, ut David praedixerat, *et non confunditur fratres* nos *vocare... unde debuit per omnia fratribus similari. . .* in *quo passus est ipse, et tentatus, potens est et iis, qui tentantur, auxiliari. . . Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit. . . et spiritui gratiae contumeliam fecerit? . . Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. . . . Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis repromissionem . . . Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit?... Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed moeroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae*. Idem rursus Doctor gentium (4): nos quidem fore spondet *cohaeredes Christi*: *si tamen compatimur, ut et conglorificemur:* quamvis existimet, quod *non sint condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam*. Nam *si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus*.

XXVIII. Qua igitur fronte audent Lutherani, et Calvinistae teterrimi necessitatem satisfactionis adimere poenitentibus? Undenam hauserunt, reclamantibus tot divinis, et apostolicis oraculis, illas blasphemias? I., quod a Deo peccata, nonnisi cum omnimoda poenae tam aeternae, quam temporalis remissione condonari? II., quod plenariae Redemptoris satisfactioni iniuria sit satisfactio poenitentium? III., quod

s'omus *hom. de poenit.*, *et confess.* inquiens: *Ne post peccata efficeremur deteriores, si inulta ea relinquerentur, nobis Deus supplicium non remisit... propter hoc imponit poenam.*

(1) Ecclesiast. *cap. 5. vers. 5.*

(2) Ep. ad Hebraeos *cap. 4. v. 15.*

(3) Ibidem *cap. 2. vers. 3., 9., 11., 17., et 18., cap. 10. vers. 20., 29., 32., et 36., cap. 12. vers. 6., et 11.*

(4) *Ep.* ad Romanos *cap. 8. ver. 17., et 18.*, et *ep. 2.* ad Timoth. *cap. 2. vers. 12.*

nullam Deo satisfactionem queant homines retribuere quibuslibet poenis vel a Deo inflictis, vel sponte susceptis, vel a sacerdote iniunctis? Omnes impiorum cavillos quum stirpitus eliserint recitata Bibliorum oracula : facile cuique negotium erit detortas in obliquum, vel mutilatas, quae obiiciuntur, sententias in eos retorquere, omnique iure tridentinos anathematismos iacere.

XXIX. *Si quis post acceptam iustificationis gratiam cuilibet pec catori poenitenti ita culpam remitti, et reatum aeternae poenae deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenae temporalis exolvendae vel in hoc saeculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna coelorum aditus patere possit, anathema sit* (1). *Si quis dixerit totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit* (2). *Si quis dixerit pro peccatis quoad poenam temporalem minime Deo per Christi merita satisfieri poenis ab eo inflictis, et patienter toleratis, vel a sacerdote iniunctis, sed neque sponte susceptis, ut ieiuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam poenitentiam esse tantum novam vitam, anathema sit* (3). *Si quis dixerit, satisfactiones, quibus poenitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultum Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, anathema sit* (4).

XXX. Quod prisca Ecclesia consueverit ex apostolica traditione poenitentes adigere ad *satisfactionem* diuturnam, et acerbiorem, quae *exomologesis* (5) saepenumero dicebatur, palam a Tertulliano fit. *Exomologesis*, ait (6), *prosternendi, et humilificandi hominis disciplina est, conversationem iniungens misericordiae illicem. De ipso quoque habitu, atque victu mandat, sacco, et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus deiicere, illa, quae peccavit, tristi tractatione mutare : plerumque vero ieiuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugiri dies, noctesque ad dominum Deum,*

(1) Trid. *sess. 6. can. 30.*
(2) Idem *sess. 14. can. 12., et cap. 8.*
(3) Idem *cit. sess. can. 13., et cap. 8., ac 9.*
(4) Ibidem *can. 14.*
(5) Quamvis graeca vox *exomologesis* strictim accepta *confessionem* apud latinos significet, ut supra innuimus *num. XVI.*, tamen prisci Ecclesiae Patres istud ipsum graecum vocabulum non semel usurparunt notione ampliori, ubi vellent totam Confessionis sacramentalis disciplinam, et aspera poenitentium opera Confessioni adiuncta exprimere. Albaspinaeus *lib. 2. observ. cap. 26.* explicans *ep. 12.* S. Cypriani, *exomologesim post poenitentiam agebant*, ait, *quod arg. certissimo est, non significare confessionem auricularem... unde liquido constat, quod facere* exomologesim *nihil aliud est, quam publice cum fletibus, et gemitibus detestari peccata sua, sive per dies poenitentiae, sive illa peracta.* Vid. Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. dioec. cap. 16. num. 6.*, et Fleury *hist. eccl. lib. 6. n. 42.*
(6) Tertullian. *de poenitentia cap. 9.*

presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae iniungere. Haec omnia exomologesis, *ut poenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatore ipsa pronuntians pro Deo indignatione fungatur, et temporali adflictatione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expurget.* Congruum illum satisfaciendi modum a B. Cypriano simul audiamus. *Quam magna deliquimus,* ait (1), *tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens, et cauta medicina non desit, poenitentia crimine minor non sit. Putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti, cui patrimonium praeponere maluisti, cuius templum sacrilega contagione violasti? Orare oportet impensius, et rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes, ac fletibus ducere, stratos solo adhaerere cineri... post diaboli cibum malle ieiunium, iustis operibus incumbere, quibus peccata purgentur, eleemosynis frequenter insistere.* Disciplinam eiusmodi acceperant Tertullianus, et S. Cyprianus ab apostolica traditione. Nam divus Paullus (2): *notam faciens gratiam Dei, quae data est in Ecclesiis Macedoniae,* scribit, *quod in multo experimento tribulationis abundantiae gaudii ipsorum fuit... supra virtutem voluntarii fuerunt... semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei.*

XXXI. Canones poenitentiales ab Anonymo collecti (3), quos divus Carolus Borromaeus ad singula decalogi praecepta, et capitalia crimina scite disposuit, vetustam rigidae satisfactionis consuetudinem commonstrant. Tunc porro poenitentes ad Sacramenti gratiam pervenire nonnisi per *quatuor gradus* intermedios, eosque tardos adigebantur: puta *fletus, auditionis, substrationis, consistentiae* (4). In primo *fletus* gradu ante fores Ecclesiae coma vel abrasa, vel detonsa, et veste lugubri diu manentes flagris sese caedebant, in cinere, ac cilicio volutabantur, flentesque rogabant singulos templum ingredientes, ut divinam pro iis ipsis misericordiam deprecarentur (5). Dein ad secun-

(1) S. Cyprian. *tract. de lapsis.* S. Basilius *hom. in illud Apostoli:* attende tibi ipsi: *Magnum est*, inquit, *et grave peccatum? multa opus habes confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum, indivulso, et continenti ieiunio. Levis est, nec intoleranda offensio? Huic quoque exaequetur poenitentia.*

(2) *Ep. 2.* ad Corinth. *cap. 8. vers. 1., et seqq.* Videsis dicta superius *n. XXVII.* Hermas S. Pauli discipulus in libro *Pastoris* haec ab Angelo poenitentiae doctore audiose monet: *Protinus putas aboleri delicta eorum, qui agunt poenitentiam? Non proinde continuo: sed oportet eum, qui agit poenitentiam, affligere animam suam, et humilem animose praestare in omni negotio, et vexationes multas, variasque perferre.*

(3) Eos exornant Morinus *de poenitentia.* Eus. Renaudot *to. 5. perpetuitatis fidei lib. 3., et 4.*, et Cornelius Mussus Episcopus Bituntinus *libro*, quem anno 1579. edidit *in canones de poenitentia.*

(4) Card. Bona *lib. 1. de reb. liturg. cap. 17.* §. 3. probabilibus putat hasce varias poenitentium classes post Novati haeresim incoepisse circa medietatem saeculi tertii.

(5) Tertull. *de poenit. cap. 9.*, et *de pudicitia cap. 13.*, Socrates *lib. 3. cap. 13.* de Ecebolio sophista loquens, S. Gregor. Thaumat. *can. 11.*, S. Ba-

dam in porticu Ecclesiae stationem, quae *auditorium*, et *ferula* dicebatur, progressi audiebant Fidei doctrinam, sacrasque Scripturas: mox dum preces iam essent in communi recitandae, foras propellebantur (1). Tertio, ad interiorem *substrationem* transeuntes in templo extra ambonem, seu pulpitum una cum catechumenis commorantes prosternebant se ad pedes sacerdotis (2), ut manuum impositione reconciliarentur, simul audiebant Evangelium, et orabant cum fidelibus intra ambonem consistentibus, quoadusque subdiaconus imminente consecratione Eucharistiae clamaret : *cathechumeni*, vel *qui non communicatis*, *exite*. Quarto in *consistentia*, seu *congregatione* intra ambonem cum fidelibus aderant sacrificio eucharistico, at sine oblationibus, et sine participatione Corporis, et Sanguinis Domini, donec ad plenam admitterentur communionem (3).

ADDITIONES

CANONES POENITENTIALES IN VETERI ECCLESIAE DISCIPLINA CONSTITUTI ET SECUNDUM DECALOGI ORDINEM DISPOSITI.

Contra I. Decalogi praeceptum.

1. Qui a fide desciverit poenitentiam agat annis decem.
2. Qui auguriis, et divinationibus servierit, quive incantationes diabolicas fecerit, poenitens erit annis septem.
3. Respiciens furta in astrolabio poenitens erit annis duobus.

sil. *cap.* 22., *56.*, *et seq.* Synodus Agathensis in *can. poenitentes 63.*, et *can. quadragesimae 64. dist. 50.*, Balsamon ad *can. 17. Synodi Ancyranae.*

(1) Ex *can. 11.*, et 12. *Nicaeno*, et *can. 4. Synodi Ancyranae*, S. Greg. Thaumat. *cap. 11.*, et S. Basil. *can. 75.* Eum infimum Ecclesiae locum ναρθηκα vocabant.

(2) Sozomen. *lib. 7. cap. 16 : Poenitentes* (ait) *exclusi a communione sacrorum*, *quae invitatis praeberi mos est*, *cum gemitu ; ac lamentis* pronos se in terram *abiiciunt. Tum Episcopus cum lacrymis ex adverso occurrens*, *pariter ipse humi provolvitur, et universa Ecclesiae multitudo simul confitens lacrymis perfunditur. Posthac vero primus consurgit Episcopus*, *ac* prostratos *erigit*, *factaque*, *ut decet*, *precatione pro peccatoribus poenitentiam agentibus*, *eos dimittit.* Hieronymus *ep. 30.* poenitentiam Fabiolae describens inquit : *Ut staret in ordine poenitentium*, *Episcopo*, *presbyteris*, *et omni populo collacrymantibus*, *sparso crine*, *ora lurida*, *et squalidas manus*, *et sordida colla submitteret.* Conc. Laodicen. *can. 19.: Postquam exierint catechumeni*, *eorum*, *qui poenitentiam agunt*, *fieri orationem : et quum ii* sub manum *accesserint*, *et secesserint*, *fidelium preces sic ter fieri.* Vid. Const. vulgo Apostol. *lib. 8. cap. 8.*, *et 9.*

(3) Conc. Nicaen. *can. 11.*, et Ancyran. *can. 4.*, consistentes cum fideli populo *sine oblatione* commemorant. S. Basilius *can. 58.: Quatuor annos erit deflens*, *quinque audiens*, *quatuor substratus*, *in duobus* consistens *sine communione.*

4. Si quis ligaturas, aut fascinationes fecerit, poenitens erit duos annos

5. Qui magos consuluerit, in poenitentia erit annis quinque.

Contra II. praeceptum.

1. Quicumque sciens peiuraverit, 40. dies in pane, et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, et numquam sit sine poenitentia, et numquam in testimonium recipiatur, et post haec communionem percipiat.

2. Qui periurium in Ecclesia fecerit, poenitentiam aget annos decem.

3. Si quis Deum, vel B. Virginem, vel aliquem Sanctum publice blasphemaverit, prae foribus Ecclesiae diebus Dominicis septem, in manifesto, dum Missarum solemnia aguntur, stet, ultimoque ex illis die, sine pallio, et calceamentis, ligatus corrigia circa collum, septemque praecedentibus feriis sextis in pane, et aqua ieiunet, Ecclesiam nullo modo ingressurus. Singulis iam illis septem diebus dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest: alioquin alia poenitentia afficiatur. Recusanti Ecclesiae ingressus interdicatur, et in obitu ecclesiastica careat sepultura.

4. Qui votum simplex violaverit, poeniteat tribus annis.

Contra III. praeceptum.

1. Qui opus aliquod servile die dominica[1], festove fecerit, poenitentiam aget tres dies in pane, et aqua.

2. Si quis ieiunia a S. Ecclesia indicta violaverit, poenitentiam agat dies viginti in pane, et aqua.

3. Qui in Quadragesima ieiunium violaverit, pro uno die, poenitentiam aget dies septem.

4. In Quadragesima carne sine inevitabili necessitate vescens, in Pascha non communicet, ac praeterea a carne abstineat.

Contra IV. praeceptum.

1. Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies poenitens sit in pane, et aqua.

2. Qui parentes iniuria affecerit, tres annos.

3. Qui percusserit, annos septem.

4. Si quis contra Episcopum, Pastorem, et Patrem suum insurrexerit, in monasterio omnibus diebus vitae suae poenitentiam aget.

5. Si quis Episcopi, aut Ministrorum eius, vel Parochi sui praecepta contempserit, vel irriserit, poenitentiam agat dies 40. in pane, et aqua.

Contra V. praeceptum.

1. Qui Presbyterum occiderit, poeniteat 12. annis.

2. Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut sororem occiderit, toto vitae suae tempore non suscipiat Corpus Domini, nisi in obitu,

abstineat a carne, et vino, dum vixerit, ieiunet secunda, et quarta, et sexta feria.

3. Si quis hominem occiderit, et ianuam Ecclesiae semper erit, et in obitu Communionem recipiet.

4. Qui homicidii auctor fuit ob consilium, quod dedit, poenitentiam aget 40. dies in pane, et aqua, cum septem sequentibus annis.

5. Si qua mulier sponte abortum fecerit, poenitentiam aget annos tres, si nolens, Quadragesimas tres.

6. Qui nolens filium oppresserit, poenitentiam aget dies 40. in pane, et aqua, oleribus, ac leguminibus: abstinebit ab uxore totidem. Deinde poenitens erit tres annos per legitimas ferias, tres praeterea Quadragesimas in anno observabit.

7. Qui sceleris occultandi causa filium necarit, poenitentiam aget annos decem.

8. Si quis per iram subitam, aut per rixam hominem necarit, poenitentiam aget annos tres.

9. Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum praeciderit, poenitentiam aget, uno anno per legitimas ferias.

10. Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit triduo poenitentiam aget in pane, et aqua.

Contra VI. praeceptum.

1. Si laicus solutus cum foemina soluta concubuerit, poenitens erit tres annos.

2. Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, poenitentiam aget 20. dies.

3. Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, poenitens erit 40. dies.

4. Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam poenitentiam aget.

5. Qui incestum fecerit (non ita enormem), poenitens erit 12. annis.

6. Qui monialem violaverit, poenitens sit annis decem.

7. Si quae mulier cerusa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, poenitentiam aget annos tres.

8. Si presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel quae sibi confessa fuit, debet poenitentiam agere 12. annis. Et si crimen sit manifestum, debet deponi, et peregrinando 12. annis poeniteat, et postea monasterium intret, tota vita sua moraturus ibidem.

9. Pro adulterio septennii, et decennii poenitentia imponitur. Pro osculo, seu amplexu impudico triginta dierum poenitentia statuitur.

Contra VII. praeceptum.

1. Si quis furtum de re minori fecerit, poenitentiam aget annum unum.

2. Qui furatus est aliquid de Ecclesiae supellectili thesauro, vel pecuniam ecclesiasticam, oblationesve Ecclesiae factas, poenitens erit annos septem.

3. Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, et poenitentiam aget dies 20. in pane, et aqua.

4. Qui usuras accipit, rapinam facit, poenitentias aget annis tribus uno in pane, et aqua.

Contra VIII. praeceptum.

1. Qui falso testimonio consenserit, poenitens erit annos quinque.

2. Falsarius in pane, et aqua poenitentiam agat quamdiu vivit.

3. Si quis de proximo detraxerit, poenitens erit dies 7. in pane, et aqua.

Contra IX. et X. praeceptum.

1. Rem alienam nefarie concupiscens, avarusque, poenitens erit tribus annis.

2. Si quis concupiscit fornicari, si Episcopus, poenitens erit annos septem, si Presbyter quinque, si Diaconus, vel monachus tres, si Clericus, aut laicus annos duos.

XXXII. Publicam eiusmodi poenitentiam cuique semel tantummodo indictam caute fuisse, ne iterata vilesceret, nihilo tamen minus veniam recidivis privatim poenitentibus a Deo non denegari monet S. Augustinus (1). Privatas hinc satisfactiones consilio praesulis Confessarii a poenitentibus privatim susceptas liquet (2). Publicam poenitentiam, et correctionem commendat Apostolus Timotheo scribens: *peccantes coram*

(1) S. Aug. in *can. quamvis caute 22. de poenit. dist. 3.* S. Hieron. in *can. septies cadit iustus, et resurgit 23. ibidem,* ait: *vocabulum non amittit, qui per poenitentiam semper resurgit.* Unicae poenitentiae usum tradunt Hermas *lib. 2. mand. 4. n. 1*, Clem. Alexandr. *stromat. 2. cap. 13.*, Tertull. *de poenit. cap. 7.*, *et 9.*, Origenes *hom. 15. in Levitic. to. 1.*, Conc. Illiberitan. *can. 3., 7., et 47.*, S. Ambros. *lib. 2. de poenit. cap. 9.*, in *can. reperiuntur 2. de poen. dist. 3.* At procul dubio aberravit Tertullianus, postquam ad Montani sectam descivit, opinans absolutionem sacramentalem fore poenitentibus, perinde ac Baptismum, nonnisi semel indulgendam.

(2) *Ex ep. 1.* Clementis ad Iacobum: *Si in alicuius cor*, scribit, *vel livor, vel infidelitas, vel aliud malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animae suae curam gerit, haec confiteri ei, qui praeest, vi ab ipso per verbum, et* consilium salubre *curetur.* Origenes *hom. 2. in psalm. 37. to. 1.* haec habet: *Tantummodo circumspice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum . . . ut ita demum si quid* consilii *dederit, facias, et sequaris: si intellexerit et praevideril talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat, et curari, ex quo fortassis, et ceteri aedificari poterunt, et tu ipse facile sanari.* S. Cyprianus *ep. de lapsis* ait, *quamvis nullo sacrificii, aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc, vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolenter, et simpliciter confitentes* exomologesim conscientiae *faciunt, salutarem medelam parvis licet, et modicis vulneribus exquirunt.* S. Ambrosius *lib. 1.* de poenitentia *cap. 16. Si quis* occulta *crimina habens, propter Christum tamen studiose* poenitentiam *egerit, quomodo non refunditur?* S. Aug. *serm. 16. de verbis Domini cap. 8. In* secreto *debemus corripere, in* secreto *arguere, ne volentes* publice *arguere, prodamus hominem.*

omnibus argue, *ut et ceteri timorem habeant* (1) : occultam, privatamque lex charitatis dominica, et apostolica traditio. Alterutrius usum, disciplina Ecclesiae quum antiqua, tum recentior consuevit prudenti arbitrio Episcoporum, Sacerdotumque relinquere pro qualitate criminum, et personarum (2) ; id quod tridentinis etiam Patribus placuit decernere (3). Peregrinationes ad sacra hierosolymorum loca post pacem a Constantino Ecclesiae datam imperare poenitentibus consueverunt, eos ut a proximis peccandi occasionibus divellerent : mox octavo abhinc saeculo ad Romana Apostolorum limina, et S. Iacobum Compostellanum, dein ad Cruciatae bellum contra infideles, et causa fidei susceptum. Hinc sensim exolevisse publicam, canonicamque poenitentiam sunt qui putant (4).

XXXIII. Operibus vi clavium a Confessario iniunctis, quam sponte susceptis maiorem inesse virtutem docet Angelicus (5). *Non iudicabit Deus bis in idipsum*, inquit Naum propheta (6). *Quem sacerdos iudicat*, *Deus iudicat*, *cuius personam in Ecclesia gerit. Qui ergo a sacerdote semel pro peccato punitur*, *non iterum pro eodem peccato a Domino iudicabitur*, probe arguit Gratianus (7).

XXXIV. Quoniam *satisfactio* poenas temporarias exsolvit, reconciliato etiam poenitenti luendas : exinde patet, cur ea non ad substantiam Sacramenti pertineat. Nam quae in peccato fiunt opera mortua, nil prosunt omnino ad meritoriam satisfactionem, vix ad poenitendum praeparant (8). Sacramentali autem absolutione ita nobis remittuntur culpae, ut in Dei amicitiam regressi valeamus operibus in charitate vivis reatum poenae satisfacere, *non rursum iacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis*, ex Apostoli sententia (9). *Scimus* etiam ab Apostolo, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur*

(1) *Ep. 1.* ad Timoth. *cap. 5. vers. 20.*

(2) S. August. in *can. multi 18.*, *et can. si peccaverit 19. C. 2. qu. 1.*

(3) Trid. *sess. 24. de reform. cap. 8.*, haec habet: *Episcopus publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis iudicaverit expedire.*

(4) Morin. *lib. 7. cap. 15.*, Fleury *disc. 6. num. 11.*

(5) S. Thom. *quodlib. 3. qu. 13., art. 1.* Cum *enim*, ait, *satisfactio a Sacerdote absolvente iniuncta sit pars Poenitentiae ; manifestum est, quod in ea operatur vis clavium ; ita quod amplius valet ad expiandum peccatum, quam si proprio arbitrio homo faceret idem opus.*

(6) Naum *cap. 1. vers. 3.* ex LXX. in Vulgata legimus: *non consurget duplex tribulatio.*

(7) Gratian. post *can. 39. de poenitentia dist. 3.*, duce Augustino *in can. quaerat 44. ibidem.*

(8) S. Greg. VII. in Synod. Rom. *in can. falsas poenitentias 6. de poenit. dist. 5. Si quis dixerit opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit* ex Trid. *can. 7. sess. 6.* Consonant Chrysostomus in *can. quid ergo turbam 48.*, S. Aug. in *can. si quis autem 49.*, et S. Greg. M. in *can. cavendum nobis 47. de poenit. dist. 3.*

(9) *Ep.* ad Hebraeos *cap. 6. vers. 1.*

in bonum (1). At *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (2). Huc spectat et illud Lucae (3): *facite fructus dignos poenitentiae*, puta quum gratos Deo in statu gratiae, tum congruentes criminum gravitati, et numero. Itaque *duo praecipue in satisfactione requiruntur*, docet Catechismus (4): *primum est, ut is, qui satisfacit, iustus sit, ac Dei amicus: opera enim, quae sine fide, ac charitate fiunt: nullo modo Deo grata esse possunt: alterum, ut eiusmodi opera suscipiuntur, quae natura sua dolorem, et molestiam afferant.* Hinc etiam fieri intelligimus, moribundos, et impotentes, qui non impleant satisfactionem, effectu Sacramenti utique frui per absolutionem sacerdotalem (5). Simul consequitur necessarium non esse, quod opera satisfactionem sacramentalem praecedant (6): quamvis arbitratu suo possit Confessarius hanc, post ea impleta, quandoque differre (7). At satisfactionem negligens timeat, ne redeat ad Dei vindictam memoria remissarum iniquitatum (8), neve falsae poenitentiae reatum is contrahat (9).

XXXV. Quod per orationem, ieiunium (10), et eleemosynam arbitrio sacerdotis praecipue fiat satisfactio, docet Eugenius IV. (11): sed arbitrium prudentia, et ratio moderentur. S. Carolus Confessarios instruens monet, ut superbis opera humilitatis, puta visitare infirmos, peregrinos, in carceribus detentos, iisque cibum ministrare, pedesque

(1) Ad Romanos *cap. 8. vers. 28.*

(2) I. ad Corinthios *cap. 13. vers. 3. Tolle charitatem*, ait S. Augustinus, *odium tenet. Omnis qui non diligit, odit. Nemo potest, duobus dominis servire*, can. *tolle charitatem 30. de poenit. dist. 2.*

(3) Lucae *cap. 3. vers. 8.*

(4) Catech. Rom. *par. 2. tit. de poenit. Oportet*, S. Thomas inquit in *suppl. qu. 14. art. 2. in C., quod opera satisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis charitas: ideo sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.*

(5) Ex Syn. Carthag. II. *in can. Aurelius 5.*, et Mart. Bracharens. in *can. si quis de corpore exiens. 6. C. 26. qu. 6.*

(6) Xystus IV. an. 1479. quum confirmasset Synodum Complutensem, damnavit Petri Oxomensis errorem, opinantis fore non absolvendos poenitentes, nisi peracta poenitentia eis iniuncta. Id quod firmavit Alexander VIII. damnatis quatuor propositionibus *16., 17., 18.*, et *24.*

(7) Innocentius I. *ep. 1., sacerdotis est*, inquit, *iudicare, ut attendat ad confessionem poenitentis, et ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem.*

(8) Grat. *dist. 4. de poenit.* edisserit, an, et quomodo peccata dimissa redeant.

(9) S. Greg. VII. in *can. falsas poenitentias 6.*, et Innoc. II. in *can. fratres 8. de poenit. dist. 6.*

(10) S. Ambrosius in *can. medicina misericordiae 76. de poen. dist. 1. Habemus etiam*, inquit, *plura subsidia, quibus peccata nostra redimamus: pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus, sed tu ipse venalis est. Peccatis tuis venundatus es: redime te operibus tuis, redime te pecunia tua . . . .* Eleemosyna, *inquit Tobias 12.*, a peccato liberat.

(11) In Conc. Flor. in decreto pro Armenis.

*

abluere in domibus hospitalibus, simul frequentia orationis in Ecclesia flexis genibus indicantur, sectantibus voluptatem ieiunia, abstinentiae quum a carnibus, et vino, tum a choreis, ludis, et mundi pompis, cilicia, flagella, ceterae corporis maceratione, peregrinationes, occasionum fuga, secessus in locum religiosum; avaris, reique alienae cupidis nedum restitutio, sed et eleemosynae pro modo facultatum: negligentibus, tepidis, indevotis frequens Sacramentorum usus, concionum auditio, adsistentia divinis officiis, visitatio Ecclesiarum, quotidianae preces singulis peccatis aequa sic respondeat poenitentia. Hactenus de quasi materia, mox de *forma* dicendum.

XXXVI. Ab apostolica traditione, quam amplexi sunt Eugenius IV. in Florentina Synodo, Patresque Tridentini, accepimus (1) *Sacramenti Poenitentiae formam, in qua praecipua ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse*: ego te absolvo etc., *quibus quidem de Ecclesiae sanctae more preces quaedam laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae.* Nam ea Christi Domini verba: *quaecumque solveritis, erunt soluta*, faciunt, ut quisque ministrorum indicative istud recte pronunciet: *ego te absolvo*, Formam deprecantem (puta *Domine misericors remitte servo tuo N. per me indignum*, vel *ipse Deus per me peccatorem tibi parcat*, vel *condonet tibi*) a Graecis plerumque usurpari tradit Goar (2) orationibus undecim absolutoriis ab se collectis, in quibus tamen duae sunt, octava, et nona, indicativam Latinorum formam quoque redolentes in verbis: *ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis*, vel *ego condono tibi omnia peccata tua.* Quibuslibet itaque synonimis verbis exprimat minister suam remittendi peccata voluntatem, rata erit absolutio, nec formam deprecationis Graecorum proscripsit Ecclesia. Et paralytico, et Magdalenae quidem non aliud Christus Dominus dixit, nisi *remittuntur tibi peccata tua* (3).

XXXVII. Et quoniam Trinitatis invocationem legimus a Christo baptizantibus imperatam, sed non absolventibus: idcirco eam non necessariam Iure divino esse Doctores tenent cum divo Thoma (4), quae tamen ex praecepto ecclesiastico non omittenda est.

XXXVIII. *Quamvis autem absolutio Sacerdotis*, docet synodus Tridentina (5), *divini beneficii sit dispensatio:* tamen *non est solum nu-*

(1) Trid. *sess. 14. cap. 3.*, Catechism. *de Sacr. Poen. n. 15.*

(2) Goar *in Rituali Graecor. de Sacr. Poenit.*

(3) Matth. *cap. 9. v. 2.*, Marci *cap. 2. vers. 5.*, Lucae *cap. 5. v. 20.*, *et cap. 7. v. 49.* S. Augustinus *hom. 23. cap. 7.*, explicans verba Domini ad Magdalenam non dicentis, *ego remitto tibi*, sed *remittuntur tibi*, ait: *medicus bonus aegros non solum praesentes sanabat, sed et futuros praevidebat: futuri enim erant homines, qui dicerent:* ego peccata dimitto, ego iustifico, ego sanctifico, ego sano quoscumque baptizo. Hinc in Africana Ecclesia formas potius Graecorum, quam Latinorum tunc viguisse innuit S. Doctor, ubi Donatistas contudit tribuentes ministro virtutem sanctificandi.

(4) S. Thom. *part. 3. quaest. 84 art. 3.*

(5) Trid. *sess. 14. cap. 6.*, *et can. 9.* Videsis Card. Pallavic. *lib. 12. cap.*

dum ministerium vel annunciandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed instar actus iudicialis : quo ab ipso, velut a iudice sententia pronunciatur. Atque ideo debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi, et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere, et coram Deo esse absolutum : aliter dicentes haereticos anathemate configit.

XXXIX. Minister huius Sacramenti non alius, nisi Sacerdos est. Nam Christus Dominus post resurrectionem suam congregatis discipulis tantum, quos in nocte coenae Sacerdotio initiaverat, quum dixisset: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos :* continuo *insufflavit, et dixit eis : accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* (1). Verba isthaec quis sui compos ad laicos poterit etiam referre? *Dedit ministerium reconciliationis. . . pro Christo ergo legatione fungimur*, scribit Apostolus (2): *nobis* scilicet, quia Apostolis, et presbyteris. Uno id ore tradunt Patres (3).

XL. Illud Iacobi : *confitemini alterutrum peccata vestra*, perperam ad cunctos vel laicos fideles contorquetur ab insanis hostibus. Enimvero Iacobum de presbyteris ibi loquutum probe intelligunt, qui ad continuatum Apostoli sermonem animo attendunt, sic scribentis (4): *infirmatur quis in vobis? inducat* presbyteros *Ecclesiae, et orent super eum. . . et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemi-*

12, et 22. num. 3., *et* Ricardum a S. Victore *de potest. ligandi, et solvendi cap. 12.*

(1) Ioan. *cap. 20. vers. 21., et seq.* Trid. *sess. 14. cap. 1, de Sacr. Poenit.* haec habet : *Dominus autem Sacramentum Poenitentiae tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens :* accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis etc. *Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi, et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis, et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit.*

(2) 2 Ad Corinth. *cap. 5. vers. 18., 19., et 20.*

(3) S. Cyprian. *ep. de lapsis. Remissio*, inquit, *facta per Sacerdotes, apud Dominum grata est*, S. Ambrosius *lib. 1. de poenit. cap. 2. hoc iure vindicat Ecclesia, quae veros* Sacerdotes *habet* : *haeresis vindicare non potest, quae* Sacerdotes *Dei non habet.* S. Basil. *in reg. brevior. resp. ad qu. 188: necessario iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.* S. Io. Chrysost. *lib. 3. de Sacerdotio cap. 5.: Iis, qui terram incolunt, commissum est, ut ea, quae in coelis sunt, dispensent. . . habent quidem, et terrestres Principes vinculi potestatem, sed in corpora solum: id autem, quod dico,* Sacerdotum *vinculum ipsam etiam animam contingit.* S. Aug. *hom. 40: Si ad ultimum vitae steterit, neseit, si ipsam poenitentiam accipere, et Deo, ac* Sacerdoti *peccata sua confiteri poterit.* Vid. *can. 1. de poenit. dist. 6.* S. Leo M. *ep. 89. in can. multiplex 46. de poenit. dist. 1. Christus Iesus hanc* Praepositis Ecclesiae *tradidit potestatem, ut et confitentibus poenitentiae actionem darent, et eosdem salubri confessione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Idem in *can. sufficit 61. de poen. dist. 1.*

(4) *Ep.* Iacobi *cap. 5. vers. 14. ad 16.*

ni. Ecquis non videt solis presbyteris pro infirmo oraturis, et peccata remissuris Apostolum heic suadere, ut confiteamur peccata nostra? *Confitemini ergo alterutrum*, *hoc est*, inquam cum Hugone a S. Victore (1), *homines hominibus*, *oves Pastoribus*, *subiecti Praelatis*, *laici* Sacerdotibus, *ii*, *qui habent peccata iis*, *qui peccata dimittendi habent potestatem*.

XLI. Praeterquam quod *tanta vis confessionis est*, *ut si deest Sacerdos*, *confiteamur proximo*. *Saepe enim contingit*, *quod poenitens non potest confiteri coram Sacerdote*, *quem desiderari nec locus*, *nec tempus offert*, *et si ille*, *cui confitebitur*, *potestatem solvendi non habet*, *fit tamen dignus venia ex desiderio Sacerdotis*, *qui socio confitetur turpitudinem criminis*. *Mundati enim sunt leprosi*, *dum irent ostendere se Sacerdotibus*, *antequam ad eos pervenirent* (2). Hac eadem forsan ratione S. Cyprianus (3) putavit lapsos, qui libellos martyrum pacem pro iis ipsis ab Episcopo deprecantium accepissent, posse *apud Diaconum quoque*, ubi non adesset presbyter, *exomologesim facere delicti sui*.

XLII. Iure hinc meritissimo Tridentina synodus *declarat falsas esse*, *et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes*, *quae ad alios quosvis homines*, *praeter* Episcopos, et Sacerdotes *clavium ministerium perniciose extendunt*, *putantes verba illa Domini*, quaecumque ligaveritis etc. *ad omnes christifideles indifferenter*, *et promiscue ita fuisse dicta*, *ut quivis potestatem habeat remittendi peccata* (4).

XLIII. Ad huiusce ministerii disciplinam quod attinet, Episcopi olim poenitentes publicos quum in publica Missa reconciliarent (5), presbyteris generatim, nonnisi urgente necessitate, mortisque periculo demandare id consueverant (6): quamquam sedente S. Cornelio Papa pau-

(1) Hugo a S. Victor. *lib. de eoeremon. Sacram.*, *et offic. ecclesiast.*

(2) Inquit auctor *lib. de vera*, *et fals. poenit.* inter opera S. Augustini in *can. 1. de poenit. dist. 6.*

(3) S. Cyprian. *ep. 13. de lapsis.* Eliberitana quoque Synodus an. 305. *can. 32.*, cavit *posse Diaconum*, *si Sacerdos iusserit*, *dare poenitentibus communionem*, puta pacem, et reconciliationem. Videsis Car. Blascum *to. 2. opusc. diss. 1. de poenit.*

(4) Trid. *sess. 14. cap. 6. de Sacr. Poen. et can. 10.* Innocentius III. in *cap. nova 10 de poenit.*, *et rem.* damnaverat Abbatissas, quae monialium confessiones audire praesumerent.

(5) Syn. Carthag. II., et III. *reconciliare quemquam in publica Missa presbytero non licere* statuit in *can. 1.*, *et 3. C. 26. qu. 6.* S. Cyprianus *ep. 11.* episcopalem hac in re vindicans potestatem, contundit audaciam presbyterorum, inquiens: *Audio quosdam de* presbyteris *nec Evangelii memores*, *nec quid ad nos martyres scripserint cogitantes*, *nec Episcopo honorem Sacerdotii sui*, *et cathedrae reservantes*, *iam cum lapsis communicare coepisse*. . . *quando nec ad communicationem venire quis possit*, *nisi prius illi ab* Episcopo, *et Clero manus fuerit imposita*.

(6) In Concilio Nicaeno cautum, ut *de omnibus*, *qui a corpore recedunt*, *in tradendo eis communionem cura*, *et probatio sit Episcopi*, *can. de his vero 9. C. 26. qu. 6. Si Episcopus absens fuerit*, *debet utique presbyter consulere Episcopum*, *et sic periclitantem eius praecepto reconciliare*: ita consti-

lo post saeculi tertii medietatem Poenitentiarium presbyterum ad excipiendas confessiones lapsorum sub deciana persecutione plurimorum, eosque reconciliandos instituere primum censuissent (1); mox eum submovissent ex causa, quam supra innuimus (2).

XLIV. At processu temporum quinto abhinc saeculo una cum secreta confessione mos invaluit largiendi potissimum Archipresbyteris, et Parochis facultatem reconciliandi poenitentes quovis tempore, extra casum etiam necessitatis (3). Quandoquidem Simplicius Papa anno 465. statuit, ut in basilicis SS. Petri, et Pauli, et S. Laurentii martyris consisterent presbyteri ad reconciliandos poenitentes, et Baptismum administrandum, sicuti Anastasius bibliothecarius tradit. Concilium Ticinense anno 855. *can.* VI. insuper cavit, ut *qui occulte deliquerunt*, illis confiteantur, quos Episcopi, et plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint. Idipsum in synodo Gallicana sub Carolo M. constitutum, et in Capitularibus firmatum, repetitumque in Concilio Cabilonensi II. an. 813., et Parisiense VI. an. 829. fert Emmanuel Gonzalez (4). Hinc orta obligatio confitendi proprio Sacerdoti, seu Parocho. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa confiteri peccata sua, ut licentiam prius postulet, et obtineat a proprio Sacerdote: cum aliter ipse ab illo non possit absolvi, vel ligari, decrevit Concilium Lateranense IV. (5).

XLV. Episcopis, et aliis Superioribus, necnon minoribus Praelatis exemptis Gregorius IX. primum indulsit (6), *ut etiam propter sui superioris licentiam providum, et discretum sibi possint eligere Confessarium.* Simul Fratribus mendicantibus Ordinum SS. Francisci, et Dominici privilegium inter alia dedit confessiones excipiendi sacramentales (7). Id pacem inter sacros ministros quum maxime turbasset, Bonifacius VIII. ad eam conciliandam statuit (8), ut Regulares administrandi Sacramenti Poenitentiae licentiam pro idoneis fratribus deberent ab Episcopis, Praelatisve dioecesanis ante postulare, his autem renuentibus possent quorumlibet confessiones libere audire. Tum Bene-

tutum in eadem Syn. Carthag. II. in *can. Aurelius 5. eadem C. et qu.*, nisi absente Episcopo ultima necessitas cogat, ex Syn. Carth. III. in *can. fin. ibidem.* Apocryphas idcirco merces pseudo-Isidorianas redolet epistola S. Evaristi Papae, et mart. in *can. presbyteri 4. ead., C., et qu., ut presbyteri de occultis peccatis iussione Episcopi poenitentes reconcilient.*

(1) Socrates *lib. 5. hist. cap. 19.*, et Fleury *to. 2. hist. lib. 6. num. 55.*

(2) Hoc eodem *tit. num. XX.*

(3) De quibus supra dictum *lib. 1. tit. XXIX. num. XVI. et tit. XX. num. IV., et XII.*

(4) Gonzalez *in comment. ad cap. omnis utriusque sexus.*

(5) Sub Inn. III. in *can. omnis utriusque sexus 12. de poenit., et remiss.* Id quod ante decreverat declinante saeculo XI. Urbanus II. apud Gratianum in *can. placuit 2. C. IX. qu. 2., et can. ult. de poenit. dist. 6.*

(6) Greg. IX. in *can. ne pro dilatione 16., et fin. de poenit., et remis.* Eiusmodi indultum a Tridentino nullatenus revocatum recte monet Gonzalez in *notis* ad hocce *cap.*

(7) Bulla Anagni data 4. kal. Octobris 1227.

(8) Bonif. VIII. in *cap. super cathedram 2. de sepult.* in Extr. comm.

nedictus XI. ad pontificium solium ex Ordine Praedicatorum elatus maluit Dioecesanos cogere ad concedendam tres intra dies designatis a superiore Fratribus petitam licentiam, quibus elapsis, munus Confessarii obirent sine impedimento (1). Dein Clemens V. Bonifacii constitutionem innovavit (2), illam vero Benedicti Alexander V. ex Minorum Ordine restituit (3), successoresque Pontifices potius favere, quam adversari eiusmodi Regularium privilegiis studuerunt: quidquid ex adverso reclamarent Episcopi. Tandem synodus Tridentina decrevit (4) *nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat: privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.* Lex ista usu viget.

XLVI. Disputabant olim, an confessus Regulari Confessario satisfaceret annuae confessionis praecepto paschali? Negabant alii ex eo, quod salvo iure parochiali facultatem excipiendi confessiones indulsissent Fratribus Minoribus Martinus IV. (5), Xystus IV. (6), et Synodus Basileensis (7), S. Carolus quoque morem proprio Parocho confitendi semel saltem in anno inviolatum servari maluit (8). At affirmans praevaluit sententia. Nam tres Ioannis de Poliaco Parisiensis articulos; primum, quo is ad iterandam proprio Sacerdoti confessionem cogebat confessos Fratribus generalem facultatem audiendi confessiones adeptis; secundum, et tertium, quibus negabat summum Pontificem, quin et Deum ipsum posse parochianos quoslibet eximere a Lateranensi praecepto confitendi semel quotannis Parocho suo, aut generalem cuivis ita dare facultatem excipiendi confessiones, ut easdem non teneretur Sacerdoti proprio iterare: tres inquam hosce articulos, quia falsos maturo consilio damnavit Ioannes XXII. (9). Archiepiscopo Salernitano dubitanti, num posset Fratribus Mendicantibus ad Confessarii munus ab seipso probatis inhibere, ut ne tempore paschali confessiones, nisi con-

(1) Extravag. *inter cunctas 1. de privilegiis.*

(2) Clement. *dudum 2. de sepulturis.*

(3) Alex. V. in const. *regnans in excelsis*, in quam reclamasse Parisiensem Academiam Fratres Praedicatores, et Carmelitas fert N. Alexander in *hist. eccles. saec. XV. cap. 1, art. 2.*

(4) Trid. *sess. 23. de ref. cap. 15.*

(5) Mart. IV. in Bulla quam edidit anno 1281. Quod exemte XIII. saeculo consuevissent Episcopi quoque praeceptum confitendi proprio Parocho relaxare, dum privilegia suis largirentur subditis eligendi Confessarium, ostendit textus Bonifacii VIII. in *cap. si Episcopus 2. de poenit., et remiss. in VI:* qui tamen declarat *nulla* posse *consuetudine introduci, ut aliquis, praeter sui superioris licentiam Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare.*

(6) Xystus IV. an. 1478. in *cap. vices illius. 2. de tregua, et pace* in Extr. comm.

(7) Syn. Basil. an. 1431.

(8) S. Car. in Conc. Mediol. I. *par. 2. cap. 6.*

(9) Io. XXII. in *cap. vas electionis 2. de haereticis* in Extr. comm.

sentientibus cuiusque loci Parochis, exciperent? S. Congregatio Concilii re cognita rescripsit non posse (1). At irrita erit absolutio Regularis, qui se Episcopo praesentaverit, ab eoque non obtinuerit facultatem (2).

XLVII. Nunc itaque Sacerdos quilibet quum saecularis, tum regularis in ea Dioecesi, aut Parochia, sive loco, ubi a dioecesano Episcopo adprobatus ad confessiones fuerit, hocce Sacramentum *extraordinario*, seu *delegato* iure probe administrat; Episcopi vero, Parochi, et cuncti curam animarum habentes, quisque sua in Dioecesi, et Parochia ministri sunt *ordinarii*, *et proprii* (3). Extraordinarios quippe multitudo fidelium immensa postulat. In locis etiam exemptis intra Dioecesim, ubi Praelatus inferior iurisdictionem, et spiritualem, et temporalem in Parochos, et parochianos non habeat, dioecesano Episcopo ius est adprobandi Confessarios (4).

XLVIII. Extra dioecesim Episcopi adprobantis nequit Confessarius quum saecularis, tum regularis extraordinarius absolvere: tametsi Parochi suos tantum parochianos ubique locorum recte absolvant (5), quum leges indulgeant voluntariam iurisdictionem, qualis est absolvendi facultas, in alieno territorio exercere (6). At ab eo, quem Episcopus, aliusve Praelatus sibi elegerit Confessarium ex privilegio Iuris (7), extra suum quoque territorium ratam accipit absolutionem, dummodo electus extra eligentis dioecesim ab Ordinario sit suo approbatus, vel curam ubivis habeat animarum (8). Eo magis Confessarius, vi bullae Cruciatae eligendus, nonnisi ab Episcopo suo approbatus absolvit, quamvis bulla ipsa id non exprimat (9).

XLIX. Huius disciplinae ratio profluit ex catholico dogmate, quod presbyteris animarum cura, et iurisdictione in popolum expertibus, et episcopali concessione destitutis denegat absolvendi facultatem, eorumque irritas habet absolutiones. Cum Sacerdotii charactere traditur quidem singulis potestas remittendi peccata, sed habitu, non actu: quippe quam ii nullatenus possunt, nisi officium parochiale, curamque animarum, vel delegatam in eas iurisdictionem ante obtinuerint, extra mortis articulum exercere (10).

(1) Apud Fagnan. in *cap. omnis 12. de poenit., et remiss. num. 58.*

(2) Inter proscriptas ab Alexandro VII. propositio XIII. est huiusmodi: *Satisfacit praecepto annuae confessionis, qui confitetur regulari ad Episcopum praesentato, sed ab eo iniuste reprobato.*

(3) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 1., et 15.*

(4) Fagnan. *loc. cit. num. 76., et seq.*

(5) Fagnanus *in cap. ne pro dilatione de poenit. num. 25., et seq.*

(6) *L. omnes 2. D. de offic. Procons.* gl. *in cap. novit. 7. de offic. legati ver. terminos.*

(7) In *cap. ne pro dilatione ult. de poenit., et remiss.*, quod supra exscripsimus *hoc tit. num. XLV.*

(8) Fagnan. *loc. cit. num. 6., 20., et seqq.*

(9) Fagnan. *ibid. num. 18.*

(10) Trid. *sess. 14. de Sacr. Poenit. cap. 7. Quoniam igitur*, ait, *natura, et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat ferantur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus haec confirmat,*

L. Quum itaque mandatam ab Episcopo iurisdictionem absolvendi habeant inferiores Confessarii: consequens est eis egredi fines mandati vel generalis, vel specialis nullimode licere. Parochi ergo (1) nec alienos subditos in aliena Parochia, nec ceteri sine cura Confessarii extra locum ab Episcopo designatum valide absolvunt alio in loco eiusdem dioecesis: Regulares tamen excipe, quibus ab Episcopo adprobatis fas est in tota adprobantis dioecesi confessiones excipere virtute privilegiorum generalium Sedis Apostolicae (2) (*).

nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinarium, *aut* subdelegatam *non habet iurisdictionem.*

(1) Piasecius in *prax. Episc. par. 2. cap. 1. num. 10.*, refert a sacra Congregatione Concilii decisum, quod Parochus praevio concursu delectus, censeatur idoneus confessionum minister intra suae Parocciae districtum, non per totam dioecesim.

(2) Quae paullo ante memoravimus *num. XLV.* Ad hoc videsis Fagnanum *loc. cit. num. 27., et seqq.*

(*) Illa heic subtexenda duximus, quae scripsit Summus Pontifex Leo XII. in epistola encyclica *Charitate Christi* data VIII. Kal. Jan. in Jubilaei indictione, an. 1825; quaeque Confessarios maxime respiciunt.

Atque haec quidem, Venerabiles Fratres, docendi sunt populi, sed ut quae docti fuerint efficere cum fructu possint quam necessaria sit, apta, et opportuna Sacerdotum opera, apud quos confiteri peccata sua debeant, probe intelligatis. Quamobrem curandum sedulo Vobis est, ut ii, quos ad confessiones audiendas deligetis, ea meminerint, ac praestent, quae de Ministro Poenitentiae praecipit Praedecessor noster Innocentius III., ut scilicet sit discretus, et cautus, ut more periti medici similiter infundat vinum, et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, et peccatoris circumstantias, et peccati, per quas prudenter intelligat quale illi debeat consilium praebere, et eiusmodi remedium adhibere diversis experimentis utendo ad sanandum aegrotum; *habeatque prae oculis documenta illa Ritualis Romani:* videat diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem desrere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant. *Quae quidem non viderit quam longe ab eorum ratione distent, qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti, qui ait* non est opus valentibus medicus, sed male habentibus, *aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia, aut doloris, ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tum demum tutum se coepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huiusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Jesu*, qui non venit vocare iustos, sed peccatores, *sciat studiose, patienter, et mansuete cum ipsis agere. Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam ceteri ad confitendum accedere. Imparati enim*

§. I. *De casuum reservatione.*

LI. Ex dictis etiam consequitur Episcopos ad libitum suum Confessariis posse non modo locum, et personas, et (1) tempus limitare, sed casus etiam criminum graviorum, praeter alios supremo Romani Pontificis iudicio reservatos, excepto in utrisque articulo mortis. *Hanc autem delictorum reservationem* sive pontificiam, sive episcopalem, *non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere:* atque ideo *omnes Sacerdotes* extra mortis articulum *nihil posse in casibus reservatis*, declarat Synodus Tridentina (2), et anathemate contundit aliter dicentes. Duplex hinc emersit, vigetque reservatio ca-

illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione; misericordiae *enim Domini* non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus; *vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in seipsos inquisierint, nulla fere industria sua, id sine Sacerdotis ipsius opera assecuturi; sed qui adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis ex intimo corde ad Deum precibus exhausta charitatis industria, sensu tamen doloris, ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudentes iudicentur. Quocumque autem animo sint, qui accedant ad Ministrum Poenitentiae, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati, aut Sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis, quoad poterit humanissimis persuadeat confessis necesse est id, et munus officiumque suum, et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae coelestis dulcedine reficiantur. Aptissimo eius charitatis exemplo inter ceteros esse potest S. Raymundus de Pennafort, quem insignem Sacramenti Poenitentiae Ministrum appellat Ecclesia.* Cognitis peccatis, *inquit*, adsit (*Confessarius*) benevolus, paratus erigere, et secum onus portare, habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adiuvet confitentem, orando, eleemosynas, et cetera bona pro eo faciendo, semper eum iuvet leniendo, consolando, spem promittendo, et cum opus fuerit etiam increpando...

(1) Parochiali officio quum sit facultas adnexa ministrandae Poenitentiae: eam idcirco Parochi perpetuam ipso iure habent, adeo ut nulla temporis limitatione valeat coerceri. Secus est de aliis presbyteris officio eiusmodi perpetuo non fungentibus. At ceterae limitationes locorum extra Parochiam, personarumque alterius curae commissarum, simul et casuum reservationes Parochos etiam obstringunt.

(2) Trid. *sess. 14. de Sacr. Poenit. cap. 7., et 11.* Bonifacius VIII. in *cap. 2. de poenit., et remiss. in VI.* antea declaraverat Confessarios ex privilegio episcopali a subditis electos in casibus Episcopo specialiter reservatis nullam habere penitus potestatem. Fuere in Tridentina Synodo, qui Durandum, Gersonium, et Cardinalem Caietanum secuti, opinabantur censuras tantum Romano Pontifici, non peccata, reservatas: quique varias ea in re opiniones proferrent circa disciplinam. Sed divina ligandi potestas Episcopis, summoque Pontifici tradita ius reservationis casuum utrisque tribuit perspicue, firmatum Traditione apostolica, et Consuetudine vetustissima.

suum, episcopalis, et papalis. Utramque servare quoque Regulares tenentur (1).

LII. Prisca aetas Ecclesiae pontificias ignoravit reservationes in foro Poenitentiae, quamvis communi sanctissimorum Patrum consensione crimina quaedam atrociora, et graviora, non a quibuslibet, sed a summis dumtaxat Sacerdotibus absolvi antiquioribus quoque saeculis consuevisset (2). Pleno autem, et libero Episcopi arbitrio reos cuiuscumque sceleris, et quavis censura innodatos in foro Poenitentiae absolvebant. Iique ipsi Episcopi sponte primum sua orsi sunt saeculo XI. subditos scelestiores, homicidas praesertim sacrilegos ad Apostolicam Sedem remittere absolvendos eo animo, ut veniae difficultate licentiam peccandi cohiberent (3). Mox bello hierosolymitano Cruciatarum contra infideles indicto Innocentus II. primus omnium percussores clericorum, et incendiarios, ut ne Episcopi absolverent, sanxit, nisi postquam bello sacro per annum inservissent; alias damnum reficere, atque ab episcopali officio ad annum abstinere cogerentur Episcopi absolventes (4). Deinde constitutum in Synodo Avenionensi saeculo XIII., ut absolutio periurii, et contemptus censurarum ecclesiasticarum Summo tantum Pontifici reservaretur (5). Tum progressu temporum plures alias

(1) Alexander VII. hanc XII. proscripsit propositionem. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.*

(2) Id liquet ex antiquissima poenitentiae publicae disciplina, quam supra delineavimus *num.* XLII. ex pluribus S. Cypriani epistolis, praesertim 9., 10., 11, et 28., et Trid. *cit. sess. 14. cap. 7.*

(3) Primum in Synodo Lemovicensi *an. 1030 sess. 3.* comprovinciales Episcopi cum Bituricensi Archiepiscopo, audita Patrum querela de Aquitanis excommunicatis, qui ab Romano Pontifice inconsultis locorum Episcopis poenitentiam, et absolutionem accipiebant, hanc protulere sententiam: *Hoc ab ipsis Apostolicis Romanis, et ceteris Patribus cautum tenemus, ut parochiano suo* Episcopus *si poenitentiam imponit, eumque* Papae dirigit, *ut iudicet, utrum sit, an non poenitentia digna pro tali reatu, potest eam confirmare auctoritas* Papae, *aut levigare, aut superadiicere. Iudicium enim totius Ecclesiae maxime in apostolica Romana Sede constat. Item si* Episcopus *parochianum suum cum* testibus, *vel* litteris Apostolico *ad poenitentiam accipiendam direxerit*, ut multoties *pro gravissimis reatibus fieri solet, in quibus Episcopi ad dignam haesitant poenitentiam imponendam: hic talis licenter a Papa remedium sumere potest; nam inconsulto Episcopo ab Apostolico poenitentiam, et absolutionem nemini accipere licet.* Ivo Carnotensis, qui floruit declinante XI. saeculo *ep. 160.* quemdam sacrilegum mutilatorem religiosi presbyteri quum publicae poenitentiae quatuordecim annorum subiecisset, ea pendente flagitantem, ut sibi liceret arma defensionis causa deferre, ad summum Pontificem remisit scribens: *Reservantes itaque hanc indulgentiam Apostolicae moderationi, ad Apostolorum eum limina direximus, quatenus, et fatigatione itineris huius peccatum diluat, et apud pietatis vestrae viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiravit, inveniat.*

(4) Inn. II. in Conc. Rhemensi an. 1131., et Conc. Lateranensi II. an. 1139, can. 19., et 10. *Si quis*, ait, *Archiepiscopus hoc relaxaverit, damnum restituat, et per annum ab episcopali officio abstineat.*

(5) Syn. Avenionen. an. 1209., cui quatuor Provinciarum Episcopi, et Legati Sedis Apostolicae interfuere, *can. 13.*

casuum reservationes Romana Sedes imperavit, nonnullas iam in Corpore Iuris Canonici clausas (1), alias vero Bullis recentioribus, et extravagantibus indictas (2), praesertim Bulla Coenae Domini, quam S. Pius V. primum edidit anno 1567., eiusque successores singulatim innovarunt (3). Et Benedictus XIV. Sedi etiam Apostolicae tantum absolvendos reservavit, *qui vel odio, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant* (4), sed nullam eiusmodi peccato censuram adnexuit.

(1) Ex. gr. sacrilega Ecclesiarum fractura, et despoliatio in *cap. conquesti 22. de sent. excomm.* Administratio Sacramentorum Extremae Unctionis, Eucharistiae, et Matrimonii, quam sine licentia parochiali faciant Religiosi; simul absolutio excommunicatorum in casibus reservatis in *Clement. I. de priv., et excessibus privilegiatorum.*

(2) Simonia ex Pauli II. Extrav. in *cap. cum detestabile 2. de simonia*, et Urbani IV., vel V. in *cap. sane ibidem.* Praeterea offensa libertatis ecclesiasticae, violatio interdicti apostolici, haeresis, conspiratio in personam Pontificis, inobedientia, seu rebellio in eumdem, presbytericidium, offensa personalis in Episcopum, aliumve Praelatum, invasio, depraedatio, occupatio, aut devastatio terrarum Romanae Ecclesiae, invasio Romipetarum, prohibitio devolutionis causarum ad Curiam Romanam, delatio armorum, aliarumve rerum vetitarum ad partes infidelium, impositio novorum onerum, vel realium, vel personalium Ecclesiis, ecclesiasticisque personis, simonia super ordinibus, vel beneficiis assequendis, cuncta haec scelera a Paulo II. reservata Sedi Apostolicae declarantur in *cap. etsi dominici 3. de poenit., et remis.* in Extravag. comm. Alia item reservata enumerabuntur inferius *lib. IV. tit. XVIII. num. XXVII.*

(3) Ut primum Bulla Coenae hic intonuit, Prorege Alcalensium Duce, eius promulgationi, et executioni obstiterunt Regii Ministri, contendentes fore plures illius articulos reformandos, regiae iurisdictioni adversantes, praesertim *art. 5.*, quo excommunicantur imponentes nova, vel augentes pedagia, seu gabellas in casibus a Iure, vel ex speciali Sedis Apostolicae licentia non permissis; *art. 13., et 14*, quo anathematizantur ad potestatem saecularem recurrentes a gravamine, vel futura executione litterarum apostolicarum; eamque impedientes, etc. Exinde pacem inter laicos, et Episcopos turbatam fert B. Chioccarellus *tom. 4. archivii tit. 2*, nec potestas laica umquam patitur hoc in regno fulminari excommunicationes in foro externo in quoslibet reos vigore huiusmodi Bullae, quam ideo prudentes Episcopi, eorumque Officiales reticent omnino in sententiis, quoties declarent aliquem incidisse in excommunicationem maiorem in casibus in ea expressis; enunciant vero eam ipsam censuram in aliquo alio canone Iuris communis, vel dioecesanae Synodi constitutione sanctam. Et quoties Romana Sedes Apostolica iubilaeum regnicolis largitur, cunctis Confessariis tribuens facultatem absolvendi a quibuslibet casibus, etiam in Bulla Coenae reservatis: in regio placito super Iubilaei promulgatione adiicitur de stylo clausula: quod acceptatio iubilaei nullatenus Bullae coenae acceptationem complectatur. Hanemet habet regium placitum die 18 Febr. 1741. expeditum super pontificiis litteris, quas pro anni sancti iubilaeo dedit Benedictus XIV. die 11. Nov. 1740. *Se ha degnado S. M. declarar su regal animo, que con el permiso dado de su publication non se entienda aceptada la enunciata bula in coena Domini, a fin de no impedis el beneficio espiritual de las almas.*

(4) Bened. XVI. in *const. Sacramentum Poenitentiae 20. §. 3. 10. 1.* Bull. sui.

LIII. A casibus Papae reservatis nemo fere olim absolvebantur, nisi Romam personaliter adiret (1), praeterquam valetudinarii, senes, impuberes, quique laborem eiusmodi itineris sustinere nequibant: mulieres, filii familias, servi, quique sui non essent iuris: his adde Regulares utriusque sexus collegiales, officia publica exercentes, inimicorum insidiis obnoxios, in carceribus clausos (2). Hos idcirco exemptos Episcopi absolvunt a quibusvis reservatis, perpetuo exceptionis iure. Piissimus Gersonius saeculo XV. conquerebatur, quod coactus ad urbem longinquam accessus multos poenitentes occultorum criminum reos a beneficio confessionis, et absolutionis retraheret. *Si remittantur*, ait, *ad Praelatum, vel Poenitentiarum de longinquo, vel in publico refugiunt, et horrent, expertumque est millies, quod non vadunt: quid prodest, ac certe obest plurimum addere verecundiam, onera gravia super onera, et hoc praecipere quando peccatum secretum est, et tale quoad auctor perpetuo celabit ipsum, si velit, ut nec Episcopus, nec alius inde punitionem, vel notionem inveniat* (3). Tum Cardinalis Laurentius Campegius in Germania Legatus apostolicus statutis Ratisbonensibus anno 1523. statuit reservationem in quibusvis occultis criminibus praeterquam in haeresi, homicidio, et notoria excommunicatione, abolere. Cuiusmodi statutum amplexae mox sunt Synodi Coloniensis anno 1536., et Augustensis anno 1548. (4). Sensim inde sueverunt Pontifices poenitentibus relaxare obligationem personalis accessus ad urbem, absolutionemque a peccatis Apostolicae Sedi reservatis delegare ad Episcopos dioecesanos, locorumque Ordinarios, quoties ea sint publica, atque in foro externo delata: occultorum vero absolutionem in foro tantum interno ad quemlibet Confessarium sacra urbis Poenitentiaria remittit in diem, visis precibus vel cuiusque, suppresso nomine poenitentis, vel etiam Confessarii, qui casum a poenitente narratum exponens, reticitis nominibus apostolicam absolvendi facultatem postulaverit (5). Huiusmodi apostolicae delegationis facilitatem imitari prudentes Episcopi satagant in casibus sibi reservatis (6).

(1) Synod. Arelatens. an. 1275. *can. 11.* statuit, *ut scelestiores transmittantur absolvendi per Episcopos, si id eis iure competit: alioqui cum eorum litteris ad Sedem Apostolicam transmittantur.*

(2) Ex *cap. super eo, cap. mulieres 6., cap. ea noscitur 13., cap. cum illorum, cap. de monialibus 33. de sent. excomm. cap. de cetero, cap. quod de his, cap. quamvis cap. pueris, et cap. relatum eodem tit.*

(3) Gerson. in *opusc. super absolvendi potestate, et qualiter expediat fieri reservationem peccatorum, et ep.* ad quemdam Episcopum *de moderat. casuum reservand. to. 2. pag. 332., et seqq.* Vid. Thomasin. *par. 4. de vet. nov. Eccl. disc. lib. 1. cap. 71.*

(4) Vid. Bened. XIV. *de Synod. Dioec. lib. 5. cap. 5. n. 3.*

(5) Exempla multiformium Sacrae Poenitentiariae litterarum videsis apud Marcum Paulum Leone Soc. Iesu in *praxi ad litteras Maioris Poenitentiarii, et Officii S. Poenitentiariae apostolicae.*

(6) S. Thom. *par 4. dist. 17. qu. 3. art. 3. q. 4. ad 6. Peccaret autem sacerdos*, ait, *si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri: quia multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam*

LIV. Cuncta Sedi Apostolicae reservata crimina adnexam habent censuram excommunicationis (1): excepto solum flagitio accusantis per calumniam sacerdotem innoxium sollicitationis ex nupera Benedicti XIV. sanctione paullo ante recitata: at episcopalium casuum aliis adnexa, aliis non est censura (2). Utrarumque species in dioecesanis Synodis, edictisque inspicienda eum in finem, ut Confessarii, presbyterique delegata facultate carentes aliquem in articulo mortis absoluturi ab omnibus etiam reservatis commoneant, atque ad iurandum obligent, ubi convaluerit, sese quamprimum debere ab Episcopo, vel Apostolica Sede absolutionem a censuris denuo petere (3) non ab aliis sine censura reservatis criminibus: haec enim semel remissa non redeunt ex supradictis *num. XLIII. In Ecclesia Dei custoditum semper* fuisse monet synodus Tridentina (4), *ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes* (suspensi etiam, et excommunicati, degradatique) *quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt.* Quod vero vinculum reservatae censurae dissolvit Ecclesia urgente necessitate, ne quis pereat; illud ipsum maluit religari, statim ac cessaverit periculi causa, ut quisque pareat, dum poterit, mandato superioris.

LV. Dubitatur, an haereticus, excommunicatus, degradatusve Sacerdos possit in articulo mortis poenitentes absolvere? Negantem sententiam tenuere antiqui Theologi cum divo Thoma (5), quam S. Con-

tali sacerdoti confiterentur. Hac ipsa ratione Clemens VIII. an. 1597. decrevit Confessarios plures pro subditorum numero fore a Superioribus Regularium deputandos: quia *nonnullos infirmiores*, ait, *interdum Superiori suo conscientiae maculas detegere, formidantes abducere possunt in aeternae damnationis periculum.*

(1) Verum pontificia reservatione non censuram solummodo, sed peccatum quoque ipsum censurae obnoxium affici aio contra P. Suavem Polanum, quem hac in re refellit N. Alexander in *hist. saec. XVI. dissert. 12. de Syn. Trid. art. 9. num. 3.*

(2) Hanc distinctionem probat Synodus Trid. *sess. 14. cap. 7.*, ubi declarat reservationem casuum licere *Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi... praesertim quoad illa, quibus excommunicationis censura adnexa est.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. eos qui 22. de sent. excom. in VI.*, decernit absolutos ob mortis periculum, aliudve impedimentum a sententia excommunicationis vel a canone, vel ab homine lata, absolutos inquam ab eo, qui alias ea facultate careret, si contempserint sese coram legitimo Superiore post periculi, vel impedimenti remotionem praesentare; *in eamdem sententiam recidere ipso iure.* Antea Clemens III. in *cap. quod de his 26. de sent. excom.* tum Benedictus XI. in *cap. inter cunctas 1. de privileg. §. incendiarios* in Extr. comm. iusserant, ut moribundi, vel impediti crimina reservata cum excommunicatione confitentes *subeant iuramentum, quod liberati se suis Episcopis, et excommunicatoribus praesentabunt...* eorum *parituri mandatis.*

(4) Trid. *cit. cap. 7. sess. 14.* Videsis canones antiquos ea in re collectos apud Carol. Blascum *to. 2. opusc. dissert. 1. de poenit. pag. 25.*

(5) S. Thom. *par. 3. qu. 82. art. 7. ad 2., et 4. sent. dist. 19. qu. 1. art. 2. ad 3.* Mag. Sentent. *in 4. dist. 19.*, S. Antoninus *part. 3. tit. 14. cap. 19. §. XV. conditio*, Navar. *in manuali cap. 26. num. 26.* ceteri, Quibus assentiri videtur Gratianus *post can. audivimus 4. C. XXIV, qu. 1.*

gregatio Concilii (1) probavit, nullam omnino potestatem solvendi, et ligandi praecisis ab Ecclesia superesse rati. At recentiores communiter affirmant (2) exinde, quod synodus Tridentina perpetuum Ecclesiae morem secuta *omnes* sine ulla exceptione *Sacerdotes* in articulo mortis libera prorsus potestate absolvendi praeditos declarat. Ecclesia enim, aiunt, si cui attrito moribundo necessarium sacerdotalis absolutionis auxilium denegaret, tunc adimendo segregatis ab seipsa divinam Sacerdotii potestatem, nonne animam ipsa perderet (3), quam unam, superna attritionis gratia, veluti errantem oviculam bonus pastor D. O. M. conquirit, reliquo grege quasi derelicto? Dominus *patienter agit propter nos nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*, scribit S. Petrus (4). Eadem ratione efficitur, ut quivis ab Ecclesia abscissus valide baptizet (5), sacrique canones aequent non semel Baptismo parvulorum Poenitentiam morientium (6). Ex permanenti rursus charactere Sacerdotii, uti arguit S. Augustinus (7), ius dandi Sacramenta Baptismi speciatim, et Ordinis quidem superest iis, qui recedunt ab Ecclesia; et consequenter Eucharistiam quoque valide, quamvis illicite conficiendi. Cur ergo istis ipsis, qui Sacramenta Ordinis, et Eucharistiae non ita necessaria valide ministrant ius non erit administrandae Poenitentiae, ubi urgeat summa omnium necessitas? An non Deus misericordiam mavult, quam sacrificium?

LVI. Sui socio criminis cuiuslibet speciei Confessarium impertiri validam absolutionem consentiebant Doctores (8), quamvis alii licitam,

(1) Decretum S. Congregationis hac in re latum a Ioanne Card. Morono, qui praeerat synodo Tridentinae tamquam Legatus apostolicus, et aliis quinque Cardinalibus refert, pluribusque studet rationibus firmare Fagnanus *in cap. non est vobis 11. de spons.*, *et matr.* Qui tamen in fine affirmat posse Pontificem summum tribuere sacerdotibus excommunicatis, denunciatisque facultatem absolvendi in mortis articulo.

(2) Sotus, Paludanus, Silvester, Navarra in *regul. Confessar. cap. 27. n. 227. vers. quod per eadem verba* in hanc aientem sciens prudens pertransivit sententiam, contraria, quam ante amplexus erat, relicta.

(3) S. Leo in *can. his qui 10. C.XXVI. qu. 1. His qui in periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae, et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae Dei, nec mensuras possumus ponere.* Consonat Coelestinus in seq. *can. agnovimus 13. ead. C.*, *et qu. Errat. et una Pastori oviculo* (inquit Tertullianus *lib. de poenit. cap. 8*), *sed grex una carior non erat, una illa conquiritur, una pro omnibus desideratur, et tandem invenitur, et Pastoris ipsius humeris refertur: multum enim errando laboraverat.*

(4) *Ep. 2.* Petri *cap. 3. vers. 9.*

(5) S. Aug. in *can. siquidem forte 40. C. XXIV. qu. 1.*

(6) Syn. Arausic. in *can. qui recedunt 7. C. XXVI. qu. 6.* Alex. III. in *cap. non est vobis 11. de spons.*, *et matr.*

(7) S. Aug. in *can. quod quidam 97. C. I. qu. 1. De iis*, ait, *qui ab Ecclesiae unitate separati sunt, nulla iam quaestio est, quin et habeant* (Baptismum puta, et Ordinem), *et dare possint, et quin perniciose habeant, pernicioseque tradant extra vinculum pacis.* Videsis dicta superius *tit. II.* huiusce libri *num. XXV., XLII., et XLIII.*

(8) Cum. S. Thom. in *suppl. par. 3. qu. 20. art. 1. ad 1.*

illicitam alii censerent (1). At frequens inde sacrilegii periculum in causa fuit, ut S. Carolus in Mediolanensi synodo XI. generatim interdixerit Confessario, *qui cuiuscumque criminis, etiam minimi socius, particepsve ullo modo fuit*, confessiones correorum audire, quas irritas ex defectu iurisdictionis fore maluit, puta extra casum necessitatis. Tum Benedictus XIV. universali sanctione cunctis omnino Confessariis extra casum extremae necessitatis, in ipso nempe mortis articulo, et deficiente tunc quovis alio Sacerdote, ademit iurisdictionem absolvendi qualemcumque personam complicem in peccato impudicitiae contra sextum Decalogi praeceptum (2). At ubi non alius, nisi cui moribunda revera horreat ob certum suae infamiae periculum confiteri, sacerdos aderit: eo casu ratam a turpis sceleris correo dari absolutionem declaravit (3).

LVII. Ceterum nullum omnino scelus est, quod sacerdotalis potestas nequeat per Poenitentiam expiare. Duas peccatorum classes impii Montanistae primum somniando contendebant levia tantummodo peccata posse ab Ecclesia remitti, secus vero gravia in Deum admissa, quorum absolutionem paracleto solum suo, ipsi nempe Montano, reservabant, praeterea nemini (4). Mox Novatiani presbyteris potestatem absolvendi crimina graviora prorsus negantes putabant exitialem Ecclesiae indulgentiam erga lapsos in fide apostatas (5). His ii abutebantur divinis Scripturarum sententiis. I. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo* (6)? II. *Omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemiae non remittetur: et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc saeculo, neque in futuro* (7). III. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem: est peccatum ad mortem, non pro illo dicto, ut roget quis* (8). IV. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati....et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes Filium Dei* (9). V. *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quaedam expectatio iudicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios* (10).

(1) Apud Bened. XIV. *de Syn. Dioeces. lib. 7. cap. 14. num. 1.*
(2) Idem in bulla *Sacramentum 20.*, data kal. Iunii 1741. *to. 1. Bull.*
(3) Idem in bulla *Apostolici 120.* edita 8. Febr. 1745. *to. eodem.*
(4) Euseb. *lib. 5. hist. eccl. cap. 3., 15. 16., et 17.*, refert quum errores, tum damnationes canonicas Montanistarum.
(5) Baronius ad *an. 255.* damnatam a synodo Carthaginiensi Novatianorum haeresim describit.
(6) I. Reg. *cap. 2. vers. 25.*
(7) Matthaei *cap. 12. vers. 13., et seq.*
(8) I. Ioannis *cap. 5. vers. 16.*
(9) *Ep. ad* Hebraeos *cap. 6. vers. 4.*
(10) Ibidem *cap. 10. vers. 26., et seq.*

LVIII. Ad I., respondet divus Ambrosius (1) : *Non scriptum est, nullus orabit pro eo, sed* quis orabit ? *hoc est, quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quaeritur, non excluditur.* Ad II. S. Augustinus (2) blasphemiam contra Spiritum Sanctum exponit esse nequitiam obduratam, finalemque impoenitentiam cum desperatione divinae misericordiae. Ad III., non aliud, nisi eamdem impoenitentiam esse peccatum ad mortem, commonet idem S. Doctor (3). Simul S. Pacianus (4), *haec Ioannis verba*, ait, *ad peccata manentia pertinere ; non ad eos, qui aliquando peccaverint, et coeperint poenitere, antequam quisquam pro illis roget.* Huc spectat illud Apostoli : *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit ? secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor thesaurizas tibi iram in die irae ?* Ad IV., et V. dicamus itidem cum S. Augustino (5) : *illud ad Hebraeos, qui diligenter pertractant, sic intelligunt, ut non de sacrificio contribulati per poenitentiam cordis accipiendum sit . . . sed ut hoc significaret Apostolus non posse deinceps eum, qui peccaverit, iterum baptizando purgari.* Extrudit potissimum Montani, Novatianique perfidiam illud Ezechielis (6) : *si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est... vita vivet, et non morietur: omnium iniquitatum eius... non recordabor.* Hinc *poenitentiae quorumcumque criminum in Ecclesia locum non negari* tuto concludimus cum S. Augustino (7), ceterisque Patribus utramque haeresim execrantibus.

LIX. Diversos nihilominus delictorum, et criminum gradus (8) Ecclesia distinguit, et congruas quibusque poenas expiantes exinde moderatur (9), quamvis uno quodcumque grave peccatum aeterno igne Deus puniat. *Quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (10). Quaenam igitur sit peccati natura, et causa, operae pretium erit nunc disquirere.

(1) S. Ambros. *lib. 1. de poenit. cap. 9.*, et in *can. si sacerdos 59. de poen. dist. 1.*

(2) S. August. *lib. 1. retract. cap. 19. Si in hac*, ait, *tam scelerata mentis perversitate homo vitam finiverit. Can. inter haec 35. de poen. dist. 3.*

(3) Idem *hb. 1. de sermone Domini in monte.*

(4) S. Pacian. *ep. 3.* ad Sympronianum.

(5) S. August. in *exposit. epist. ad Romanos.*

(6) Ezechiel. *cap. 18. vers. 21, et seq.*

(7) S. August. *loc. cit.* S. Ambr. in *can. iis 54. de poen. dist. 1.*

(8) Stoici Zenone duce, tenebant *omnia peccata esse paria, omne delictum, scelus esse nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit.* Platonici e contrario *distincta genera esse delictorum, et dispares poenas.* De utrisque Tullius in *orat. pro L. Murena.*

(9) Ex antedictis *hoc tit. num. XXX. ad XXXV.*

(10) Iacobi *ep. cap. 2. vers. 10*; S. Aug. in *can. consideret 1. de poenit. dist. 5.* circa finem.

§. II. *De peccatis* (*).

LX. Peccatum est voluntarium vel factum, vel dictum, vel concupitum, vel omissum contra Legem Dei. *Usque adeo peccatum voluntarium malum esse*, monet S. Augustinus (1), *ut nullo modo peccatum sit, si non sit voluntarium.* Divina ideo lex Deuteronomii (2) puellam, *quae sola erat in agro, clamavit, et nullus affuit, qui liberaret eam* a violento viri concubitu, nulli penitus poenae obnoxiam: sed virum solummodo iudicat reum mortis, perinde ac latronem. Quod enim liber animus vel renuat, vel annuat, Deus respicit, non quod invito prorsus animo extrinsecus quisquam patitur in semetipso (3). Quoniam vero nulla vis potest libero humanae mentis arbitrio intrinsecus inferri: consequens est, ut voluntas etiam coacta, vel suis affectibus vehementer commota peccet, quoties ad malum flectatur, a quo ea valet procul dubio abstinere (4).

LXI. Affectus utique naturales, cupiditatem, metum, spem, iracundiam, ceteros id genus, qui nos ad operandum extimulant, animis nostris Deus hoc pacto indidit providenter, ut eis bene utentes bonum, male utentes malum, utrumque non necessarium, sed voluntarium sponte operemur, quod nobis ipsis placuerit. *Sicut enim recte ambulare, bonum est*, inquam cum Lactantio (5), *errare autem malum: si moveri affectibus in rectum, bonum est; in pravum, malum. Nam si libido extra legitimum torum non evagetur, licet sit vehemens, tamen culpa caret: sin vero appetit alienam, licet sit mediocris, vitium tamen maximum est. Non est itaque morbus irasci, nec cupere, nec libidine commoveri; sed iracundum esse, morbus est, cupidum, libidinosum. Qui enim iracundus est, etiam cui non debet, aut cui non oportet, irascitur. Qui cupidus, etiam quod non opus est, concupiscit. Qui libidinosus, etiam quod legibus vetatur, affectat. Omnis igitur ratio in eo versari debuit, ut quoniam earum commotionum impetus inhiberi non potest, nec debet, quia necessario est insitus ad tuenda officia vitae, dirigeretur potius in viam rectam.* Cupiditas *ad ea comparanda nobis data est, quae sunt ad vitam necessaria:* libido *ad sobolem propagandam:* irae *affectus ad coercenda peccata*

(*) Initium salutis esse notitiam peccati, ab Epicuro egregie dictum probat Seneca *ep. 28.*, simul monens: *quantum potes, te ipsum coargue, accusatoris primum partibus, deinde iudicis, novissime deprecatoris.* Idemque *ep. 50.* sapienter ait nos *virtutes discere, vitia dediscere* oportet. Profecto *virtus secundum naturam est, vitia inimica, et infesta sunt.*

(1) Apud Gratian. initio *Causae XV. qu. 1.*

(2) Deuteron. *cap. 22. vers. 25., et seq.*

(3) S. Aug. in *can. ita ne aliquem 3. C. XXXII. qu. 5.*, *et can. si concupiscentia 8. C. XV. qu. 1.*, et S. Ambrosius in seq. *can. non est. 10.*

(4) S. Aug. in *can. merito quaeritur 1. C. XV. qu. 1.*, *et can. displicet 38. C. XXIII. qu. 4. Nemo iustus*, inquit Cicero.... *potest esse, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet.*

(5) Lactant. *lib. 6. de vero cultu num. 16. et 19.*

eorum, qui sunt in nostra potestate . . . Sed iniuste, atque impie utuntur ira *contra pares: hinc dissidia, hinc expulsiones, hinc bella contra iustitiam nata sunt. Utuntur* cupiditate *ad congregandas opes: hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnia scelerum genera orta sunt. Utuntur* libidine *ad capiendas tantum voluptates: hinc stupra, hinc adulteria, hinc corruptelae omnes extiterunt. Quicumque igitur illos* affectus *intra fines suos redegerit; hic patiens, hic fortis, hic iustus est.* Ita et bonum, et malum libera nos eligimus voluntate, contrariis semper affectibus quum ad hoc, tum ad illud continenter impulsi.

LXII. Toto igitur coelo aberrant cum Manichaeis Lutherani, et Calvinistae, qui liberum hominibus arbitrium negantes illud sic Adae peccato amissum effutiunt, ut adstruant fatalem peccandi necessitatem. Divinis plane oraculis docemur, quod *Deus ab initio fecit* hominem, *et reliquit illum in manu consilii sui. Adiecit mandata, et praecepta: si volueris mandata servare, conservabunt te. Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum: quod placuerit ei, dabitur illi* (1). Tum Caino, priusquam fratri necem is inferret, voluntariam, liberamque ipsius malitiam exprobavit, inquiens (2): *Quare iratus es? et cur concidit facies tua? nonne si bene egeris, recipies; sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius.* Quorsum divina tot praecepta faciendi bonum, et abstinendi a malo, ut aeternam mercedem ita lucremur, poenamque vitemus, nisi liberum humanae voluntati nostrae arbitrium foret eligendi alterutrum? S. Iustinus (3) monet *supplicia, et cruciatus, nec non remunerationes optatas pro operum meritis unicuique retribui. Nam si hoc non sit, sed fato omnia fiant: nihil etiam plane in nostra fuerit potestate situm... Hominem eundem ad contraria subinde transire videmus. Quod si fato destinatum esset, eum vel malum, vel bonum esse: non ille umquam contrariorum capax esset, nec toties mutaretur.* Quid plura? cunctos humanae libertatis hostes iam profligavit synodus Tridentina (4).

(1) Ecclesiastici *cap. 15. vers. 14., et seq.*

(2) Genesis *cap. 4. vers. 6., et seq.* S. Hieronymus in *tradition. Hebraicis* haec habet: *Tu dominaberis illius, nempe peccati. Non te invitum subiicere poterit illius cupiditas, sed si vis, superabis.* S. Ambros. *lib. 2. de Cain, et Abel cap. 7. Non habes,* inquit, *quod excuses; non habes, in quo* necessitatem *magis, quam* mentem *tuam arguas, in te retorquetur improbitas. Tu princeps operis tui, tu dux criminis. Non te* invitum, *non* imprudentem *error attraxit*, sed voluntarius *reus iudicio, non lapsu.*

(3) S. Iustin. *apolog. 2. num. 7.*, S. Aug. *de gratia, et libero arbitrio cap. 2.* ceteri Patrum id uno tradunt ore, apud N. Alexandr. *in hist. saec. III. dissert. 26.* adversus Manichaeos.

(4) Trid. *sess. 6. can. 4. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inane quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.* Can. 5. *Si quis liberum hominis arbitrium post Adae peccatum amissum, et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Eccle-*

LXIII. Aut *ignorantia*, aut *infirmitate*, aut *studio* peccatum perpetrari, et gravius quidem infirmitate, quam ignorantia; sed multo gravius studio, quam infirmitate, scribit divus Gregorius (1). Quod sint etiam peccata ignorantium, probat Apostolus, dum ait: *qui ignorat, ignorabitur* (2): qui nempe non vult intelligere, ut bene agat, et ea, quae Dei sunt, quaeque scire debet, ac potest, nesciens (3). Signatum a Deo humanis mentibus lumen rationis eam facultatem discernendi bonum, et malum cuique primum tribuit, ut utriusque rationis compos valeat, quod iustum est in operibus suis iudicare (4). Quod igitur nostra generatim synteresi, vel speciali conscientiae testimonio mens videt, si bonum, id sponte amplectamur: si malum, hoc abhorreamus oportet. Insitam natura scientiam sine culpa ignorat nemo. Excipe tantum infantes, amentes, ceteros rationis usu penitus expertes, quorum ignorantia invincibilis a peccato immunes omnino reddit (5).

LXIV. Infirmitas naturae minus, quam ignorantia excusat peccantes. Nam eam cuique gratiam sufficientem, proximam, et completam Deus largitur, quae vires saltem pares suppeditat ad pravos reprimendos affectus, et adimplenda praecepta: id quod contra Iansenistas docent catholici. Dolens quaerebat Apostolus (6): *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum.... Lex Spiritus vitae in Christo Iesu liberavit me a lege peccati, et mortis. Neque enim*, exponit S. Augustinus (7), *voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuvatur: sed ideo iuvatur, quia non tollitur.* Et rursus haec alibi tradit (8): *Anima facultatem habet, ut adiuvante Creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes adquirere, et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia coecante liberetur. Etiam in ipsa ignorantia, et difficultate liberam voluntatem petendi, quaerendi, et conandi non abstulit, daturus petentibus, demonstraturus quaerentibus, pulsan-*

siam, anathema sit. Can. 6. *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie, et per se, adeo ut sit eius proprium opus non minus proditio Iudae, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

(1) S. Greg. in *can. sciendum 22. de poen. dist. 2.*

(2) I. ad Corinth. *cap. 14. vers. 38.*

(3) S. Aug. in *can. quamvis errare 21.*, et S. Gregor. in *can. qui ea 10. dist. 38.*

(4) S. Basil. *hom. 12. ad popul. Apud nos ipsos*, ait, *iudicium quoddam naturale habemus, per quod ab iniquis bona facile discernimus. Quoniam ex ipsius Salomonis sententia*, cogitationes iustorum iudicia sunt viro sapienti: *omnino satagendum erit intra cordis arcana tribunal constituere, rectaque facere iudicia, mentem quoque velut in trutina suspendere ad ea, quae conveniunt, et ad quodlibet agendum aequa lance librare.*

(5) S. Aug. *in can. aliquos 5.*, S. Ambros. in *can. illa cavenda 6.*, *et can. sane 7. C. XV. qu. 1.*

(6) Ad Roman. *cap. 7. vers. 24.*, *et cap. 8. vers. 2.*

(7) S. Aug. *ep. 89. ad Hilarium.*

(8) Idem *lib. 3. de libero arbitrio cap. 20.*

tibus aperturus. Nonnisi volens igitur, et sciens peccat infirmus, et fragilis homo, fallace boni specie deceptus. *Si diligenter consideratur*, Augustino duce (1), *ipsum peccatum nemo velit: sed propter aliud fit, quod vult qui peccat. Omnes quippe homines, qui scientes faciunt quod non licet, vellent licere. Usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud, quod ex eo consequitur:* mendax puta bonum voluptatis, utilitatis, rerumque caducarum. Haec peccandi voluntas in scholis voluntario, et involuntario *mixta* nuncupatur.

LXV. Quia igitur peccans contemnit maiestatem Legislatoris in Decalogo, praeceptisque divinis, et ecclesiasticis, quae vel Dei cultum, religionemque, vel iustitiam, vel charitatem, vel honestatem spectant: idcirco peccatum contra eiusmodi praecepta, praecipuasque virtutes ad salutem necessarias, *mortale* fere est. *Nescitis*, exprobat Apostolus (2), *quoniam servi estis, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad iustitiam? Stipendia enim peccati mors.* Et rursus (3): *qui talia agunt, regnum Dei, non consequentur. Veniales* autem culpae, quas S. Augustinus (4) adpellat *quotidiana, breviora,* et *levia* peccata, sine quibus haec vita non ducitur; amicitiam Dei, quae nostra est vita spiritualis, non extinguunt, vix tepefaciunt (5). Si plures enim gradus malitiae in peccato gravi sunt, et quo quisque longius a virtute discedit, eo gravius malum perpetrat, unde non omnibus malis aequalem inesse gravitatem contra Stoicos iam vidimus: nil sane obstat, quin ea possit ad levitatem usque minimam decrescere.

LXVI. Culpam faciunt venialem imperfecta peccandi voluntas, et res ipsa modica. I. Quoadusque inconsiderate, aut praecipiti sensu, animique motu primo, aut insania, vel ebrietate (6), aut nescientia, aliave qualibet causa voluntarium nimis deminuente, parum deflectamus a recta legis, et virtutis semita, nonnisi leves tunc culpas admittimus ferme inviti. *Quod enim operor*, aiebat Apostolus (7), *non intelligo... Non velle adiacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.* Ita saepe in multis offendimus omnes, et septies in die cadit iustus non lethaliter (8). II. Quod contra virtutes non praecipuas, minusque ad

(1) Idem in *can. merito 1. C. XV. qu. 1.*

(2) *Ep.* Ad Romanos *cap. 6. vers. 16., et seq.* Trid. *sess. 5. de pecc. orig., et sess. 14. cap. 5.*

(3) *Ep.* ad Galatas *cap. 5. vers. 21.*

(4) S. Aug. in *can. de quotidianis 20. de poenit. dist. 3.*, Trid. *cit. sess. 14. cap. 5.*

(5) Vide Gratianum post *can. unum orarium 3. dist. 25.*

(6) S. Ambrosius in *can. sane discimus 7. C. XV. qu. 1. Si qua per vinum*, ait, *deliquerint: apud sapientes iudices venia quidem facta donantur, sed levitatis damnantur auctores.* S. August. in *can. inebriaverunt 9. eadem C. et qu.* Loth *culpandus est quidem: non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas.*

(7) *Ep.* ad Romanos *cap. 7. vers. 15. 19., et 20.*

(8) S. Hieronym. in *can. septies 2. de poenit. dist. 3.*

salutem necessarias fit, quum ad iniuriam nec Deo, neque hominibus inferendam minime tendat : id oportet reipsa leve peccatum indicare, et modicam a bono, et recto declinationem. Plures enim aliae sunt virtutes, quae religionem, iustitiam, charitatem, velut famulae comitantur ad summum usque apicem, earumque atrium, ut in pace sint, bene custodiunt. Si autem *virtus* est, *quae bonum facit habentem, et opus eius bonum reddit* (1), et hoc quidem commune est virtutum, ut omnes inter se nexae, et coniugatae sint : illas qui vix famulas offendit, aut violare dominas quidem abhorret ; non utique bonum, sed leve malum operatur. Eiusmodi fere sunt otium, scurrilitas, iocosum mendacium, iactantia, vanagloria, audacia, petulantia, aemulatio, illiberalitas, asperitas, inclementia, impatientia, temeritas, socordia, ceterae id genus. His adde ob parvitatem materiae minimas iustitiae, et charitatis offensas limitato ad eas ipsas animo: puta modicum furtum, vel damnum datum, levem iniuriam, exiguam, brevemque iram. Minimas etiam in cultu religioso culpas, quales putantur parvae in divinis officiis, sacrisque ritibus omissiones, minus devota oratio, supervacaneus ad superstitionem accedens cultus, vanae in auspiciis observationes, quasi tentans Deum, neglectis omnino remediis humanis confidentia in periculis, brevis in die festo labor servilis.

LXVII. *Haec* autem, monet S. Augustinus (2), *quae humanae fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt, si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt, et oppriment, sicut unum aliquod grande peccatum.* Cum enim nemo repente fiat malus: qui *spernit modica, paulatim decidet*, ex Domini oraculo. Itaque iterans modica furta, et damna, ubi ad gravem usque materiam pervenerit, peccabit graviter. Itidem ad festum, aut ieiunium graviter violandum coniunguntur iteratae uno, eodemque die parvae operae, cibique particulae. Secus in aliis casibus dicendum cum divo Thoma (3), in quibus plures parvae materiae in magnam rem unam coalescere non valent moraliter: nam ex. gr. singulas in singulis diebus serviles opellas, aut singula panis frustula diversis diebus deglutita ad unum festum, vel ieiunium violandum nullatenus coniungi patiuntur dissiti dies.

LXVIII. Quatruplex peccati genus, *cordis* videlicet, *oris, operis, et omissionis*, definitio complectitur. *Cordis* peccata sunt nedum improbae quaevis cogitationes, quae ad futura dicta, vel opera tendant, sed etiam interna, haeresis, ira, odium, inimicitia, invidia, temeraria iudicia, cetera, quae nullum externum actum respiciant. Tres autem gradus in hisce peccatis discernit scitissime S. Augustinus (4), *suggestionem, delectationem* morosam, et *consensum* desiderantem. *Suggestionem*, seu tentationem quia nolentes etiam nos patimur, ei si obnixe resistimus, illico auxilium Dei fidenter postulando, peccatum pro-

(1) Ex definitione Philosophi *lib. 2. Ethicor. cap. 6.*
(2) S. Aug. in *can. tres sunt 81. de poenit. dist. 1.*
(3) S. Thom. 1. 2. *qu. 88. art. 4.*
(4) S. Aug. in *can. sicut tribus 21.*, et S. Greg. M. in *can. inter haec 23. de poenit. dist. 2.*

cul a corde nostro habebimus : quin et priusquam oriatur , non sine virtute merito extinguemus ; quemadmodum David in matutino interficiebat omnes peccatores terrae, puta suborientes peccandi cogitationes. *Oportet contristari* , monet divus Petrus (1), *in variis tentationibus, ut probatio vestrae fidei inveniatur in laudem , et gloriam.* Et *beatum virum* appellat divus Iacobus (2) , *qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit , accipiet coronam vitae.* Qui autem in turpi cogitatione , quam tentatio suggerit doemoniaca , scienter , ac voluntarie commorantes in ea ipsa oblectantur , eiusque concepta voluptate fruuntur animo : eos culpa lethalis *delectationis* inquinat, etiamsi ab ea re ipsi desideranda , vel concupiscenda contineant sese. Plerumque tamen non obsistentes pravae suggestioni, a delectatione prolabuntur in desiderium , duobus postremis Decalogi praeceptis vetitum. Ita *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus , et illectus : deinde concupiscentia cum conceperit , parit peccatum,* addit idem Apostolus.

LXIX. Ad *oris* peccata pertinent gula , blasphemiae , detractiones , contumeliae , falsa testimonia , periuria , mendacia , revelatio arcani , quaeque verbis honestatem , aut iustitiam laedunt. *Opere* patrantur homicidia , furta , impudicitiae , cetera id genus malefacta. Iis adduntur *omissiones* , quae versantur in non facendo eo bono, quod facere nos debemus , ac possumus. Nam *scienti bonum facere , et non facienti, peccatum est illi* , ex divi Iacobi oraculo (3). Peccant igitur quum ii, qui debitum Deo cultum religiosum non praestant , nec fidei , spei , et dilectionis actus eliciunt , neque mysteria Fidei ad salutem necessaria curant addiscere: tum qui officia charitatis, aut iustitiae erga proximum non implent : puta non alunt parentes , ac filios , horumque probam negligunt educationem , non dant locatas , venditasve operas , damna illata non reficiunt , pacta conventa non servant , debitas diligentias ad artem suam , munusve non conferunt, peccantes praesertim subditos non corrigunt , egenos periclitantes non adiuvant (4).

LXX. *Contra Legem Dei* , ubi cor concupiscet , os loquitur , opus fit , vel omittitur: tunc utique in peccatum labimur , quippe quod non aliud speciatim , nisi praevaricatio legis est. *Virtus peccati lex est* , inquit Apostolus (5) : *peccatum non cognovi , nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam , nisi lex diceret , non concupisces* (6). At nemo est , qui divinam Decalogi legem non habeat scriptam in corde saltem suo , eam si auribus , oculisve non acceperit. *Quicumque enim sine lege peccaverunt,* etiam Paullus ait (7) , *sine lege peribunt:*

(1) *Ep. 1.* Petri *cap. 1. vers. 6.*
(2) *Ep.* Iacobi *cap. 1. vers. 12.*
(3) Ibidem *cap. 4. vers. ult.*
(4) Cic. *lib. 1. de officiis. Qui non defendit, nec obsistit, si potest, iniuriae, tam est in* vitio , *quam si parentes , aut patriam , aut socios deserat.*
(5) I. ad Corinthios *cap. 15. vers. 57.*
(6) Ad Roman. *cap. 7. vers. 7.* Quam sententiam explicat S. August. in *cap. nam concupiscentiam 4. de constit.*
(7) Ad Rom. *cap. 2. vers. 12., et seq.* Videsis dicta *lib. 1. tit. II. num. XV.*

et quicumque in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.

LXXI. Frustra disputare idcirco videntur scholae, an cuncta intrinsecus mala sint, quae Decalogo prohibentur. Secus est in praeceptis mosaycis, humanisque legibus Potestate legitima latis : nam quae iis prohibentur, ideo extrinsecus mala sunt, quia prohibita (1). Mala inquam et haec sunt in genere peccatorum contra Legem Dei non primario, sed consequenter. Cum enim ex Apostoli (2) sententia non sit potestas, nisi a Deo : *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, et ipse sibi *damnationem* adquirit. Id autem discriminis est inter duo haec malorum genera, ut quod vetat Decalogus, Evangelio impletus, malum semper sit, nullaque necessitate, quantumvis extrema, nec dispensatione cuiuscumque vel summae potestatis possit licitum fieri (3). Quod vero prohibet lex humana, innocuum, licitumque aliquando fit ex legitima dispensatione, aut privilegio, vel abrogatione, ex contraria consuetudine, ex necessitate, quae nullam habet legem (4), ex omissa legis promulgatione, eiusque ignorantia probabili, et inculpata, ex loco extra territorium legislatoris, ex epicheya, quae summum ius summa iniuria mixtum aequo, et bono temperat, ex bona demum fide operantis, cuius animum ab intentione peccandi prorsus avertit ignorantia facti, fallens etiam prudentissimos (5).

LXXII. Dubitans animus bonam nequit fidem habere : *quocirca bene praecipiunt*, scribit Cicero (6), *qui vetant quidquam agere quod dubites, aequum sit, an iniquum.* Si dubius in fide infidelis est (7), et in fide *qui haesitaverit, similis est fluctui maris, qui a vento movetur, et circumfertur* (8) ; *si* male quisquam claudicat in duas partes (9) : si nemo potest, nisi male duobus dominis servire (10): iam patet, cur imprudenter malum agat in agendo dubius, bonum ne sit, an malum facturus. Id quod locum habere in quovis dubio quum Iuris, tum facti Doctores consentiunt (11). Itaque dubia etiam peccata debemus poenitentes confiteri (12). Ea vero ut vitentur : dubium ante animus abiiciat necesse est, inquirendo

(1) Gl. in *cap. ex parte 1. de offic. deleg.*

(2) Ad Romanos *cap. 13. vers. 1.*, *et seq.* Huc redeunt dicta superiori *lib. 1. tit. V. de const. num. IX.*

(3) Ex supradictis *lib. 1. tit. II. num. XIV.*

(4) *Cap. quod non est licitum 4. de regulis Iuris.*

(5) Apostolus ad Romanos *cap. 14. vers. 14.*, *et seqq.* haec scribit: *Scio, et confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi existimat quid commune esse, illi commune est . . . Qui autem discernit*, puta cibum vetitum, *si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide*, nimirum non ex proba conscientia. *Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.*

(6) Cicero *lib. 1. de officiis.*

(7) *Cap. 1. de haereticis*, et Clement. 1. §. *porro eod. tit.*

(8) *Ep.* Iacobi *cap. 1. vers. 6.*

(9) 3. Regum *cap. 18. vers. 21.*

(10) Matthaei *cap. 6.*, *vers. 24.*, et Lucae *cap. 16. vers. 13.*

(11) Cum S. Thom. *quodlib. 8. art. 13.*, *et seq.*

(12) S. Thom. in *supplem. qu. 6. art. 3. ad 3.*

quoad poterit rei veritatem, aut consulta ratione amplectendo sententiam in rebus Sacramenta spectantibus, in iudiciis, in arte medica semper tutiorem (1), in ceteris alii opinionem sequuntur probabilem, probabiliorem alii malunt, quam tutiorem (2).

TIT. IX.

De Extrema Unctione.

I. Quod infirmis oleo sacro, et sacerdotali oratione specialem gratiam confert, Sacramentum esse revera ex sacris Litteris profitemur.

II. Haec negant haeretici tribus cavillationibus.

III. Quas traditio Patrum refellit apertissime.

IV. Simul et synodus Tridentina tribus anathematismis.

V. De mediata, vel immediata Christi institutione vix dubitant nostri: at Evangelio Marci insinuatum *a Christo, epistolaque Iacobi* commendatum, *et* promulgatum *docent Patres tridentini.*

VI. Tridentina haec verba, prius aliter concepta cavillans Petrus Suavis a Bellarmino refellitur: quae institutionem Sacramenti Christo Domino vindicant rectissime.

VII. Oleum olivarum ab Episcopo benedictum materia huius Sacramenti est.

VIII. Episcopi apud latinos, vel presbyteri apud graecos omnimodis necessaria praeparat in oleo, aptamque efficit Sacramento materiam.

IX. Latina Ecclesia episcopalem exigens benedictionem non reprobat presbyteralem graecorum.

X. Unctione tam singularum corporis partium, quam unius valet Sacramentum.

(1) Ex *cap. iuvenis 3. de sponsal. cap. ad audientiam 12., cap. significasti 18. de homicidio, cap. illud Dominus 5. de cler. excomm.* Huc spectant tres priores ab Innocentio XI. damnatae propositiones. I. *Non est illicitum in Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta probabiliore.* II. *Iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem.* III. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quamvis tenui, aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Haec, et alia ab Alexandro VIII. proscripta num. 26. *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.*

(2) Fagnanus in *cap. ne innitaris prudentiae tuae 5. de constitut.* totus est, ut probabilem opinionem extrudat, disputans pro tutiore. Alexander VIII. hanc proscripsit propositionem *num. 3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.*

XI. Quum Latini , tum Graeci forma deprecante , verbis licet diversis utuntur.

XII. Genericum Domini mandatum in sacris Iacobi litteris, ut orent super infirmum, ungentes oleo, Ecclesiae reliquit arbitrium concipiendi preces ad formam idoneas.

XIII. Indicativam hinc formam ut inefficacem probabilius respuit S. Thomas , aliis contra opinantibus.

XIV. Presbyteros sacros , non profanos seniores huius Sacramenti ministros esse cum S. Iacobo Apostolo docet synodus Tridentina.

XV. Illudque quum a pluribus , tum ab uno probe confertur.

XVI. Ad Parochos autem , animarumque curatores vel ordinarios , vel delegatos, excepto casu necessitatis , pertinet ipsius ministerium.

XVII. Ex divisione praebendarum, et officiorum parochialium, quam disciplina recentior invexit , id simul emersit.

XVIII. Infirmos, tantum lethaliter decumbentes Latina Ecclesia hoc Sacramento munit , ceteros in supplicio , praelio, mare, partu , aliove fato periclitantes nequaquam.

XIX. Graeci quoslibet infirmos , remoto quamvis periculo mortis , ungere hoc oleo sancto consueverunt.

XX. Praeterea sanos poenitentes quotannis manibus Episcoporum in feria V. coenae Domini.

XXI. Abusum orientalium hoc ipso oleo poenitentes ad reconciliationem extra diem coenae Domini, ceteros infirmitate gravi non affectos improbant Innocentius IV., et Benedictus XIV.

XXII. Infirmi pueri rationis usu carentes , et perpetui mentecapti a peccatis immunes nulla huius Sacramenti ope indigent.

XXIII. Haec unctio speciatim reliquias peccatorum abstergit , animum allevat, et confirmat , divinaeque misericordiae fiduciam excitat.

XXIV. Refectos iam sacro Viatico , quam reficiendos infirmos Oleo sancto inungi mavult , et iubet Romana Ecclesia.

XXV. Sacra haec unctio iterari toties potest, quoties in grave mortis periculum quisque relabitur.

XXVI. Quam debent infirmi ex necessitate praecepti suscipere.

XXVII. Ipsam ne quis vanis timoribus abhorreat , nec plus aequo differat , Parochi satagant.

I. *Sacramentum* ea *est infirmorum, oleo sacro, et sacerdotali oratione specialem ipsis gratiam conferens.* Revera Sacramentum esse novi Testamenti profitemur , procul dubio institutum a Christo Domino ,

in Marci Evangelio bis praenunciatum, epistolaque Iacobi expositum planissime. Quod Apostoli accepta a Domino potestate ante passionem *praedicabant*, *ut poenitentiam agerent*, *et daemonia multa eiiciebant*, *et* ungebant oleo *multos aegros*, *et sanabant*, primum legimus in Evangelio (1). Deinde quod ascensurus in coelum Dominus suis ubi discipulis et praedicandi, et baptizandi munus demandavit, haec inter alia fidei signa facienda edixit : *In nomine meo daemonia eiicient. . . super aegros manus imponent, et bene habebunt* (2). Mox Iacobus (3) : *infirmatur*, ait, *quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiae*, *et* orent *super eum*, ungentes *eum* oleo *in nomine Domini: et oratio fidei* salvabit *infirmum*, *et si in peccatis sit*, *dimittentur ei*. Sacerdotale igitur ministerium *Unctionis* infirmorum, perinde ac Baptismi ab Apostolis ante passionem Christi eo auctore inchoatum, post iis ab ipso Domino iam resurrecto demandatum, apostolico tandem ore, calamo, usuque traditum, commendatumque vident omnes.

II. Quid ergo in sole caligant ultro post Valdenses, Albigenses, Wichleffitas Lutherani, et Calvinistae hocce Sacramentum nequissime abnegantes ? Cum nequeant maxime perspicuum Iacobi testimonium eludere : inficiantur in primis obdurata impudentia epistolam eius esse canonicam. Mox eum simul, et Marcum de solo miraculorum dono locutos delirant. Exin mentiuntur priscos Patres de hoc Sacramento siluisse, ipsum ut inter humana posterioris aevi figmenta obtrudant. In cunctis ii suam coevant omnino mentem. Nam divinam epistolae fidem sani omnes inconcussam habent (4). Cuius ea verba : *si in peccatis sit*, *dimittentur ei*, ostendunt praecipuam veri Sacramenti vim conferendae gratiae sanctificantis : alia vero materiam, formam, ministros, suscipientes palam designant. Tertium mendacium constans Traditio sat, superque redarguit.

III. Origenes saeculo tertio haec scribit (5) : *Est dura, et laboriosa per poenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis stratum suum... In quo impletur, et illud, quod Apostolus dicit :* « Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros Ecclesiae, » et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini. Mox « B. Chrysostomus (6) : *neque solum* inquit, *cum nos regenerant*, « *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem ob-* « *tinent* ». Infirmatur, *inquit Apostolus*, inter vos aliquis ? accersat presbyteros. Arabicus Nicoenae synodi canon sexagesimus nonus Baptismi aquam, Chrisma, et Oleum infirmorum distincte commemorat (7).

(1) Marci *cap. 6. v. 13.*
(2) Ibidem *cap. 16. v. 18.*
(3) *Ep.* Iacobi *cap. 5. vers. 14.*
(4) Ex supradictis *lib. 1. tit. II. de Sacr. Scriptur. n. V.*
(5) Origen. *hom. 2. in Leviticum.*
(6) Chrysostom. *lib. 3. de Sacerdotio.*
(7) Orientales Ecclesiae quum schismaticae, tum catholicae ut legitimos habent Nicoenos octoginta canones Arabici textus, a Francisco Turriano in Latinum versos, *to. 1. Concil.*, tametsi non alios, nisi viginti a Patribus Nicoenis latos plura evincunt monimenta, de quibus N. Alexander in *hist. saec. 4.*

Tum quinto vix ineunte saeculo Innocentius I. recitatis iisdem Iacobi verbis Decentio rescribit (1): *quod non est dubium de fidelibus aegrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti christianis licet in sua, aut suorum necessitate inungendo . . . Non poenitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti.* S. Augustinus in *Speculo* exscribit inter novi Testamenti praecepta eos ipsos Iacobi versiculos. S. Gregorius M. in *Sacramentario* ritum, et consecrandi, et ministrandi Oleum infirmorum habet. Quae subsequuntur aetates, multo plura, de hoc Sacramento testimonia ferunt, et ea uberrima Patrum, et Conciliorum (2).

IV. Summo igitur, et apertissimo iure hostes Ecclesiae synodus Tridentina anathemate profligat (3). I. *Si quis dixerit extremam Unctionem non esse vere, et proprie* Sacramentum *a Christo Domino nostro* institutum, *et a B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* II. *Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed iam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema sit.* III. *Si quis dixerit extremae Unctionis ritum, et usum, quem observat S. Romanae Ecclesia, repugnare sententiae B. Iacobi Apostoli: ideoque eum mutandum, posseque a christianis absque peccato contemni, anathem asit.*

V. Inter Catholicos vix dubitatum aliquando, utrum mediate, an immediate Christus hoc instituisset Sacramentum (4). Eiusmodi quaestionem non diremisse Tridentina synodus videtur. Verum ea doctrinam fidei hac in re definiens (5), *primum circa illius institutionem declarat, ac docet, quod clementissimus Redemptor noster, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis praeparavit, quibus christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint: ita extremae Unctionis Sacramento finem vitae, tamquam firmissimo quodam praesidio munivit.* Mox addit: *instituta est autem sacra haec Unctio infirmorum, tamquam vere, et proprie Sacramentum novi Testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.*

VI. Typum igitur, et symbolum huiusce Sacramenti adumbratum

dissert. 18. art. 1: negari quidem non poterit, quod Codex Arabicus, quidquid sit de canonica ipsius auctoritate, vetustissimus patefaciat usitatum apud Orientales Sacramentum Olei infirmorum.

(1) Innoc. I. *ep. 1.* ad Decentium Eugubinum Episc. *cap. 8.*, cuius fragmentum in *can. illud 3. dist. 95.*

(2) Ea congerit Iuvenin *dissert. 7. de Extr. Unct. art. 2.*, et Doctor Sorbonicus *de re Sacramentaria lib. 7.*

(3) Trid. *sess. 14. de Sacr. Extr. Unct. can. 1., 2., et 3.*

(4) Hugo a S. Victore *Sent. tract. 6. cap. 15. Hoc Sacramentum putat institutum ab Apostolis*: eique adhaeret Petrus Lombardus in *4. dist. 23. qu. 1.*

(5) Trid. *cit. sess. 14. in decreto de Sacr. Extr. Unct.*

in Evangelio Marci, quod synodus *insinuatum* dixit sapientissime, nemo non videt, et S. Thomas plane indicat (1). Calumniam Suavis Polani, qui obiicit in praevia Tridentini decreti forma aliter scriptum, refellit Cardinalis Pallavicinus (2). Ecquis in eo typo institutionem Christi inchoatam non intelligit? Quemadmodum ante Christi passionem baptizantes Apostoli futurum in aqua Sacramentum a Domino institutum: ita et ii ungendo infirmos, futurum in oleo Sacramentum, utrumque a Christo institutum proculdubio praesignarunt. Si vero Apostolus illud commendasse, ac promulgasse dicitur a Patribus sapientissimis: non is quidem institutor, sed Christus Dominus sane putatur. Sic tacite, at certo diremptam puto quaestionem in scholis diu agitatam.

VII. Saepe recitatis Iacobi verbis explicite inesse *materiam*, *formam*, *proprium ministrum*, *et effectum huius salutaris Sacramenti*, commonent laudati Patres (3). Iique in primis aiunt *materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*. Oleum scilicet ex proba utriusque Ecclesiae disciplina purum putum, quod communi est usui hominibus ex olivis expressum, nulloque alio commixtum liquore. Eugenius IV. Armenos instruens, ait: *materia huius Sacramenti est oleum olivae*. Dices fortasse commemorans Innocentii I. epistolam paullo superius allatam, consuevisse olim aegrotos *sancto oleo Chrismatis perungi*, istoque vocabulo designari unguentum ex oleo, et balsamo confectum (4). At meminisse quoque oportet, quod est cum S. Isidoro superius monitum (5), *chrisma graece unctionem latine* nuncupari: quamvis idipsum pro unguento etiam odoroso non semel, praesertim in Sacramento Confirmationis, accipiatur (6). Et quoniam quum Euchologia Graecorum, tum latina Ritualia nullam in consecrando infirmorum oleo mixturam alterius liquoris habent: exinde fit, ut *chrismatis* vocabulum in hocce Sacramento quandoque adhibitum pro simplici unctione puri olei accipere oporteat, communem Ecclesiae catholicae morem, ac sensum sequentes (7). Si quid vero admisceatur in ea quantitate, quae communis olei speciem nec mutet, nec destruat: tunc illicita quidem, sed valida censetur materia (8).

(1) S. Thom. in 4. *sent. qu. 3. art. 1.*

(2) Pallavicin. *hist. Conc. Trid. lib. 12. cap. 12.*

(3) Trid. *loc. cit. cap. 1.*

(4) Suarez *to. 4. par. 3. disp. 40. sect. 1. n. 10.*, hinc opinatur nil divinae institutioni repugnare mixturam balsami, aliusve liquoris in oleo infirmorum: eam asseverans olim consuetam non modo ex decretali Innocentiana, sed etiam ex decretis Conciliorum Wormatiensis, et Aquisgranensis.

(5) Hoc eodem *lib. II. tit. V. de Confirmatione num. 11.*

(6) Ex supradictis *ibidem num. XX.*

(7) Cum Iuvenino *de Sacram. diss. 7. qu. 3. cap. 1.*, et Bened. XIV. *de Syn. Dioec. lib. 7. cap. 16. num. 3.* S. Carolus in *actis Eccl. Mediol. p. 4. in instruct. de Extr. Unct. Si per errorem*, ait, *Sacerdos aliud oleum, quam quod infirmorum est, ad aegrotum ungendum umquam adhibuerit, etiamsi Chrismatis, aut Catechumenorum sit: ut erratum emendat olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat tuncque Sacramenti formam iteret.*

(8) Ex traditis a Benedicto XIV. *loc. cit.*

VIII. Ut autem haec ipsa materia sit aptior : eam episcopali apud Latinos , sacerdotali apud Graecos benedictione praeparare necesse est (1). In ea enim scholarum disputatione , divino ne , an ecclesiastico iure sit consecratio olei instituta : unde pronum est definire, num oleo non consecrato possit urgente necessitate , unctio suprema recte administrari : eam amplector sententiam , quae benedictionem vix presbyteralem requirit ad huius Sacramenti valorem , oleumque ea non praeparatum putat non idoneam esse materiam (2). Si enim Patres Tridentini perpetuam Ecclesiae fidem , Traditionemque apostolicam tenentes in Baptismo aquam naturalem , in Confirmatione vero ita Chrisma consecratum , ut in suprema unctione Oleum benedictum definiunt esse materiam: undenam fas erit in hoc Sacramento oleum non benedictum admittere? Innocentius III. non negavit , *quin oleum non consecratum consecrato possit Oleo commisceri* (3).

IX. Ad Latinos quod attinet , Innocentius I., ut iam nostis , necessariam aegrotantibus unctionem *oleo ab Episcopo confecto* faciendam edixit. S. Gregorius M. ritum in *Sacramentario* suo consecrandi oleum infirmorum describens , *offertur Pontifici* , ait , *oleum* , *et benedicit illud tam ipse* , *quam omnes presbyteri*. In Capitularibus Caroli M. cautum , *ut omnes presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant* , *secumque habeant* (4). Venerabilis Beda hunc ab Apostolis acceptum morem tradit , *ut aegroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato* (5). Eandem episcopalis consecrationis necessitatem confirmant plurima Occidentalis Ecclesiae concilia quum localia , tum oecumenica : in his Florentinum sub Eugenio IV. , et Tridentinum , simul et latina cuncta Ritualia, praesertim Romanum (6). Mos Graeco-

(1) Suarez *to. 4. p. 3. disp. 40. sect. 1. num. 3.*, *et 4.*, et Estius in *4. dist. 23. §. 9.* Olei consecrationem nedum ex Ecclesiae praecepto , sed iure divino ad valorem Sacramenti esse necessariam. Alii cum Sambovio , et Iuvenino *hoc tit.* in ea solam humani praecepti vim agnoscunt. Aliqualem saltem presbyteri benedictionem sufficere putant alii cum Caietano , et Soto , quibus adhaerere videtur Benedictus XIV. *de Syn. Dioec. lib. 7. cap. 16. num. 4.*

(2) S. Thomas in *suppl. qu. 29. art. 5. in C.* hanc in primis rationem affert praeparandi materias Sacramentorum solemni benedictione. *Quia omnis efficacia Sacramentorum* , ait , *a Christo descendit : et ideo Sacramenta illa, quibus ipse est usus, habent efficaciam ex ipso usu suo, sicut tactu suae carnis vim regenerativam contulit aquis : sed hoc Sacramento non est usus , nec aliqua corporali unctione, et ideo in omnibus unctionibus requiritur sanctificatio materiae.*

(3) Inn. III. in *cap. quod in dubiis 3. de consecr. Eccl., vel alt.* Rituale quoque Romanum *hoc tit.* monet oleum non benedictum in minori quantitate infundi oleo consecrato posse intra annum deficienti.

(4) Capitul. Car. M. *lib. 6. cap. 75.*, Synodus etiam Cabilonensis II. *an. 823, cap. 48* haec decernit: *Secundum B. Apostoli Iacobi documentum , cui etiam documenta Patrum consonant , infirmi oleo , quod ab Episcopis benedicitur , a presbyteris ungi debent.*

(5) Beda *comment. ad cap. 6. Marci.*

(6) In Romano Rituale *de Sacram. Extr. Unct.* ita constitutum : *Habeat Parochus loco nitido , et decenter ornato in vase argenteo , seu stamneo diligen-*

rum antiquissimus admittit presbyteralem olei benedictionem (1), a qua improbanda tantum abest Romana Ecclesia, ut ratam immo habeat (2): quia non fidei, sed disciplinae res est. Dubitari propterea nequit, quin possit ex pontificia dispensatione Latinus etiam presbyter Oleum infirmorum benedictione sua ad Sacramentum praeparare.

X. Proxima istius materia est unctio crucem delineans ex hodierno *latino* ritu (3) in singulis fere partibus corporis, quas veluti sensuum instrumenta habemus, oculos, aures, nares, labia, manus, pedes, ac renes: hos tamen in foeminis pudor, in graviter decumbentibus necessitas ungi non sinunt. Et quoties aderit in mora periculum, sat erit unicam in quavis parte unctionem adhibere. *Graecorum vero Sacerdotes*, tradit Arcudius (4), *ungunt aegri frontem, mentum, ambas genas, ita ut fieri videantur unctio in capite ad modum Crucis, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes.* Quoniam vero sacris Litteris inungendae partes nullatenus

ter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis feria V. in coena Domini ab Episcopo benedictum renovandum est: ab eoque quotannis accipiat, veteri combusto.

(1) Goar in *Eucholog. Graecor.* describit *Officium Olei sancti decantatum a septem Sacerdotibus congregatis in Ecclesia, aut in domo.* Cuius rei fidem quoque faciunt Arcudius *lib. 5. cap. 2.*, et Allatius *de consensu utriusque Ecclesiae cap. 16.* Idemque Goar in *notis hoc tit. nota 22.* scribit. *Cum sacerdotalis sit ministerii aegrotos Oleo sacro linire: nsu consentiente factum est, ut non a Graecis Pontificibus, sed a Sacerdotibus consecratum, et quoties urget necessitas, renovatum, et recens benedictum huic Sacramento conferendo proferatur.*

(2) Ioannes XXII., *ep.* ad Ossinium Armenorum Regem: *Ipsi etiam* (ait) *Sacerdotes* Armenorum *Oleum, quod infirmorum dicitur, consecrant: eum tamen apud nos ad Episcopos solos spectet.* Clemens VIII. in sua ad Episcopos latinos in partibus Graeciae commorantes *instructione* haec inter alia scribit: *Non sunt cogendi presbyteri Graeci Olea sancta praeter Chrisma Confirmationis ab Episcopis latinis dioecesanis accipere, cum eiusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum, et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, et benedicantur.* Hocce decretum firmat, innovatque Bened. XIV. in sua pro Italo-Graecis *const. 57. §. 4. tom. 1. Bull.* S. Congregatio de propaganda fide in *synopsi vernacula* Neophiti Rodini typis Romanis edita probans disciplinam, doctrinamque Graecorum hunc in ea articulum promit. *Materia Sacramenti Extremae Unctionis est oleum olivae expressum, a Pontifice, vel a Sacerdotibus, qui praesentes fuerint, iuxta Ecclesiae morem benedictum.*

(3) Quem firmant Eugenius IV. in *Armenorum instruct.* Rituale Romanum Pauli V., et S. Carolus in IV. Synodo Mediolanensi, S. Gregorius M. in Sacramentario consuetam quinque sensuum unctionem aevo suo in Ecclesiis Occidentalibus refert, ac probat. S. Thomas *part. 3. supplem. qu. 32. art. 6.* illam unctionem ab omnibus observari, scribit, *quae fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti.* Idemque monet mutilatos in parte propinquiori esse ungendos in *4. sent. dist. 23. qu. 2. art. 3. quaestiunc. 3.* Id quod suadet etiam S. Carolus in *instruct. de hocce Sacr.* Videsis Benedictum de Gaetanis in *dissert. de suprema Unctione,* et Card. Sanctorium in suo *Rituali.*

(4) Arcudius *lib. 5. concord. de Extr. Unct. cap. 15.* Theodulphus Aurelianensis Episcopus tres tantum unctiones ineunte saeculo IX. apud Graecos usitatas fert., *lib. 1. Capitular.* apud Balut. *tom. 2. miscell.*

designantur, nec liquet plures prioribus Ecclesiae saeculis inunctas: pectus tantummodo sacro oleo delibutum saeculo sexto observat Mabilonius (1). Exinde plures earum partium liniendi morem varium invaluisse, et potissimum affectas dolore maiori ferunt antiqua monimenta (2). Itaque rem hanc in mobili disciplina versari palam est. Unde consequitur Sacramentum utique valere, ubi vel una quaelibet pars ungatur, quae magis obvia videatur in casu periculosae morae, morbisque contagiosis (3).

XI. Latinorum *formam* condocet synodus tridentina (4) *esse* illa verba: *per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (et ita gradatim per alios sensus) *deliquisti*. Graeca in euchologiis forma hunc habet latine sonum. *Pater sancte, animarum, et corporum medice, qui Filium tuum Unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum omnem morbum curantem, et ex morte nos liberantem misisti, sana quoque servum tuum N. a detinente illum corporis infirmitate, et vivifica illum per Christi tui gratiam* (5). Utraque forma *deprecans* est, et ad unam eamdemque Sacramenti substantiam, ac virtutem exprimendam bene conspirat, verbis licet discrepantibus.

XII. Quum Ecclesia mandatum a Domino in sacris Iacobi litteris genericum solummodo acceperit, ut presbyteri ad infirmum quemque vocandi *orent super eum ungentes oleo*; nulla orandi forma inibi speciatim praescripta: consequitur necessario, ut Ecclesiae ipsi datum sit praescribere certam, et individuam, sive (uti loquuntur scholae) infimae speciei formam externam, et verbalem, quae orantis animi super aegros ungendos formam internam repraesentet in sensibili signo Sacramenti. Nil itaque absurdum, alia si alii verba diversis retro temporibus usurpaverint, vel *pure deprecantia* cum Graecis, vel *indicativa* cum paucis, vel *mixta* cum plerisque Latinorum Ecclesiis. Quae Latinis, Romanisque *mixta* forma usui erat communiori, traditur in Sacramentario B. Gregorii M. hisce verbis: *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in regem, et prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic spiritus immundus... sed in te habitet virtus Christi altissimi, et Spiritus Sancti* (6). Ambrosianis haec brevior: *Ungo te oleo sanctificato*

(1) Mabillon. in *praefat. ad saec. VI. Benedictinor.*

(2) Apud Martene de *antiq. Eccl. ritib. to. 1. lib. 1. cap. 7. art. 8.*, Morin. in *append. ad tract. de Poenit.* Hugo Menard. in *not. ad Sacramentarium divi Gregorii.*

(3) Ex statutis Coloniensibus Octavii Francipani, Apostolici per Germaniam, et Belgium Nuntii, ex Rituale Mechliniensi per Academiam Lovaniensem probato an. 1588., Parisiensi item Rituale, ceterisque laudatis a Benedicto XIV. *cit. lib. 7. de Syn. Dioec. cap. 18.*

(4) Trid. *cit. sess. 14. de hoc Sacr. cap. 1.* Consonat decretum Eugenii IV. *pro Armen. instruct.*

(5) Apud Goar *in Euchologio*, et Neophitum Rhodinum *in synopsi vernacula.*

(6) Forma Gregoriana usos Germanos, eamque pluribus in Ritualibus eorum suis inspexisse oculis enarrat Albertus Magnus in 4. *dist. 23. art. 4.*

in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *ut more militis uncti praeparatus ad certamen aereas possis superare potestates* (1). Catalanis haec alia : *In nomine* Patris, et Filii, et Spiritus Sancti *sit tibi haec porrectio olei sanctificati ad purificationem mentis, et corporis* (2). In duabus istis posterioribus vim latentis etiam deprecationis percipere non arduum est. *Mere indicativa, et absoluta*, quae prostat in Pontificali Narbonensi est huiusmodi : *In nomine* Patris, et Filii, et Spiritus Sancti *regnantis in saecula saeculorum accipe sanitatem corporis, et remissionem peccatorum tuorum* (3). Quae vero priorem solummodo partem indicativam formae, vel Gregorianae, vel Ambrosianae continent sine ullo deprecandi verbo, eas produnt in lucem Menardus (4), ceteri antiquae disciplinae amatores ex nonnullis inferioris quidem notae, sed haud spernendis codicibus.

XIII. Varietas isthaec ansam dedit Theologis disputandi, probane, an irrita foret forma in hoc Sacramento pure indicativa? Nam plures cum eam veluti prorsus ineptam, S. Thoma duce, propulsarent (5) : pro ipsa alii, tamquam idonea pugnabant (6). Dubio si adhuc marte certandum sit, Angelicum sequar, ex quo Florentini, Tridentinique Patres formam pure deprecantem sunt amplexi.

XIV. Ministros huius Sacramenti Presbyteros quidem esse Apostolus ipse Iacobus palam indicat. Eo autem vocabulo apostolico non aetate seniores, aut primores in populo : sed aut Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos intelligi docet Synodus Tridentina (7), quae aliter dicentes Novatores Sacramentarios diris devovit. Superfluum esse dixerim cum Innocentio I. (8), *ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad omnes languidos ire non possunt.* Hisce verbis ministerium supremae Unctionis vindicatum solis Presbyteris, et Episcopis ab Innocentio palam videmus, eorum opinione reiecta, qui ex priori fragmento epistolae eiusdem Innocentii arguunt ipsum christianis omnibus vel laicis indulsisse sancti huius Olei ministerium, dum ait : *quod ab Episcopo confectum*

(1) Hanc Ambrosianam exscribit S. Bonaventura in 5. *ead. dist. 23. art. 1. qu. 4.* Ipsamque a priscorum Patrum nemine oppugnatam asserit Paludanus *eadem dist. 23.* Iisdem ferme verbis prostat in Sacramentali Venetorum, quod a Leone X. probatum fert Arcudius *lib. 5. de Concord. Eccl. cap. 5.*

(2) Apud Martene de *antiq. Eccl. rit. lib. 1. cap. 7. art. 3. §. 9.*

(3) Apud Benedict XIV. *de Syn. Dioec. lib. 7. cap. 17. in fin.*

(4) Menard. in *notis ad Sacramentar. B. Greg. M.* Martene *loc. cit.* Launoius *de Sacr. Unct. infirm.* Morin. *de Sacr. Poenit. lib. 8. cap. 16.*

(5) S. Thomam in *4. dist. 23. qu. 1. art. 4. quaestiunc. 2.*, *et in supplem. qu. 29. art. 8.* sequuntur S. Bonaventura *ead. dist. art. 1. qu. 4.*, Suarez *to. 4. part. 3. disp. 40.*, *sect. 3.*, Cardinal. Sanctorius in *suo Rituali pag. 324.*

(6) Albertus M. Richardus, Durandus, Paludanus, Estius *cit. dist. 23.*, tum Iuvenin, Doctor Sorbonicus, Tournely, ceteri *de hoc Sacramento* disputantes recentiores.

(7) Trid. *sess. 13. de hoc Sacr. cap. 3.*, *et can. 4.*

(8) Inn. I. in *can. illum superfluum 3. dist. 95.*

non solum Sacerdotibus, sed et omnibus uti christianis, licet in sua, aut in suorum necessitate ad ungendum (1). Quandoquidem non de activa, sed de passiva tantum unctione loquutum hic sentiunt Innocentium, qui sanae mentis sunt (2): vel de usu olei extraordinario sine Sacramenti forma in morbis mortis periculo expertibus (3).

XV. Unus ne satis, an plures insimul presbyteri ad ministrandam hanc Unctionem sint necessarii, non absre disserendum. Antiqua enim disciplina plures consuevit adhibere, pluralem Iacobi locutionem spectans. Apud Graecos adhuc septem una concurrunt Sacerdotes ad unctionem infirmorum peragendam, quae ab iis propterea *Heptapapadum* quandoque dicitur, idest officium septem Sacerdotum (4), vel saepius *Euchelaeon*, idest oleum Sacerdotum precibus sanctificatum (5). Rationem ab Angelico audire praestat. *Quia hoc Sacramentum*, ait (6), *perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae, competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes intersint, et ut orationibus Ecclesiae ad effectus huius Sacramenti coadiuvent.... si tamen unus solus presbyter adsit: intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute ipsius Ecclesiae, cuius minister existit, cuius personam gerit.* Adde quod unam institutoris Christi personam repraesentat quidem minister unus. Et sane quamvis Latina etiam Ecclesia olim usque ad saeculum XII. plures Unctionis comministros adhibere saepius consuevissent (7): aliquando tamen unius tantummodo ministerium probum, ratumque habuit (8). Quod *Episcopus* unus infirmos possit oleo sacro ungere, asseruit Innocentius I. in saepe dicta epistola ad Decentium. Synodus Toletana munus et perungendi, et reconciliandi infirmos, ubi defuerit Episcopus, Archipresbytero deman-

(1) Ea ipsa Innocentianae epistolae priora verba exscribit Beda in *cap. 6. Marci*, Binius *to. 1. Concil.*, ceteri Conciliorum Collectores.

(2) Bellarmin. *lib. 1. cap. 9.*, Baronius ad an. 63. *num. 14.*, Petrus Coustant. in *not.* ad eamdem Inn. I. *epist. to. 1.*

(3) Eiusmodi usum perantiquum commemorant Rufinus *lib. 11. hist. eccl. cap. 4.*, Severus Sulpit. *in vita S. Martini cap. 21.*, Gregor. Turonens. in *vitis Patrum cap. 4*, Surius in *vita S. Gothardi Episc. to. 7. die 4. Maii.* Eumque ab Innocentio I. permissum, exponunt Solus in *4. dist. 23. qu. 2. art. 1.*, et Gregorius de Valentia *to. 4. disp. 8. qu. 2. punct. 1.*, *etc.*

(4) In Synodo Constantinopolitana an. 1277. a Patriarcha Io: Vecco celebrata, eiusdemque *ep.* ad Ioannem XX., *to. 7. Conc. Collect. Harduini.* Hanc memorat Benedictus XIV. *to. 4.* Bullarii *const. ex quo primum 53. pag. 385.*

(5) Goar in *Euchologio*, et Gabriel Philadelphius *de Sacram. Euchelaei*, Georgius Pachymeres *lib. 6. hist. Palaeol. cap. 32;* quos laudat Benedictus XIV. *loc. cit.*

(6) S. Thom. *lib. 4. contra gentes cap. 83. in fine, et par. 3. qu. 67. art. 6.*

(7) Id ex pluribus Ritualium Codicibus Latinis desumit Menardus *ad Sacrament. S. Greg. nota 909.*, Martene *loc. cit. §. 3.*

(8) S. Gregorius Turonensis *lib. 1. hist. cap. 41.*, fert Attemum febre correptum ab uno *S. Nepotiano* visitatum, atque Oleo perunctum. Bollandus ad 1. Ianuarii S. Eugendum *ab uno* de Fratribus quoque unctum enarrat. Vid. Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. Dioec. cap. 19. num. 5.*

*

dat (1). Alexander III. Carnotensi Episcopo respondit, *quod Sacerdos, uno praesente Clerico, et etiam solus, infirmum ungere potest* (2). Hinc nova Latinorum disciplina uni presbytero ita Unctionem hanc tribuit, ut plures interesse ferme non patiatur (3). Graecis vero suum adhuc retinere morem non impedit catholica Latinorum Ecclesia, dummodo ii hoc etiam inter articulos fidei credant, quod valeat sacra infirmorum Unctio vel ab uno collata (4).

XVI. Ex presbyteris non quilibet, sed solummodo Parochus curam animarum habens vel ordinariam, vel delegatam, aut ab eo deputatus quisquam hoc Sacramentum licite ministrat (5). In Religiosos id sine speciali Parochi licentia ministrare audentes Concilium Viennense (6) censuram excommunicationis Sedi Apostolicae reservatam sanxit; ceteri dabunt poenas episcopali arbitrio infligendas (7). Vix ubi Parochus, aut impeditus, aut alias in mora est, mortisque periculum instat: Sacerdos tunc alius nulla censura innodatus moribundum inculpate ungit (8).

XVII. Quaeres, cur Ecclesiae Latinae canones recentiores, antiquo more posthabito, presbytero uni, eique parochiali ministerium Olei sancti reservaverint? Opinans ajo, ex novo praebendarum, beneficiorumque iure causam huiusce rei esse repetendam. Videtur enim perdurasse multiplicitas comministrorum, quoad cuncti presbyteri, clericique proventus ecclesiasticos olim indivisos, uti participabant, ita

(1) Toletana Synodus in *cap. ministerium 2. de off. Archipr.*

(2) Alex. III. in *cap. quaesivit 14. de verb. sign.* ibique Gonzalez.

(3) Suarez *to. 4. part. 3. disp. 43. sect. 2. in fine*, et Card. de Lauraea in *4. sent. disp. 11. art. 9. num. 114. to. 3.*, plus aequo procurrentes illicitam putant Unctionem infirmi a pluribus comministratam. Consultius monet Card. Sanctorius in *Rituali Sacrament. pag. 342. Sacerdos, ubi commode fieri potest, ut in Ecclesiis Collegiatis plures secum adhibeat presbyteros, cum ungit infirmum: in aliis vero Ecclesiis saltem uno clerico praesente, aut aliis pluribus scholaribus, vel confratribus Ecclesiae.* Id quod magis adprobat Benedictus XIV. *cit. lib. 7. de Syn. Diaec. cap. 19. num. 5.*

(4) Ruthenorum Synodus Provincialis Zamosciae an. 1720., a Benedicto XIV. confirmata an. 1724., constituit, ut in Ecclesiis Graecorum, *si septem, aut tres Sacerdotes haberi commode non possint, unus, qui totius Ecclesiae personam gerit, et cuius virtute hoc Sacramentum perficit, illud conferat, ac infirmo ministret.* Nil ergo refert, sapienter docet Italo-Graecos Benedictus XIV. in *const. etsi pastoralis 57. §. 5. tom. 1. Bull., utrum eadem Extrema Unctio per unum, vel plures presbyteros fiat, ubi eiusmodi viget consuetudo, dummodo credant, et asserant illud Sacramentum, servata debita materia, et forma, ab uno presbytero valide, et licite confici.* Idem *Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respective debet, ac propterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, et alius pronunciet.*

(5) Ex Catechismo Rom. *par. 2. hoc tit., num. 13.* Idque S. Carolus etiam decrevit in Conc. Mediolan. V. *hoc. tit.*, et Neapolitana Synodus Provincialis Card. Pignatelli, qui fuit Innocentius XII.. *hoc. tit. num. 2.*

(6) Clement. I. *de privileg., et excess. privileg.*

(7) Ex *cit.* Synodo Neap. *num. 3.*

(8) Ex iisdem Synodis Mediolanensi V., et Neapolitana *loc. cit.* et Bened. XIV. *cit. lib. 7. cap. 19. num. 6.*

communi Ecclesiae famularentur. Postea quum et praebendae, et beneficia, et Parochiae in singulos divisis etiam officiis conferri octavo abhinc saeculo coepissent (1) communi famulatu Ecclesiae dissoluto; pluresque item ad ordines promoverentur sine titulo, nullum scilicet beneficium, aut officium ecclesiasticum habentes: factum exinde puto, ut officia, et ministeria parochialia Parochus quisque solus obiret vel invitus, aliosque a participando suo quum onere, tum emolumento vicissim excluderet. Hinc abusus etiam et querelae, quod solis divitibus hoc daretur Sacramentum (2): quum laboris mercedem presbyteris non parochialibus congruam suppeditare pauperes non possent. Atque hinc nova lex Parochos tantum cogens ad tale ministerium omnino gratis exercendum, in eoque negligentes puniens arbitrio Episcopi.

XVIII. Infirmos graviter ad mortem decumbentes hoc Sacramento capaces sic habet Ecclesia catholica, ut ipsum *Extremae Unctionis* vocabulo, *et Sacramentum exeuntium* appellare consueverit (3). Monentur autem Parochi, illud ne nimium differant, quousque sensibus destituatur infirmus, et spes convalescentiae omnino evanescat (4). Damnatis vero ad mortem, qui nulla opprimantur infirmitate, dari non debere docet S. Thomas (5), nec etiam praelium, vel mare, vel aliud vitae periculum sano corpore adituris (6), neque partui proximis foeminis, alias non aegrotantibus: eoque minus coecis, claudis, aliove morbo mortem inferente affectis.

XIX. Graeci vero infirmos quoslibet, remoto etiam periculo mortis, hoc Sacramento reficiunt, ex quo Apostolus infirmantes generatim, non lethaliter decumbentes eo adiuvandos fore scribit, et in Marci

(1) Ex alibi dictis in meo de Beneficiis *tract. cap. 1. num. XX., et seq.*

(2) Haereticos Valdenses, sive pauperes de Lugduno ita conquerentes fert Reinerius apud Benedictum XIV. *ibidem. num. 6.*

(3) Trid. *sess. 14. cap. 3.*, et Eugen. IV. in *cit. decreto pro Armenis* id tradunt acceptum ab antiquioribus Patribus, ab Innoc. I. in saepedicta *ep. ad Decentium*, et Theodoro Cantuariensi in *lib. poenitentiali*, ex Sacramentario B. Greg. ex Capitularibus Caroli M. *lib. 5. cap. 75.*, plurimisque synodis praesertim Cabilonensi II. an. 813. *can. 48.*, Aquisgranensi an. 386. *can. 5.* Moguntina an. 847. *can. 26.*, Ticinensi an. 850. *can. 8.*, ceteris passim recentioribus. S. Thomas in *suppl. qu. 32. art. 2.* in *C. Hoc Sacramentum*, ait, *est ultimum remedium, quod Ecclesia potest conferre, quasi immediate disponens ad gloriam: et ideo illis tantum infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium, propter hoc, quod aegritudo nata est inducere mortem, et de periculo timetur.*

(4) Ex divo Thom. *4. dist. 23. sect. 2. art. 2.*, et S. Carol. in *instruct. h. t.*, *et cit.* Neapol. Synodo *h. t. n. 5.* In Synodo Mediolanensi decrevit S. Carolus: *Extremae Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut aegrota, dum integris est sensibus, adhibeatur.* Spes etiam superesse debet aliqua, ut oratio fidei allevans infirmum gratiam utriusque salutis a Deo impetret.

(5) S. Th. *lib. 4. contra gentes cap. 73.* Verum nonnulla sunt extraordinaria exempla apud Bened. XIV. *cit. lib. 7. cap. 20. n. 2.*, de piis viris, foeminisque Extrema Unctione munitis ex certo futurae mortis oraculo, quamvis corpore bene valentibus. Ea tamen potius nos admirari, quam imitari oportet.

(6) Ex Synod. Mediol. IV. *p. 2. tit. 6.*

Evangelio dicuntur Apostoli oleo multos aegros unxisse, et sanasse. Hunc quippe morem Graecis esse notat Goar, ut aegrotantes ipsi aliena etiam ope *ad Ecclesiam deferantur, ibique plurium nonnumquam dierum spatio in catechumenis iaceant, pernoctent, morentur, et sacra tandem Unctione sibi remedium exposcant* (1). Cuiusmodi morem aiunt non improbatum a synodo tridentina, quum ea decreverit *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero* praesertim, *qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur.* Verbo *praesertim* alios aegros opinantur haud exclusos. Verum enimvero *Graecis diserte vetitum*, rescribit Benedictus XIV. (2), *Extremae Unctionis Sacramentum aliis conferre, praeterquam aegrotis, et quidem gravi morbo laborantibus.* Nam Eugenius IV. Armenos instruens, inquit: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.*

XX. Sanos autem poenitentes a Graecis Episcopis feria quinta coenae Domini quotannis sacro hoc oleo ungendi morem servant illi vetustissimum. *Ex ritu Graecorum*, notat saepe dictus Goar, *feria quinta in coena Domini ipse Episcopus sacrum Oleum benedicit, sed eadem die totum consumitur. Cuncti enim accessuri ad sacram synaxim ad peccatorum expiationem sese ungendos offerunt: et Episcopus ipse primus omnium OEconomi manu unctionem suscipit, quem deinde omnes alii sequuntur. Hac itaque unctione, quamvis tantum* caeremoniali *Oleum totum consumitur. . . Infirmum spiritualem, hominem scilicet poenitentem, prae oculis Graeci habentes, precibus quidem his, velut pharmaco salubri, sanandum suscipiunt: non ita tamen, ut unctio precibus adiuncta ex opere operato animae deleat infirmitates; sed si quid possit ex poenitentis tantum devotione, aut Sacerdotis deprecantis charitate, idest ex opere operantis illud valeat producere. Addo et hac eadem mente unumquemque Oleo sancto ab Episcopis benedicto sese in Ecclesia Orientali ungendum offerre feria quinta in coena Domini: sed nec ille poenitens corpore vegetus, nec illi mysteriorum Dei dispensatores veri, germanique* Sacramenti *suscipiendi, vel concedendi mentem, ani-*

(1) Goar in *notis ad Euchолog. Graecor.* Addam sub Urbano VIII., et initio Pontificatus Benedicti XIV. disceptatum diu esse, an graeca Euchologii verba de Sacramento Olei ministrando iis, qui ad Ecclesiam veniunt praeseferentia licere hoc Sacramentum sanis etiam conferre, et recognita definitum nil fore in Euchologii textu mutandum. *Neque enim dicitur* (monet Benedictus XIV. in *const. ex quo primum 35. §. 47. tom. IV. Bullarii*), *ut Sacramentum ministretur iis, qui bene valent: sed ut ii quoque inungantur, qui ad Ecclesiam se conferunt. Id quod percommode intelligi potest de iis etiam, qui licet gravi morbo affecti, possunt nihilominus ad Ecclesiam, vel pedibus suis accedere, vel aliorum ope deferri, ibique, ut propriae devotioni magis satisfaciant, Extremae Unctionis Sacramentum sibi ministrari postulant. Cuiusmodi exempla in ipsa quoque Occidentali Ecclesia non desunt, uti videre licet apud* Martene de *antiqu. Eccl. rit. lib. 2. cap. 7. art. 2. n. 7.*, et Mabillon. in *praes. ad saec. I.* in actis sanct. Ord. Bened. §. 9. *num. 101.*

(2) Bened. XIV. *in const. ex quo primum.*

mumque dicendi sunt habere (1). Hanc ob causam tolerari potuit eiusmodi caeremonia Sacramento vacua, instar Chrismatis, quo baptizatos presbyteri latini solent inungere.

XXI. Alia quoque sacrae Unctionis caeremonia in reconciliandis poenitentibus extra coenae Dominicae diem apud Orientales dudum invaluit. In Codice Arabico Nicaeni concilii, quo multo plures, quam viginti genuini canones Nicaeni obtruduntur, *canon.* 74. fert fidelem virum cum infideli muliere impudice versatum, diuturna peracta poenitentia, Ecclesiae reconciliari *per aquam benedictam, et Oleum infirmorum.* Hinc firmata opinio consummandae reconciliationis poenitentium solemni unctione sacri Olei infirmorum, quae tandem in malos usus evasit. Enimvero poenitentibus plerumque divitibus sacram olei Unctionem imperabant presbyteri velut opus satisfactionis, ut pecuniam non modicam pro laboris retributione extorquerent (2). Tantum idcirco abusum abolere studuerunt Innocentius IV. (3), et Benedictus XIV. (4). Concludendum igitur cum hoc saepe laudato Pontifice, nullimode adprobari posse, ut sacrum Oleum extra gravis infirmitatis casum adhibeatur: quum non liceat Sacramentum a Christo institutum in arbitrariam hominum, quantumvis piam caeremoniam convertere, aut Sacramenti materiam in alium a Christo volitum usum; ideoque gravibus poenis plectendum, ut sacrilegum, vel uti suspectum non rectae fidei, qui sanctum Oleum det, vel accipiat, eo ut sese in aegritudinibus liniat pro libito. Nunc itaque abrogata prorsus licentia est, quam hae in re fortasse indulserat Innocentius I. (5).

XXII. Ex infirmis pueros primum excipe rationis usu carentes, quum in iis peccata non sint, quae hoc possit Sacramentum abstergere (6). At illos, qui et peccati mortalis, et Poenitentiae Sacramenti sunt capaces, octo, vel novem annos non egressi, quamvis cibo Eucharistico numquam refecti, ungendos merito iubet Rituale Romanum. Quae vero Synodi vel pubertatis annum postulant, ut Anglicana Provincialis, Parisiensis Episcopi Odonis, Meldensis, Nannetensis, vel maiorem aetatem, ut codex ms. S. Martini Turonensis, et catechismus Viennensis Episcopi Friderici Nauseae: eas omnes improbat Be-

(1) Idem Goar. *loc. cit. nota 3. in Offic. sancti Olei.* Idipsum contestantur Arcudius *lib. 5. de Extrema Unct. cap. 4.*, et Eusebius Renaudotius *de perpetuitate fidei tom. 5. lib. 3.* Refellenda hinc videtur Iuvenini opinio contendentis huic coeremoniae Graecorum qualitatem Sacramenti attribuere, *disser. 7. h. t. qu. 7. circa finem.*

(2) Thiers *tom. 2. de superstit. circa Sacrament. Extremae Unct. lib. 8. cap. 6.*

(3) Innoc. IV. ep. ad Tuscular. Episc. §. 6. *Nulli per Sacerdotes, vel Confessarios pro satisfactione Poenitentiae unctio aliqua solummodo iniungatur.*

(4) Bened. XIV. in *cit. const. ex quo primum §. 48., et const. etsi pastoralis 57. §. 5. t. 1. Bull.*

(5) De ea superius dictum *hoc tit. num. XIV.*

(6) S. Thom. in 4. *dist. 23. qu. 2. art. 2. Forma huius Sacramenti non competit pueris, qui non peccaverunt per visum, et auditum etc., ergo eis non debet dari.*

nedictus XIV. (1). Excipiendi eodem iure sunt amentes illi, et furiosi perpetuo, quibus a nativitate nulla ex intervallo lux rationis affulsit: secus qui aliquando mentis compotes fuere (2). *Infirmis* enim, *qui sana mente dum erant illud, petierunt, aut verosimile est, quod petiissent, etiamsi postea in amentiam inciderunt, vel ratione, sermoneve uti desierint*, ministrandum fore docet S. Thomas (3). *Quia inter fines praecipuos huius Sacramenti*, addit Suarez (4), *est supplere vices Sacramenti Poenitentiae, quando vel illud applicari non potest. vel de facto non satis utiliter applicatum est.*

XXIII. Tres huic Sacramento effectus reipsa peculiares sunt, remissio videlicet cumulata peccatorum, fiducia divinae misericordiae, et robur adversus diaboli nequitias, quibus laborantis et animi, et corporis aegritudo fit levior. *Res etenim haec*, ait Synodus Tridentina apostolica Iacobi verba explicans (5), *gratia est Spiritus Sancti, cuius Unctio* delicta, *si quae sint adhuc expianda, ac* peccati reliquias *abstergit, et aegroti animam* allevat, et confirmat, *magnam in eo divinae misericordiae* fiduciam *excitando, qua infirmus sublevatur, et morbi incommoda, ac labores levius fert, et tentationibus doemonis calcaneo insidiantis* facilius resistit, *et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.* Primum sane, ac potissimum sacra haec Unctio peccata dimittit, nimirum occulta, et oblita, quaeque vel ignorans, vel impotens nequiverit aegrotus in sacramentali Confessione aperire; tum ceteras peccatorum reliquias detergit, culpas puta veniales (6). *Complementum* ideirco, et *perfectio Poenitentiae* saepe appellatur: propterea quod *non modo Poenitentiae*, ait Synodus Tridentina (7), *sed totius christianae vitae, quae perpetua poenitentia esse debet*, consummativum *extimatum est a Patribus.* Scholae differentias verborum sectando aiunt, delicta quidem venialia ex necessa-

(1) Ben. XIV. *lib. 7.* de Syn. Dioec. *cap. 21. n. 2.*

(2) Ex supra iam dictis *hoc lib. II. tit. II. n. LVII.*

(3) S. Thom. in *4. dist. 23. qu. 2. quaestiunc. 3.* S. Carolus in *Syn. Mediolan. III.*, *et in instr. de hoc Sacr.*, ceteri omnes Theologi.

(4) Suarez *cit. disp. 42. sect. 1. n. 6.*

(5) Trid. *cit. sess. 14. cap. 2.* Eugenius IV. in Armenorum instruct. *Effectus*, inquit, *extremae unctionis est mentis sanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis.*

(6) S. Thom. *lib. 4. contra Gentes cap. 73.* haec habet: *Contingit, quod homo omnium peccatorum, quae commisit, notitiam, vel memoriam non habet, ut possit per Poenitentiam singula expurgare, a quibus oportet hominem per hoc Sacramentum emundari.* S. Carol. *part. 4. act. Eccl. Mediolan. hoc tit.* simul docet: *Prima utilitas, et effectus huius Sacramenti est, quod* peccati reliquias *tollit tamquam* complementum Sacramenti Poenitentiae, *quae reliquiae peccata esse intelliguntur sive mortalia, sive venialia, quae post alia Sacramenta remanent. Potest enim fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento iuvatur, ut fieri possit, eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnatus.*

(7) Trid. *eadem sess. 14. initio huius tit.* Hinc liquet, quam turpiter solam curationis corporeae gratiam hostes in hoc sacro Oleo agnoverint.

rio et perpetuo, et *proprio* huius Sacramenti effectu, eiusque speciali natura, mortalia vero *per accidens*, *et improprium* solummodo effectum remitti (1). Obicem ideo nullum inveniat necesse est vel impoenitentis, vel nolentis animi: sed idoneam cordis vel contriti, vel saltem attriti praeparationem.

XXIV. Causa hinc orta videtur, ut olim post Sacramentum Poenitentiae plerumque, priusquam sacro Viatico reficerentur infirmi, hoc Unctionis Sacramento magis expiarentur, fierentque mundiores (2). *Poenitentibus* (puta iis, qui diuturna, et acerba satisfactionis opera tunc ante sacerdotalem absolutionem implere adhuc adigebantur) Oleum *istud infundi non potest*, ait Innocentius I. in saepe dicta epistola ad Decentium (3): *quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur*, *quomodo unum genus putatur posse concedi?* Fuere nihilominus in ea ipsa antiquitate, qui post Eucharistiam praegustatam, supremum sancti Olei subsidium acciperent (4) eo consilio, ut a posterioribus in externo agone culpis, pravisque cogitationibus emundarentur. In ea disciplinae varietate pravaluit tandem in Ecclesiis Occidentalibus mos differendi post Viaticum Extremam Unctionem, multis constitutionibus obfirmatus, a quo non licet impune, nec citra culpam discedere. Verum Cistercienses adhuc tolerantur in antiquo usu Olei sancti ante Viaticum (5). Et Cardinalis de Rohan in suo Rituali Argentinensi edixit, ut dum una simul sanctissimum Viaticum, et Oleum sanctum ad infirmos deferri contigerit, postulante Oleum infirmo ad maiorem cordis munditiem ante Eucharistiam, possit Parochus pio tunc voto eius indulgere, id si expedire ad populi aedificationem censuerit. Hoc tamen casu tutius, et consultius erit communi iam. probatissimoque Romanae Ecclesiae ritui parere adamussim, ut monet Benedictus XIV. (6).

XXV. Si post Unctionem infirmus convaluerit, iterato ipsius Sacramenti subsidio eum posse, ubi reciderit in vitae discrimen, coadiuvari definiunt Patres Tridentini (7). Rationem ab Angelico mutuari lubet (8): *Quia sanctitas*, inquit, *corporis*, *et mentis*, *quae sunt effectus huiusmodi Sacramenti*, *possunt amitti: ideo Sacramentum hoc sine sui iniuria*, *potest iterari.* Idque locum habet in morbis quum sanabilibus ex intervallo recidivis; tum in diuturnis, puta hydropisi, ac tabe,

(1) Sotus in 4. *sent. dist. 23. quaest. 1. art. 2.*, Suarez *tom. 4. disp. 41. sect. 1. num. 16.*, Cardinalis de Lugo *de Sacrament. disp. 9. sect. 1. num. 7.* cum aliis hanc propugnant distinctionem, quam reiicit Bellarminus *hoc tit. unico cap. 8. §. licet aliquis*, Maldonatus *ibidem quaest. 2.*, *et* Saintebevve *hoc eodem tit. disp. 5. art. 1.*

(2) Liquet ex permultis Ritualium, et Synodorum monumentis apud Menardum *in cit. Sacramentario*, Martene *loc. cit. lib. 1. cap. 7. art. 1.*, Launoium *tom. 1. observ.*, et Pouget *tom. 2. instit. catholic. par. 3. sect. 1. cap. 6. §. 6.*

(3) Innoc. I. in *cit. can. illud superfluum 3. dist. 95.*

(4) Apud Martene *cit. art. 2. num. 4.*

(5) N. Alexander Theol. *dogm.*, *et moral. tom. 5. lib. 2. regul. 21.*

(6) Bened. XIV. *cit. lib. 7. de Synod. Dioeces. cap. 23. num. 2.*

(7) Trid. *loc. cit. cap. 3.*

(8) S. Thom. in *suppl. par. 4. qu. 33. art. 1.*

qui curationem fere non admittunt : quoties aeger ad statum valetudinis meliorem cum rediverit, ut periculum mortis antea imminens proximumque iam evasisse videatur (1). Ceterum una infirmitas , idemque morbi status, nonnisi unam iure postulat Unctionem, ex probatis iam ritibus non iterandam, quamvis post eam diutius protrahatur sine intermissione idem vitae periculum (2).

XXVI. Quum nequeat extrema haec Unctio ex Tridentino dogmate *contemni sine peccato* , *absque ingenti scelere* , *et Spiritus Sancti iniuria* (3) : eam omnes idcirco fideles ita debent divini, et ecclesiastici *praecepti necessitate* suscipere , ut graviter peccet , qui mortis iam instantis conscius petere ipsam sciens prudens nolit , aut a Parocho exhibitam respuat. Sunt autem (4), qui necessitatem eiusmodi negantes , putant inculpatam huius Sacramenti omissionem vel voluntariam , quoties aeger post sacramentalem Confessionem , absolutionemque peccatorum sine contemptu illud uti supervacaneum suscipere ideo vel negligat , vel renuat , quia peccata non supersunt, quae opus habeat Oleo sancto expiare. At ista refellenda , non probanda opinio est (5). Illud enim sub specie conditionis ab Apostolo dictum : *et si in peccatis sit* , *remittentur ei* : non conditionalem revera, incertumque unum Unctionis effectum indicat, quo dubia fieret necessitas ipsius; sed sane triplicem. Unde fit, ut uno ex tribus aliunde quaesito debeat duos alios maxime necessarios sacrae Unctionis effectus consequi, scilicet spem divinae misericordiae firmiorem, erectionemque animi contra hostem in postremo omnium agone trucissimum. Addo scire posse neminem , an Poenitentiae Sacramentum undequaque ita bene succedat moribundo , ut nullas reliquias peccatorum omittat , eiusque animum inde praeservet immaculatum ab assiduis tentatoris tunc nequioribus insidiis. Tum demum *si dixerimus* , inquam ex Ioannis Evangelio , *quod peccatum non habemus* , *ipsi nos seducimus* , *et veritas in nobis non est.*

XXVII. Plures olim errores ad omissionem huius saluberrimae Unctionis impellebant populos praesertim rudes. Alii enim vero putabant

(1) Idem in 4. *dist. 23. art. 4. qu. 2.* §. *ad secundum.* Ratio haec firmissima refellit duplicem eorum errorem, qui vel prorsus negabant licere huius Sacramenti iterationem cum Ivone Carnotense Episcopo *ep. 255.*, vel eam vix post annum , alii post annos tres a prima susceptione effluxos admittebant, ex relatis a Benedicto XIV. *loc. cit. num. 3.*

(2) Morem nonnullis Ritualibus praescriptum infirmos lethaliter decumbentes reficiendi per septem assidue dies tam divino Viatico , quam Oleo sancto , iamdudum exolevisse , novisque constitutionibus improbatum refert etiam Benedictus XIV. *loc. cit. num. 4.*

(3) Trid. *cit. sess. 14. cap. 3.*, *et can. 3. de hoc Sacr.* Confer huc dicta superius *tit. II. num. XXVI.*

(4) Suarez *to. 4. disp. 44. sect. 1.*, Henriquez *de Sacram. lib. 3. cap. 10.* Estius in 4. *dist. 23.* §. *15.*, Cabassutius in *theor.; et prax. iur. Can. lib. 3. cap. 15.*, etc.

(5) Petrus Lombardus in 4. *sent.* S. Bonaventura in 4. *dist. 23.*, Petrus Sotus *lect. 2. hoc tit.* Iuvenin. *dissert. 7. qu. 9. cap. 2.*, N. Alexander *cit. lib. reg. 20.*, Benedictus XIV. *loc. cit. cap. 22. num. 4.*, *et ult.*

vel nullam, vel permodicam convalescendi spem ea semel suscepta superesse, alii testamentum condere amplius non posse: alii carnis esum, copulam coniugalem, nudisque pedibus incessum interdici penitus (1). Eiusmodi vanos timores saeculo XIII. gliscentes ab humanis mentibus consulto eripere sategerunt dioecesanae Synodi opportunis declarationibus, praesertim Anglicana, Riccardi Episcopi Sarum anno 1217., in Provinciali Anglicano conscripta, Wigorniensis anno 1240; Exoniensis anno 1287., Burdigalensis anno 1583, Mechliniensis anno 1697. (2). *Solantur Sacramenta, non occidunt: hoc saepe saepius Pastor mentibus fidelium inculcet*, ex monito Cardinalis de Roban (3). Curet etiam celerare potius in quavis gravi, et periculosa aegritudine, quam differre salubrem hanc Unctionem: ne semimortua solum cadavera, nempe sensibus, et mente prorsus destitutos, et animam agentes ipsa liniat.

TIT. X.

De Sacramento Ordinis.

I. In rebus, aut personis apte collocandis late patens Ordo accipitur, speciatim pro Sacramento, quod impositione manuum, aptisque verbis confert spiritalem Sacerdotii, et sacri ministerii potestatem indelebilem.

II. Sacramentum esse commonstrat divina primum institutio ex sacris Litteris exploratissima.

III. Tum signum gratiae spiritalis foecundum externa manuum impositione cum congrua verborum forma ab Apostolis usurpatum, ac traditum.

IV. Eaque gratia adnexam habet potestatem indelebilem sacri ministerii.

V. Lutheranos hoc Sacramentum negantes tridentina synodus iure anathematizat.

VI. Diversi gradus Ordini, sacroque ministerio suapte natura insunt.

VII. Unum inde Sacramentum emergit unitate collectiva graduum et maiorum, et minorum, non item singulari.

VIII. Ad maiores Ordinis gradus pertinent Episcopi, presbyteri, et diaconi, cum additis Latinorum subdiaconis: ad minores ceteri subsequentes instar Levitici ministerii in multos divisi, et expliciti ab Apostolis, et priscis Patribus.

(1) De quibus Thiers in *tract. de superstit. circa Sacr. Extr. Unct. to. 2. cap. 7.*, et Martene *lib. 1. cap. 6. art. 2. cap. 2.*

(2) Prostant in collect. Concil. Harduini *to. 7. et 10*, et memorantur a Bened. XIV. *loc. cit. cap. 22 num. 1.*

(3) Card. de Rohan in *Rituali Argentinensi* §. 2.

IX. Singulis Diaconatu minoribus Ordinibus alii naturam Sacramenti attribuunt.

X. Eam vero alii negant ex theologis nostris.

XI. Rursus duplicem alii materiam, et formam ex impositione manuum, et instrumentorum traditione cum congruis verbis agnoscunt in singulis, alii unam dumtaxat necessariam propugnant.

XII. Pro sola impositione manuum certantes ex prisco ritu, quem adhuc tenent Graeci, vim Sacramenti negant instrumentorum traditioni.

XIII. Alii duplicem materiam, et formam tuentes instrumentorum traditioni connexam impositionem manuum putant.

XIV. Huic sententiae favisse Eugenius IV. videtur Armenos instruens.

XV. Latina Ecclesia in presbyteris, diaconisque ordinandis impositionem manuum numquam omisit, addita quoque instrumentorum porrectione.

XVI. Omissa quandoque fortassis alterutra, ut caute suppleatur, simul iubet.

XVII. In Sacerdotio conferendo tres manuum impositiones ex intervallo usuveniunt.

XVIII. Manus praeterea Sacerdotis oleo sacro inunguntur.

XIX. Diaconi unica impositione manuum ordinantur, addita latinis porrectione, ac tactu libri Evangeliorum.

XX. Subdiaconi vero latini sine manuum impositione.

XXI. Hypodiaconatum graeci inter minores Ordines adhuc habent, quod libertatem coniugii non adimat; latini secus.

XXII. Instrumentorum materias, et formas verborum in minoribus Ordinibus ritu latino conferendis tradunt cum S. Augustino Patres Carthaginenses.

XXIII. Prima clericorum Tonsura potius dispositio ad Ordines, quam Ordo esse videtur.

XXIV. Episcopatus autem potius Ordo a Sacerdotio distinctus.

XXV. Dubitandi rationes exponuntur.

XXVI. Mox refelluntur ex potestate speciali Episcoporum, qua presbyteri carent omnimodis.

XXVII. Ordo episcopalis cum Episcopi dignitate confundendus non est.

§ I. De Ministro

XXVIII. Episcopos dumtaxat sacrae ordinationis ministros ostendunt sacra Biblia, et Patres.

XXIX. Aerianos haereticos episcopalem potestatem cum presbyterali aequantes refellere prisci Patres utique studuerunt.

XXX. Potestatem conferendi sacros Ordines, nec etiam Papa cuilibet sine episcopali charactere potest unquam mandare: at minores Ordines ex privilegio pontificio subditis tantum regularibus Abbates probe conferunt.

XXXI. Saecularibus tamen subditis, aut dimissis ab Episcopo dioecesano eosdem Ordines conferre Abbates regulares prohibentur lege Tridentina.

XXXII. Nedum privilegio Sedis Apostolicae, sed Sacerdotio, et solemni benedictione simul opus Abbates habent ad tonsuram, et minores Ordines administrandum.

XXXIII. Praelati saeculares, Abbatesque Regulares cum territorio separato, quasi episcopalem iurisdictionem habentes nequeunt subditos saeculares absque speciali privilegio post comitia Tridentina concesso initiare tonsura, minoribusque Ordinibus.

XXXIV. Intra suos quisque fines dioecesis, aut Ecclesiae Ordines probe conferunt Episcopi subditis suis ratione vel beneficii, vel originis, vel domicilii, vel familiaritatis.

XXXV. Beneficii, seu praebendae titulis olim praecipuus posthabita origine, paternoque domicilio quemque subiiciebat olim ordinanti Episcopo.

XXXVI. Redditus beneficii debent congruam sustentationem aequare synodo, vel more loci taxatam, ut beneficiarius clericus dioecesani eiusdem loci fiat subditus.

XXXVII. Singula quoque sine residentia beneficia in diversis dioecesibus ab aliis etiam collatoribus accepta eamdem vim habent, perpetuaque commenda, et coadiutoria congruam coadiuto praebendam tribuens: pensio non item.

XXXVIII. Non capellaniae laicales, nec mera officia, nec temporariae commendae.

XXXIX. Post adeptam beneficii possessionem clericus potest a Dioecesano beneficii ad Ordines promoveri: antea secus.

XL. Clericatus igitur, et pacifica beneficii possessio, simul et redditus congruo patrimonio aequales, ex quibus onera Missarum detrahenda, fere non sunt, efficiunt subditum ratione beneficii ordinandum.

XLI. Quem Papa ordine aliquo initiaverit, ei non licet sine Papae licentia ab alio quovis Episcopo Ordines accipere ulteriores.

XLII. Declinans clericus ad Episcopum ratione beneficii ordinatorem adferre secum debet litteras testimoniales Episcopi tam originis, quam domicilii.

XLIII. Originis subditus est, qui ortum naturalem, non ex accidente habuit in paterno domicilio.

XLIV. Spiritualem ex loco Baptismi originem quoque spectabant veteres, et primum cuiusque ordinatorem.

XLV. Naturalem vero originem divisio dioecesum, et parochiarum sensim firmavit.

XLVI. Ex domicilio extra originis locum fixo incolae, vel decennales, vel quomodolibet firmi a dioecesano istius Episcopo Ordines probe suscipiunt, quemadmodum et feudatarii a singulis feudorum Episcopis.

XLVII. Futura domicilii constitutio ad id non sufficit.

XLVIII. Deliberatus magis animus permanendi, quam diuturna sine eo animo habitatio novum larem, ac domicilium figit.

XLIX. Familiaritas insuper consuevit iamdudum ius Episcopis tribuere suos ordinandi famulos, et domesticos, aliunde sibi, non subditos.

L. Nunc triennales tantum eosque veros familiares licet iis tonsura aliisque Ordinibus initiare, cum onere intra mensem conferendi beneficium sustentandae vitae sufficiens.

LI. Famulatus etiam ante episcopatum impensus in triennio supputatur: at nisi alimenta quis acceperit, operamque servilem simul praestiterit, in uno eodemque loco residens cum hero suo Episcopo, familiaritas nil proderit.

LII. Quilibet ordinandus ab alio, praeterquam originis, perpetuique domicilii Episcopo, opus habet litteris testimonialibus quum Episcopi originis, tum aliarum dioecesum, in quibus commoratus aliquandiu sit.

LIII. Quicumque Episcoporum potest per sese Ordines alicui conferre, poterit eum ad alios quoslibet catholicos Episcopos cum litteris dimissoriis ordinandum mittere.

LIV. At inferiores Praelati nullius dioecesis, qui privilegium concedendi dimissorias non habeant, suos debent subditos cum testimonialibus tantum litteris remittere ad Episcopum dioecesanum, vel viciniorem.

LV. Superiores autem Regulares, nisi expressum habeant post comitia Tridentina indultum dimittendi professos suos ad quemlibet Episcopum, debent eos dimettere ordinandos ad Episcopum dioecesanum, eoque absente, vel impedito, ad alium quemlibet.

LVI. Patres Oratorii, Piique Operarii ab Episcopo dioecesano Ordines, vel dimissorias accipiunt: quas ipsorum Praepositus nequit unquam concedere.

LVII. In Urbe Vicarius Papae alienos nonnumquam subditos sine dimissoriis dioecesanorum speciali Papae mandato ad Ordines promovet.

LVIII. Capitularis vacante Sede Vicarius arctatis Beneficio

intra annum dat ad Ordines dimissorias: post annum ceteris nullam a defuncto Episcopo repulsam passis, nonnisi cum consensu Capituli, et licentia S. Congregationis.

LIX. Italo-graecos clericos Latino Episcopo subiectos hic per sese non potest ad ulteriores gradus ordinare, sed eos debet ad Graecum Episcopum in Seminario Corsino in Calabria residentem, vel alterum Romae institutum dimittere.

LX. Clericus ritu graeco initiatus ubi ex pontificia dispensatione reliquos Ordines ritu latino suscipiat, omissos ritu graeco minores debet insuper latino ritu suscipere.

LXI. Dimissoriae pro prima tonsura, minoribusque Ordinibus ad certum Episcopum, pro reliquis Ordinibus ad quemlibet dari possunt. Regularium vero, Praelatorumque nullius dimissorias, nisi constiterit de impedimento, vel absentia dioecesani, aut vicinioris Episcopi, alius exequi prohibetur.

§. II. De ordinandis.

LXII. Multas in ordinandis qualitates sacri canones optant, et scrutari debent Episcopi.

LXIII. Ad eas inquirendas ter antea proclamantur singula ordinandorum nomina, et Archidiaconus publicum de his testimonium profert.

LXIV. Ordinatores, vel dimittentes Episcopi ad libitum quisque suum qualitates subditorum perscrutantur; alienos etiam exemptos, et regulares, praeterquam Iesuitas, possunt ubi velint, examinare.

LXV. Clerici alienigenae quatuor menses Romae commorati ab aliis extra Urbem Episcopis non suis prohibentur Ordines suscipere ulteriores, nisi praecesserit eorum examen in Urbe, et licentia Vicarii Papae.

LXVI. Ultramontanos suis ab Ordinariis dimissos. Itali Episcopi, nisi legitimam in dimissoriis causam noverint, ordinare non debent.

§. III. De titulo ordinationis.

LXVII. Sine congrua praebenda, vel beneficio, vel capellania, vel pensione, vel certo, et stabili patrimonio nullus est ad Ordines promovendus.

LXVIII. Patrimonium ecclesiasticae praebendae vicem supplens canonica iura, et Concordata adprobant in ordinandis ob Ecclesiae necessitatem, aut utilitatem clericis.

LXIX. Istud patrimonium hoc in regno usque ad ducatos 4o. immunitatem realem ab oneribus laicis potitur.

LXX. Simulato, fictoque patrimonio promoti suspensionem a susceptis Ordinibus incurrunt: donantes fictitiam nequeunt donationem rescindere, et creditores hypothecam super eo remisisse tacite praesumuntur, ubi suum patefacere ius omiserint, auditis ordinandorum proclamationibus.

LXXI. Alienari, vel remitti nequit patrimonium sine licentia Episcopi, nonnisi post subrogationem beneficii, vel alterius congruae sustentationis concedenda.

LXXII. Haec ipsa lex graecos etiam obstringit, quibus non licet dotem uxoris sacro ordinationis titulo subiicere.

LXXIII. Regulares tamen professi ordinantur titulo paupertatis.

LXXIV. Incerta scientiarum, artiumque liberalium emolumenta ad vicem patrimonii subeundam non idonea putantur.

§. IV. De aetate ordinandorum.

LXXV. Arbitrio olim suo Episcopi ad sacros Ordines, promovebant natu etiam minores, at idoneos, et dignos.

LXXVI. Mox ordinatio indignorum in causa fuit, ut canones recentiores Tridentina synodo firmati annum XXX. expletum Episcopis, XXV. incoeptum presbyteris, XXIII. diaconis, XXII. subdiaconis indixerint, pubertatem minoribus clericis.

LXXVII. Sacros nihilominus Ordines infantibus valide, sed illicite conferri nemo dubitat.

LXXVIII. Ante legitimam eiusmodi aetatem suscipere Ordines absque pontificia dispensatione licet nemini.

LXXIX. Episcopus natu minores creare aliquando suevit Sedes Apostolica.

LXXX. Vel scilicet largiens ipsis episcopalem consecrationem, liberamque administrationem, vel titulum dumtaxat episcopatus indulgens, consecratione eorum ad aetatem usque legitimam dilata, mandataque interim idoneo viro administratione officii episcopalis.

LXXXI. Ordinandis vero presbyteris indulget in dies dispensationem tredecim fere mensium, et aliquando plurium ex causa urgentiori.

LXXXII. Impuberes hoc in regno tonsura clericale initiare non licet sine duplici dispensatione Pontificis, et Regis: praeterquam arctatos iure passivo ad beneficia ante Concilium Tridentinum fundata, vel descendentes e sanguine patronorum.

§. V. De temporibus ordinationum.

LXXXIII. Ab Apostolis, eorumque successoribus ad quintum usque saeculum, praemisso ieiunio, sacrae ordinationes quolibet mense peractae videntur.

LXXXV. Quolibet sabbato, vel dominico die eas a ieiunantibus concelebratas tradit S. Leo M.

LXXXV. Mox Gelasius I. imperavit presbyteros, et diaconos, nonnisi quatuor temporibus ieiuniorum, et bis in quadragesima circa sabbati vesperam ordinandos, minores tantum clericos aliquot dominicis, aliisque diebus initiari posse Alexander III. rescripsit.

LXXXVI. Defectivas quoque ordinationes iisdem statis temporibus reficiendas, seu supplendas rescripsit Gregorius IX.

LXXXVII. Hinc generalis *ordinatio statis diebus*, particularis *autem dominicis, et festis communi iure, aut* extra tempora *ex indulto Papae speciali.*

LXXXVIII. Abusus indultorum extra tempora circa personas, et causas Innocentius XII. reformans, iussit Episcopos ad ea exequenda nullatenus cogi, sacrosque tres Ordines fore nonnisi tribus dominicis, vel aliis interpolatim festis de praecepto conferendos.

LXXXIX. Hoc indulto generatim fruuntur Iesuitae, Fratresque Minores apud Indos, alumni Collegiorum pontificiorum Viennae, et Pragae, Illyricique Lauretani, Lusitana Congregatio S. Ioannis, Regulares infirmis ministrantes, et Theatini.

XC. Eos etiam Regulares, qui illud ipsum speciatim, vel ex communicatione privilegiorum obtinuerint, novo indulto ad sacros Ordines extra tempora suscipiendos non indigere, Benedictus XIII. declaravit: secus alios.

XCI. Minores Ordines quovis festo duplici, dominicove die extra Missarum solemnia dari mane possunt, tonsura quolibet die, hora, et loco.

XCII. Graeci morem antiquum servant conferendi minores Ordines in quolibet intra hebdomodam die, sacros praemisso ieiunio in solis quadragesimae sabbatis, et praesanctificatorum diebus, et dominicis, et festo Annuntiationis.

XCIII. Interstitia tempora in singulis, et minoribus, et sacris Ordinibus olim sancita Alexander III. primum in minoribus tantum ademit, in sacris violari numquam tulerunt Romani Pontifices.

XCIV. In minoribus interstitium dierum arbitrio Episcopi ser-

vandum, vel dispensandum remittit synodus tridentina, simul et anni interstitium in sacris.

XCV. Graecos etiam lex ista interstitiorum obstringit. Vix Albanenses, aliosque graecos e longinquis regionibus dimissos Italograecus Episcopus quum Romae, tum in Calabria residens potest nunc sacris initiare tribus festis, at non continuis diebus.

XCVI. Sacros nunc Ordines Episcopi subditis suis possunt interstitio anni non servato statis ieiuniorum temporibus indulgere: Ordinesque minores uno, eodemque die cum tonsura, non item cum Subdiaconatu.

XCVII. Super interstitiis dispensandi facultatem vacante Sede habet Vicarius etiam Capitularis: Episcopi Vicarius non item sine mandato speciali.

§. VI. De impedimentis et irregularitatibus.

XCVIII. Orta ex crimine infamia poenitentes etiam ab ecclesiasticis Ordinibus, et sacris arcere ministeriis ab initio consuevit; corporis defectus, et vitia secus.

XCIX. Nunc et crimina aliquot graviora, et defectus quum corporis, tum animi enormes pariunt irregularitatem, seu perpetuum ad Ordines, et sacra ministeria impedimentum, quoad Papa dispensaverit.

C. Impedimenta ex minoribus delictis, parvisque corporeis vitiis, quamvis publica, et ex occultis quibuslibet criminibus, praeterquam ex homicidio voluntario, episcopali dispensatione tolluntur.

CI. Criminosa irregularitas ex homicidio primum voluntario, et culpata hominis mutilatione oritur, et afficit quoscumque huius sceleris participes.

CII. Non item ex homicidiis, vel necessariis iniusti aggressoris cum moderamine inculpatae tutelae, vel fortuitis, et inculpatis, vel prorsus involuntariis.

CIII. In his autem casibus apostolicam dispensationem fore causa cognita indulgendam Tridentina synodus decrevit.

CIV. Haeresis etiam, schisma, apostasia, simonia, cetera ipso facto excommunicationem, suspensionem, vel interdictum ferentia crimina irregulares faciunt reos, praetereaque sacri ordinis ministerium post inflictam ab homine censuram attentatum.

CV. Secus iudicatur de violantibus minorem excommunicationem, vel celebrantibus in polluta Ecclesia, vel bona fide, seu probabili ignorantia, non tamen crassa, et supina.

CVI. Quae infamiam vel iuris, vel facti irrogant crimina, quamvis adnexam ipso facto censuram non habeant, etiam pariunt irregularitatem.

CVII. Simul et illegitima contra canones ordinatio.

CVIII. Sine canonica dispensatione ad sacros Ordines male promoti suspensionem ipso facto, eosque si exercuerint, irregularitatem contrahunt, aliasque poenas.

CIX. Priscis canonibus suspensionem ferendae sententiae plectebantur male promoti; recentioribus autem suspensione ipso facto incurrenda, atque post eam violatam irregularitatem.

CX. Suspensi ob illicitam sacri alicuius Ordinis susceptionem, si Ordinem bene susceptum exercuerint, dispensationem debent a dubia irregularitate postulare. Ad minores autem Ordines male promoti nullam ex eorum exercitio irregularitatem incurrunt.

CXI. A suspensione absolvit male promotos Ordinarius dioecesanus culpae non particeps, Vicarius etiam Capitularis.

CXII. Super quavis publica irregularitate dispensat solummodo Sedes Apostolica.

CXIII. In casibus autem occultis dispensationem irregularibus, non homicidis indulgent Episcopi.

CXIV. Apostolica dispensatio irregularibus invito Episcopo nil suffragatur.

CXV. Iteratio insuper Baptismi, vel Ordinis, et solemnis benedictio secundarum nuptiarum, paterna haeresis, aut haereticorum defensio, hostilis Cardinalium persecutio, vel pontificiorum Marchiae Anconitanae officialium reos faciunt irregulares.

CXVI. Illegitimi extra matrimonium, vel ex publico adulterio nati inter irregulares accensentur; infantes proiecti secus.

CXVII. Qui defectus corporis enormes praeseferunt, sine dispensatione apostolica non promoventur ad Ordines: ceteri arbitrio Episcoporum dimittuntur.

CXVIII. Furore, dementia, morbo caduco, vel epileptico affectos, atque obsessos nulla etiam Papae dispensatio idoneos potest sacris Ordinibus facere, nisi postquam convaluerint.

CXIX. His adduntur qui litteras ignorant.

CXX. Tum servi dominis invitis, et obnoxii Regiae Curiae, et reipublicae laicis functionibus.

CXXI. Huius regni leges ab Ordinibus ecclesiasticis arcent homines servilis conditionis, et curialibus officiis obnoxios, adscriptitios, angarios, et perangarios, et capite censitos.

CXXII. An hisce legibus tridentina lex adversetur, non absre dubitatur.

CXXIII. In Concilio Romano Benedictus XIII. ea in re episcopalem libertatem tueri studuit.
CXXIV. Antiqui regni mores recensentur.

I. Sicuti *ordo* generatim a philologis definitur esse ***compositio rerum aptis, et accomodatis locis*** (1) : ita personarum ordinem dicere licebit , quod sit collocatio hominum apta , et cuiusque statui , dignitati , officio accomodata. Quo fit, ut in civitate senatorum, et equitum ordines a coetu populi , et plebis ; ut in acie duces , centuriones , ceteri subministri a turmalibus distinguantur , diversa munia obeuntes. Et quia suam Christus Ecclesiam, velut castrorum aciem ordinavit : non omnes idcirco fideles promiscue sacerdotalem habent potestatem (2) , sed ii solummodo , qui ad eam ex divina institutione rite ordinantur. Itaque *Ordinem* definiturus aio , quod sit *Sacramentum impositione manuum , aptisque verbis conferens spiritualem potestatem indelebilem sacerdotalis , sacrique ministerii.*

II. *Sacramentum* revera esse patefaciunt contra Lutheranos divina institutio , signum externum , et efficax gratiae spiritualis. Divinam in primis institutionem praemonstrat typus veteri Lege signatus (3). Si enim Sacerdotium Aaronicum , et Levitica ministeria saue multa pro immolando veteris Testamenti sacrificio Deus ipse instituit (4), exclusis omnino cunctis aliis Abraham , et Iacob filiis , velut profanis : ita ne minus dignum dementissimus Lutherus habuit Sacrificium novae Legis, ut huius immolationem non sacerdotibus , sacrisque ministris , sed omnibus indistincte fidelibus, etiam laicis a Christo demandatam deliraverit?

(1) Tull. *lib. 1. de officiis.*

(2) Id quod ostensum iam est *lib. 1. tit. XXXI. de presbyteris num. II., et seq.*

(3) Antequam instituerentur lege Mosayca Levitae, ac Sacerdotes, Sacerdotio, sacroque ministerio functos fuisse patresfamilias, vel primogenitos in Ægyptiaca praesertim servitute innuit sacer textus Exodi *cap. 19. vers. 22. Sacerdotes quoque* , textus habet , *qui accedunt ad Dominum* , sanctificentur, *ne percutiat eos.* Et rursus *cap. 24. vers. 5.* Moses misit iuvenes *de filiis Israel, et obtulerunt holocausta , immolaveruntque victimas pacificas Domino , vitulos.* Caldaei , et Arabes legere *primogenitos* , quam *iuvenes* malunt. Speciem sacrae ordinationis in ea mundi aetate ante legem quoque fuisse possumus adstruere tam ex ea , quam Deus iussit , sanctificatione sacerdotum , quam ex missione Mosayca.

(4) Levitici *cap. 8. vers. 1.* , *et seq. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : tolle Aaron cum filiis suis , vestes eorum , et Unctionis Oleum. . . fecit Moyses , ut Dominus imperaverat , statim obtulit Aaron , et filios eius: cumque lavisset eos , vestivit Pontificem . . . tulit et Unctionis Oleum , quod fundens super caput Aaron , unxit eum , et consecravit. Filios quoque eius oblatos vestivit tunicis lineis , et cinxit balteis , imposuitque mitras , ut iusserat Dominus.* Tum Numer. *cap. 1. vers. 48., et seq. Tribum Levi noli numerare* , ait Dominus , *sed constitue eos super tabernaculum testimonii , et cuncta vasa eius , et quidquid ad coeremonias pertinet : ipsi portabunt tabernaculum , et omnia utensilia eius ; et erunt in ministerio , ac per gyrum tabernaculi metabuntur. . . quisquis externorum accesserit , occidetur.*

Id enim vere tantum abfuit, ut ipse Christus in nocte coenae vix peracto sacrificio eucharistico immo sacerdotes ore suo creaverit Apostolos, inquiens: *hoc facite in meam commemorationem.* Deinde in coelum iam iam ascensurus ait: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum.* Procul hinc fore profanos voluit. *Nec* porro *quisquam*, ex Apostoli testimonio, *sumpsit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* (1). S. Clemens quoque ad Corinthios scribens tradit a Christo Domino imperatum, ut oblationes sacrificiorum visibiles, et sacra officia externa obirent viri solum ad ea rite ordinati, qui sancta sancte tractarent (2). *Sacerdotium ipsum*, inquit B. Chrysostomus (3), *in terra quidem peragitur, sed in rerum coelestium classem, ordinemque referendum est, atque id perquam merito: quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quaevis creata potentia, sed ipse Paracletus* ordinem *huiusmodi disposuit.*

III. Divinae iam evidentissimae institutioni additur sacramentale signum gratiae spiritualis externum, et foecundum; cuiusmodi est impositio manuum, et apta verborum forma ab Apostolo binis ad Timotheum litteris tradita. *Noli negligere* gratiam, *quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum* impositione manuum *presbyterii* (4). *Admoneo te, ut resuscites* gratiam *Dei, quae est in te per* impositionem manuum *mearum* (5). Apostolorum Acta simul contestantur *impositione manuum* ordinatos ab Apostolis fuisse quum septem diaconos, tum Saulum, et Barnabam (6). Graecus inibi textus habet Χειροθεσίαν, seu Χειρῶν, ἐπίθεσιν, quod consecrationem, ordinationemque manuum impositione peractam speciatim sonat. Primus autem ex canonibus vulgo apostolicis de ordinando Episcopo loquens, pro Χειροθεσία promiscua notione dixit Χειροθονίαν: tametsi hoc proprie vocabulum significat electionem, quae manibus ab acclamante populo sursum porrectis fieri olim consueverat (7).

IV. Gratia vero isthaec ordinationis fert secum adnexam sacri mi-

(1) *Ep.* ad hebraeos *cap. 5. vers. 4.*

(2) S. Clemens *ep. ad Corinthios*, quam unam inter apocrypha multa divo Clementi adscripta opera genuinam agnoscunt emunctae naris viri: quia laudatam a priscis Patribus S. Irenaeo, Origene, Clemente Alexandrino, Eusebio, S. Cyrillo Hieros. S. Epiphanio, S. Hieronymo, ceteris apud Fleury *lib. 2. hist. Eccl. num. 35.*, et N. Alexandrum in *hist. saec. 1. cap. 12. art. 12.*

(3) Chrysostom. *lib. 3. de Sacerdotio.*

(4) 1. ad Timoth. *cap. 4. vers. 14.*

(5) 2. ad Corinth. *cap. 1. vers. 6.*

(6) Actor. *cap. 6. vers 6. Hos statuerunt* (primos nempe septem Diaconos) *ante conspectum Apostolorum, et* orantes imposuerunt *eis* manus. Et *cap. 13. vers. 3. Dixit illis Spiritus S. Segregate mihi Saulum, et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc ieiunantes, et* orantes, imponentesque *eis* manus *dimiserunt illos.*

(7) Id notat Zonaras ad *can. 1.* vulgo *Apostol.* et Inn. Cironius in *paratitl. ad lib. 1. Decretal. tit. 6. de elect., et lib. 5. tit. 40. de verb. sign.*

nisterii *potestatem indelebilem*. Nam docente Augustino (1) : *nulla ostenditur causa , cur qui Baptismum amittere non potest , ius dandi* amittere *possit. Utrumque enim* Sacramentum *est , et quadam consecratione utrumque homini datur , illud , cum baptizatur , istud cum* ordinatur.... *ipsi explicent , quomodo Sacramentum baptizati non possit amitti , et* Sacramentum ordinati *possit* amitti. *Si enim utrumque* Sacramentum *est , quod nemo dubitat : cur illud non amittitur , et istud* amittitur ? *neutri* Sacramento *iniuria facienda est.*

V. *Cum* itaque *Scripturae testimonio* , Apostolica traditione , *et Patrum unanimi consensu perspicuum sit per sacram Ordinationem , quae verbis , et signis exterioribus perficitur , gratiam conferri : dubitare nemo debet Ordinem esse* vere , et proprie unum *ex septem sanctae Ecclesiae* Sacramentis , inquam , ex decreto Synodi Tridentinae (2). Quid ergo non dubitantes modo, sed obdurato Lutherani animo perfide negant divinum hoc Sacramentum Ordinis, quod omnes vident speciali , propriaque Sacramenti substantia constare ? Utinam ipsi ad bonam frugem revocentur anathemate Tridentino in quemlibet iacto , qui dixerit *Ordinem , sive sacram Ordinationem non esse vere , et proprie* Sacramentum *a Christo Domino institutum , vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis , aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei , et Sacramentorum* (3). Sacerdotio initiatos ab ipsomet Christo Apostolos in ultima coena , ita liquet ex Evangeliis , ut *si quis dixerit illis verbis*: hoc facite in meam commemorationem : *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes , aut non ordinasse , ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus. et Sanguinem suum , anathema sit* ex canone etiam Tridentino (4)

VI. *Potestatem sacerdotalis , sacrique ministerii* hoc Sacramento conferri consulto dicimus : quia et sacerdotii , et reliquorum Ordinum diversa munia ad unum integrum sacri ministerii opus conspirant , unumque hierarchicum viventis Dei famulatum componunt. Ab Apostolo didicimus , quod *ipse* Christus *dedit quosdam quidem Apostolos.... alios autem Pastores , et doctores.... in opus* ministerii , *in aedificationem Corporis Christi* (5). Idemque ad Timotheum scribens ait : *ministerium tuum imple* (6). Ipso etiam docente Apostolo iam agnovimus Episcopos , et Presbyteros esse *ministros Christi , et dispensatores mysteriorum Dei* (7). *Quid* autem *sunt diaconi*, ait S. Ignatius martyr (8) , *nisi imitatores Christi , ministrantes Episcopo,*

(1) S. Aug. *lib. 2. contra Parmen. cap. 13.*, et rursus iisdem ferme verbis *lib. 1. contra Donatistas cap. 1.*

(2) Trid. *sess. 23. cap. 3.*

(3) Ibidem *can. 3.*

(4) Idem *sess. 22. de Sacrif. Miss. can. 2.* Videsis dicta superiori *lib. 1. tit. XXXI. num. 1., et segq.*

(5) Ad Ephesios *cap. 4. vers. 11.*

(6) 2. ad Timotheum *cap. 4. vers. 5.*

(7) Ex binis ad Corinthios epistolis , aliaque ad Ephesios , quas supra retulimus *lib. 1. tit. XXXI. num. VII.*

(8) S. Ignatius *ep. ad Trallianos.*

sicut Christus Patri , et operantes illi operationem mundam , et immaculatam ? Diaconi ministri *existentes mysteriorum Iesu Christi.* Et S. Augustinus (1) , *quam multos* , inquit, *Episcopos optimos viros , sanctissimosque cognovi ? quam multos presbyteros ? quam multos diaconos , et huiusmodi* ministros *divinorum Sacramentorum ?* Si ergo sacrae Litterae , Patresque promiscuo vocabulo ministros Sacerdotii , et mysteriorum Christi nuncupant quum Episcopos , et Presbyteros , tum Diaconos : fit exinde , ut Ordo iis omnibus commune ministerium sacerdotale diversis gradibus deferat.

VII. *Unum* sane Sacramentum Ordinis fatemur esse , at non singulare, sed *collectivum*, instar ordinis militaris, multis distribute gradibus constans. Nam sicut unum militiae ordinem in acie conflant distributi post Ducem suppares ordines , et gradus Tribunorum , et subsequentes Centurionum , aliorumque subministrorum, ita in ecclesiastica hierarchia unum Ordinis Sacramentum componunt divisi gradatim Ordinis Sacerdotum , Diaconorum, Clericorumque deinceps inferiorum , id quod ipsa rei natura postulat. Itaque sanxit Tridentinum *si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines, et maiores, et minores , per quos veluti per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur , anathema sit* (2).

VIII. In maioribus quidem Ordinibus sunt *Episcopi, et Presbyteri, et Diaconi* , quibus Latina Ecclesia *Subdiaconos* addit. In minoribus *Acolythi , Exorcistae , Lectores , Ostiarii* , et istis Graeci praeponunt *Hypodiaconos.* Divinam, et apostolicam horum omnium institutionem ex typo legis Mosaycae , Apostolorum gestis, Patrumque testimoniis iam ostendimus (3). *Quod Aaron , et filii eius , atque Levitae fuerunt, hoc sibi Episcopi , et Presbyteri , et Diaconi vindicent in Ecclesia,* nunc addam cum B. Hieronymo (4). Quemadmodum porro in uno Levitarum ordine collectos reliquos omnes antiqui Testamenti subministros , Natinaeos, Caathitas , Gersonitas , Merarites , Cantores , Ostiarios habuit Synagoga Hebraeorum : ita eosdem fere subministros novi Testamenti Ecclesia Christi suo ab initio obtinuit una cum Diaconorum Ordine. Iure merito proinde cautum a Patribus tridentinis (5) , *ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab*

(1) S. August. *lib. 1. de morib. Eccl. cap. 32.*

(2) Trid. *sess. 23. can. 2., et cap. 2.*

(3) Ex Trid. *cit. cap. 2.*, et supradictis *lib. 1. cap. XXXI. n. VII. et XI. et seq.*

(4) S. Hieron. *ep. 85. ad Evagrium.* Magister sent. *lib. 4. dist. 24. Canones* , ait , *duos tantum sacros Ordines appellari censent , Diaconatus scilicet , et Presbyteratus , quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse. . . Subdiaconos vero , et Acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.* S. Thomas in *cap. 3. ep. 1. ad Timoth. lect. 2. In primitiva*, inquit , *Ecclesia erant tres Ordines . . . Episcoporum , Presbyterorum , et Ministrorum ; et hi non dividebantur per universos gradus , sed omnes erant in uno Ordine propter paucitatem Ministrorum , et propter novitatem Ecclesiae.* Hanc ipsam Magistri sent. enunciationem iisdem amplectitur verbis Gratianus initio *dist. 24.*

(5) Trid. *eadem sess. 23. de reform. cap. 17.*

Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae, et pluribus in locis aliquando intermissae, in usum iuxta sacros canones revocentur; nec ab haereticis, tamquam otiosae traducantur... ut in postremum huiusmodi ministeria, nonnisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur. Si qua idcirco regio fidelium non cunctos eiusmodi Ordines inferiores umquam adhibuisse fertur, quos omnes antiqua monumenta produnt singulatim: nil potuit eorumdem numero detrahere. Nam disciplinae mutabilis, non dogmatis fidei constantissimi res est, quod munia etiam inferiora alicubi quandoque obiverint Diaconi, alibique alii subministrantes Clerici.

IX. An singuli autem inferiores Diaconatu Ordines polleant natura Sacramenti, quaestio est inter theologos nostros adhuc integra, et salebrosa. Alii enim cum divo Thoma affirmant (1), alii negant cum Magistro Sententiarum (2). Prima Subdiaconatus, minorumque Ordinum origo adhuc ignota, et ambigua scissuram eiusmodi fovet. Nam sicuti nullum de iis verbum habent sacrae novi Testamenti litterae: ita nullum prostat Concilium, quod eos ab Ecclesia marte suo institutos ostendat. At quia constans inferiorum Ordinum usus a primis martyrum saeculis liquet ex testimoniis Patrum, et Synodorum quamplurimis (3): prioris sententiae patroni exinde arguunt eos fuisse apostolica orali traditione institutos. *Quod* enim, commonente Augustino (4), *universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*

X. Ex adverso alii divinum Christi mandatum in apostolica etiam institutione desiderari aiunt, sine quo eam idcirco inter humanas Ecclesiae leges mobiles habent, dum inferiores Ordines inter Officia clericorum, non inter divina Sacramenta collocant, et eos aequiparant Clericis Psalmistis, Catechistis, Fossariis, Custodibus Martyrum, OEconomis, Parabolani, seu infirmorum Curatoribus, Aprocrisariis, et De-

(1) S. Thom. in *4. dist. 24. qu. 2. art. 2. quaestiunc. 3.* S. Bonavent. *eadem dist. art. 2. qu. 4.*, Bellarmin. *lib. 1. de Sacram. Ord. cap. 7.*, *et 8.*, Hallier *de sacr. elect., et ordinat. par. 2. sect. 2. cap. 1. art. 2. §. 6., et 7.*, Cabassutius *lib. 3. theor., et prax. Iur. Can. cap. 16. num. 3.*, etc.

(2) Mag. sent. *lib. 4. dist. 24.*, Boucat *in Theol. Patrum to. 5. diss. 6. de Ord. instit. art. 8.* Habert *in Theol. dog. et mor. to. 7. de Ordine par. 1. cap. 6.*, Herminier *to. 3. de Sacram. cap. 3. concl. 3.*, *et 4.* Morin. *de Sacr. Ordinat. exercit. 12. cap. 1.*, Juvenin *de Sacr. diss. 9. qu. 5. cap. 1.*, Tournely *de Sacr. Ord. qu. 6. art. 4., et 5., etc.*

(3) Quae supra retulimus *lib. 1. tit. XXXI, n. XI.* Subdiaconum, Acolythum, Lectorem, Exorcistam commemorant speciatim, non modo S. Cyprianus *ep. 33., et 42.*, aliique et Graeci, et Latini Patres ibidem laudati: verum etiam S. Cornelius Papa *ep. ad Fabium Antiochenum Episc. num. 3.* apud Petr. Constant. *col. 150.*, scribens Romae tunc iam adesse *Presbyteros 46., Diaconos 7., totidem Subdiaconos, Acolythos 42., Exorcistas autem, et Lectores cum Ostiariis 52.* Adde Synodum Eliberitan. *can. 20.*, Laodicaen. *can. 21., et 22.*, Carthaginens. IV. *cap. 5. ad 9.*. Sardicens. *can. 13.*, Calcedonens. *can. 13.*, S. Isidorum Hispalens. in *can. cleros dist. 21.*

(4) S. Aug. *lib. 4.* contra Donatistas *cap. 24. num. 31.* Videsis dicta superius *lib. 1. tit. III.*

fensoribus pauperum, Hermeneutis, seu linguarum interpretibus (1). Huic sententiae favit Urbanus II; inquiens (2): Nullus *deinceps in Episcopum eligatur, nisi qui in sacris Ordinibus religiose vivens inventus est. Sacros autem Ordines dicimus* Diaconatum, *ac* Presbyteratum. *Hos siquidem solos primitiva legitur Ecclesia habuisse, super his solum praeceptum habemus Apostoli.* Rebus ita se habentibus, Benedictus XIV. in dubio haerens, suum neutri opinioni calculum addere satius duxit (3).

XI. Germana hinc etiam altera quaestio, aeque asperrima suboritur de *materia*, et *forma* singulorum Ordinum. *Manuum impositionem* ab Apostolis usitatam, et *congruentia verba* Episcopi ordinantis nullus ferme est, qui tum *Sacerdotii*, tum *Diaconatus* aptam *materiam*, et *formam* esse abnuat. Sed an instrumentorum praeterea porrectio una cum verbis ad ea respondentibus necessaria in utroque sacro Ordine sit, mox an veram Sacramenti materiam, et formam in reliquis etiam inferioribus Ordinibus exhibeat: usque adeo dissentiunt Doctores, ut conciliari nullimode possint (4).

XII. *Unicam* Sacerdotii, et Diaconatus materiam in sola manuum impositione plerique propugnantes (5) observant in primis per eam dumtaxat ordinatos ad decimum usque saeculum Presbyteros, et Diaconos fuisse, nullamque omnino traditionem instrumentorum commemorari in antiquis Ritualibus, et Sacramentariis qua Graecorum, qua Latinorum (6). Addunt a Graecis priscum morem servantibus hactenus, non alio materiae signo, nisi manuum impositione Presbyteros, et Diaconos rite ordinari (7), eorumque ordinationes numquam ab Romana catholica Ecclesia rescissas, nec vocatas in dubium (8). Inde arguentes statuunt, quod recentior Ecclesiae disciplina in superaddito instrumentorum usu nequiverit iis dare vim materiae sacramentalis, eoque animo fuisse instituta serius, ut praevia impositione manuum ordinati iam Presbyteri, Diaconique intelligant explicatius, quam per-

(1) Id quod agit prae caeteris Morinus *de Sacr. Ordinat. exercit. 11. cap. 1.*
(2) Urbanus II. in Conc. Beneventano *an. 1091. can. 1.*
(3) Bened. XIV. *cit. lib. 7. de Syn. Dioec. cap. 24. num. 12.*
(4) Ex traditis ab eodem Bened. XIV. *loc. cit. cap. 25.*
(5) S. Bonaventura in 4. *dist. 24. par. 2. art. 1., et 4.*, Petr. Sotus *de instit. Sacerd. lect. 5.*, Martene *de antiq. Eccl. rit. lib. 1. cap. 8. art. 9.* Arcudius *lib. 6. Concord. cap. 7.*, Io. Morinus *par. 4. de Sacr. Ordinat. part. 3. exerc. 7. cap. 1.*, Iuvenin *de Sacram. dissert. 9. qu. 3. cap. 2.*, Wan-Espen *par. 2. tit. 9. cap. 1., etc.*
(6) Id quod affirmant vel inviti Bellarminus *lib. un. de Sacr. Ord. cap. 9.*, et Hallier *de Sacr. elect., et ordin. par. 2. sect. 2. cap. 2. art. 1. §. 10.*
(7) Patet ex Goarii *Eucologio*, et testimonio Arcudii *loc. cit. cap. 1.*
(8) Quod nec synodi Lugdunensis, et Florentina ab Latinis una cum Graecis Episcopis concelebratae, neque Clemens VIII., qui Russorum Episcopos, Presbyteros, et Diaconos ad Romanam communionem a schismate redeuntes admisit, dubitaverint de Sacris Graecorum Ordinationibus; notant N. Alexander *in theol. dogm. hoc tit. art. 7. §. 2.*, Morinus *loc. cit.* Card. Albitius *de inconstant. in fide cap. 30. n. 374.*, Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. Dioec. cap. 25. num. 8.*

fecte acceperint sacri ministerii potestatem (1). Ecclesia enim a Christo eam accepit facultatem in ritibus, et usu Sacramentorum, quae possit, *salva illorum substantia*, ut declarat Tridentinum (2), expleri.

XIII. Alii contra tenent sacros Sacerdotii, et Diaconatus Ordines *duplici* sane materia, et forma constare, ac perfici, tam scilicet impositione manuum, quam traditione instrumentorum cum congruis cuique verbis (3): nonnulli malunt, posthabita impositione manuum, materiam Sacramenti *propriam* in solo instrumentorum signo agnoscere (4). Enimvero ea dum initiandis Presbyteris, et Diaconis traduntur, ipsi tunc reapse ab Episcopo manus imponi aiunt: adeo ut ceteras alias, quae vel ante, vel post fiunt manuum episcopalium porrectiones, inter mobiles coeremonias ad Sacramenti substantiam non necessarias recenseant. Nam sacrae quum sileant Litterae, quonam Apostoli modo specialissimo, et quibus nominatim verbis ordinatorias ipsi manus imposuerint: factum inde videtur, ut individuam, certamque impositionis formam arbitrio Ecclesiae praescribendam reliquerint, perinde ac in antedicto Sacramento Olei formam orationis, et unctionis. Ita salva semper apparet substantia Sacramenti, quamvis graeco more olim Latini unam sine alio instrumento impositionem manuum, mox aliam cum instrumentorum traditione connexam adhibeant.

XIV. Huic sententiae maxime favet Eugenius IV. in saepedicta instructione Armenorum. *Sextum*, ait, *Sacramentum est Ordinis, cuius* materia *est illud, per cuius traditionem confertur Ordo. Sicut* Presbyteratus *traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem.* Diaconatus *vero per libri Evangeliorum dationem.* Subdiaconatus *vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de* aliis *per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem.* Forma Sacerdotis *talis est*: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *et sic de* aliorum *Ordinum* formis, *prout in Pontificale Romano late continetur.*

XV. Palam profecto est ex eodem Pontificale Romano, et ritu exploratissimo, quod Latina Ecclesia in ordinandis Presbyteris, et Diaconis priscam impositionis manuum formam nullo unquam tempore intermi-

(1) Huiusmodi sensum comprobat vetustum bibliothecae Colbertinae Pontificale Romanum MS., in quo haec leguntur de Episcopo presbyteros ordinante: *Accipiat patenam cum oblatis, et calicem cum vino, et ponat simul in manibus* ordinati *cuiuslibet per se.* Verbum istud *Ordinati* perfectam antea Ordinationem indicat. Magister Sententiarum *lib. 4. dist. 24.* Accipiunt, ait, *enim Calicem cum hostiis, ut per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi.* Hoc ipsum iisdem fere verbis exponit Hugo a S. Victore Petri Lombardi coaevus *lib. 1. de Sacram. par. 3. cap. 12.*

(2) Trid. *sess. 21. cap. 2.* Vide superius dicta hoc libro *tit. II. num. XXXIV. et tit. IV. num. XXI.*

(3) Bellarminus, et Hallier *loc. cit.*, Maldonat. *eod. tract. qu. 3. par. 2. prop. 1., et 4., sect. 2. cap. 2. art. 1.*, Estius in *4. dist. 24. §. 24.*, *ceteri.*

(4) Sotus in *4. dist. 24. quaest. 1. art. 4.*, alii apud Goncti. *in clypeo disp. 2. art. 3.*

scrit, eamque adhuc usurpet una cum exposita instrumentorum porrectione. Sunt autem, qui putant Eugenium IV. eo quidem animo singulis instrumentorum materias descripsisse, ut Armenos, Graecosque flecteret ad eas latino more cumulandas cum antiquissimo ritu impositionis manuum : non ut hanc mutandam fore, aut spernendam imperaret (1). Nam Pontifex idem in ipsa Florentina Synodo inter Patres quum recepisset graecos etiam Episcopos, absque instrumentorum porrectione procul dubio ordinatos, nil interea censuit sciens prudens ordinationes eorum vel defectivas, et irritas, vel saltem illicitas, dubiasve pronunciare.

XVI. De Latinis tamen Presbyteris, Diaconisque sine impositione manuum ordinatis quandoque dubitatum, quid fieri oporteret. Qua in re duos inter scopulos haerens Archiepiscopus Lundensis e regno Daniae, alterum vetitae iterationis, alterum ambiguae validitatis Sacramenti, oraculum pontificium petiit a Gregorio IX., et obtinuit huiusmodi (2): *Presbyter, et Diaconus cum ordinatur, manus* impositionem tactu corporali (*ritu ab Apostolis introducto*) *recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum : sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos caute supplendum, quod per errorem extitit praetermissum.* Suspensio *autem* manuum *debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.*

XVII. Si oculos nunc ad Pontificale Romanum, et animum simul ad publicas sacrae Ordinationis coeremonias applicemus : non duas modo, sed tres immo impositiones manuum in conferendo Sacerdotio videbimus. In primis enim post litanias Episcopus nil dicens, mox presbyteri adsistentes manibus quisque suis tangunt caput cuiusque ordinandorum. Paulo post solus Episcopus elatis sursum, suspensisque manibus invocat verbis deprecatoriis super eos gratiam, et dona Spiritus Sancti. Tandem peracta iam traditione calicis cum vino, et patenae cum hostia ante consecrationem, et post communionem eucharisticam, tertio imponit manus, tangens eorundem capita singulatim, dum inquit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, etc.* Harum prima, quamvis ad Sacramenti substantiam non pertineat (3) : tamen illud Apostoli effatum : *per impositionem manuum presbyterii* : implere cumulatius videtur. In secunda tantum inesse vim materiae sacramentalis ex eo nonnulli putant, quod Apostoli in actis ferantur *orantes, et imponentes manus* (4). Tertiam alii agnoscunt potiorem ex connuncta indicativa forma verborum evangelicorum (5). In hisce rebus dubiis

(1) Apud Bened. XIV. *loc. cit.*

(2) Greg. IX. in *cap. presbyter 3. de Sacram. non iterand.*, ibique Gonzalez.

(3) Conc. Toletan. II. in *can. quorundam 14. dist. 23.*, irritam habuit ordinationem Sacerdotis, duorumque Levitarum, in qua Episcopo manus imponente presbyter deprecationis formam pronunciaverat.

(4) Huic sententiae favet illud B. Hieronymi in *cap. 58. Isaiae* : *Ordinatio non solum ad* imprecationem *vocis, sed etiam ad* impositionem *impletur* manuum.

(5) Bellarmin. *lib. un. de Sacr. Ord. cap. 6.*, et Maldonatus *eodem tract. qu. 3. par. 2. prop. 2., et 2.*

tutior quidem via est nullam omittere, cunctasque, ut probe fit, adhibere simul : adeo ut, si cui contigerit aliquam , vel impositionem manuum , vel instrumenti traditionem praetermisisse: eam supplere solam oportebit ex decretali Gregoriana , velut partem in se integram, quae potest ex intervallo , aut modico , aut longiori accedere ad alias inter se mutuo dividuas partes , unum Sacramenti corpus insimul perficientes.

XVIII. Manus etiam Sacerdotis inungit oleo sacro , et consecrat Episcopus , dicens : *Consecrentur , et sanctificentur Domine manus istae , ut quidquid consecraverint , consecratum sit , et quaecumque benedixerint, benedicta sint* (1). *Si quis* autem *dixerit sacram* unctionem , *qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur , non tantum non requiri , sed contemnendum , et perniciosum esse : similiter et alias coeremonias , anathema sit* ex Tridentino (2). Hanc tamen chrismate fieri non licere monuit Bituricensem Archiepiscopum Nicolaus Pontifex (3).

XIX. *Diaconus* una solius Episcopi manuum impositione super caput ordinatur, *quia non ad Sacerdotium , sed ad Ministerium consecratur* , inquit B. Gregorius M. (4). Sed Latini addunt ex recentiori disciplina porrectionem libri Evangeliorum, a Graecis hactenus neglectam.

XX. *Subdiaconatum* instar minorum Ordinum absque impositione manuum a Latinis conferri palam est ex prisca , et perpetua consuetudine (5). Inquies consultum aliquando Innocentium III. a Caenomanensi Episcopo , *quid sit agendum de clericis* peregrinis , qui suorum Episcoporum litteris ostendunt *sibi manus impositas* ? rescripsisse , ut pleniori plurium Episcoporum testimonio veritas rei comprobetur (6). Mox interrogante Heliensi Episcopo , *an permitti debeat ministrare , qui sine impositione manuum fuerit ad ordinem Subdiaconatus assumptus*? respondisse, non fore *aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum* (7). Hinc usus manuum impositionis in minoribus quoque Ordinibus , vel saltem in Subdiaconatu proferri argues. At in priori Innocentium responso loquutum de sacris tantum

(1) Apud Gratianum post *can. generaliter 40. C. XVI. qu. 1. §. ecce sufficientes* , et in Pontificale Romano.

(2) Trid. *sess. 23. cap. 5.*

(3) Nicolaus Papa in *can. praeterea 12. dist. 23.*

(4) Ex Synodo Carthaginensi IV. *can. 4. in can. Subdiaconus 15. dist. 23.*, ibi: *Subdiaconus cum ordinatur , quia manus impositionem non accipit , patenam de Episcopi manu accipiat vacuam, et calicem vacuum.* Consonat hac in re Pontificale Romanum hodiernum cum antiquo , et cum Sacramentario divi Greg. M.

(5) B. Greg. in *can. Diaconatus 11. dist. 23.*

(6) In *cap. tua nos 1. de clericis peregrinis.*

(7) Fagnanus in *cap. presbyter 3. de Sacram. non iterand. num. 41.*, generalem eiusmodi locutionem Innocentii de Clericis per impositas manus ordinatis recte limitat ad Presbyteros , et Diaconos tantum ex manifesto ritu sacrae ordinationis.

Ordinibus patefaciunt postrema eius epistolae verba (1). Quod vero ad alteram eiusdem Pontificis decretalem, in textu Gregoriano mendosam esse litteram scite commonet cum Antonio Augustino, et aliis Gonzalez (2), pro *Subdiaconatus* vocabulo reponens *Diaconatum*. Evidentia enim ritus in ordinandis Subdiaconis immoti non ferebat eam aevo Innocentii dubitationem. Cavendum igitur, ne quis falsa textus voce deceptus, in errorem labatur Hostiensis, oscitanter scribentis Subdiaconatum hodie dari per manus impositionem, ex quo ipsum inter sacros Ordines habemus.

XXI. Quoniam Hypodiaconi Graecorum libertatem adhuc retinent ad coniugium, et ad vota saecularia, ipsorumque munus limitatur ad sacrificii vasa, et res procul ab altare parandum in mensa propositionis (3): inter minorum Ordinum clericos esse dicuntur. Latina Ecclesia Subdiaconatum ad maiores Ordines iamdudum evexit, cum adnexo primum vinculo coelibatus, et munere deferendi ad aram sacra vasa, et prope subministrandi cetera, quae ad sacrificium sunt necessaria. Urbanus II. in Concilio Beneventano anno 1061. novae huic disciplinae viam maximopere muniit, indulgens, ut Subdiaconus etiam possit in Episcopum eligi, *opportunitate exigente, et non sine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia:* quamvis praemiserit solos in sacris Ordinibus versatos fore ad gradum episcopalem promovendos, et *sacros* quidem *ordines* dixerit *diaconatum, et presbyteratum* (4). Mox Innocentius III. recitatis Urbani verbis maluit statuere, ut sine ullo discrimine Subdiaconus libere valeat in Episcopum eligi, sicut Diaconus, vel Sacerdos: et simul censuit sacrum Subdiaconatus Ordinem Urbano antiquiorem vindicare, ac repetere a praevia coelibatus lege, quam sanxerant B. Gregorius M., et Sexta, seu verius Trullana Synodus (5). Itaque *Subdiaconus ad maiores Ordines a Patribus, et sacris Conciliis referri* dicitur probissime a Patribus tridentinis (6).

XXII. Instrumenta, et formas minorum Ordinum ritu Latino tradidit synodus carthaginensis IV. (7), cui S. Augustinus adfuit: Acolythus *cum ordinatur*, inquit, *ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat* ceroferarium cum cereo, *ut sciat se ad accendenda Ecclesiae luminaria manci-*

(1) *Cap. pastoralis 1. de Sacram. non iterandis.* Qua in decretali alterum quoque dubium de Confirmatione cum oleo sine chrismate peracta definitur.

(2) Emm. Gonzalez in *not. ad idem cap. pastoralis lit. h.*

(3) Quod supra exposui *lib. 1. tit. XXXI. n. XV.* Idque patet ex Synodo Laodicena in *can. non oportet Subdiaconos* 26., et Synodo Bracharensi in *can. non liceat 31. dist. 23.*

(4) Urban. II. in *can. nullus in Episcopum 4. dist. 60.*, cuius Beneventana acta synodica habent Stephanus Baluzius *in addit.* ad Petr. de Marca *lib. 8. cap. 13.*, et recentiores Conciliorum collectiones, et laudat Gonzalez in *cap. a multis 9. de aetate, et qualit. in not. lit. o.*

(5) Innoc. III. ad Mutinensem Episcopum in *cap. a multis 6. de aetat. et qual. ordin.* ibique Gonzalez.

(6) Trid. *sess. 23. cap. 2.*

(7) Syn. Carthag. IV. in *can. 16., 17., 18., et 19. dist. 23.*

pari ; accipiat et urceolum *vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiam Sanguinis Christi.* Exorcista *accipiat de manu Episcopi* libellum , *in quo scripti sunt exorcismi , dicente sibi Episcopo: Accipe , et commenda memoriae , et habere potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum.* Lector *cum ordinatur . . . Episcopus tradat ei* codicem , *de quo lecturus est , dicens ad eumdem : Accipe , et esto relator verbi Dei, habiturus , si fideliter , et utiliter impleveris officium , partem cum eis , qui verbum Dei ministraverint.* Ostiarius *cum ordinatur , tradat ei Episcopus* claves *Ecclesiae de altari , dicens : sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus , quae his clavibus recluduntur.* Graeci vero sola impositione manuum , et Lectores , et Subdiaconos ordinant (1).

XXIII. In *prima tonsura , an clericalis Ordo conferatur,* quaesivit ab Innocentio III. Rothomagensis Archiepiscopus : eique Pontifex respondit , utique per eam ab Abbatibus in proprio monasterio conferri (2). Tum Bonifacius VIII. ritum degradationis describens descendit *gradatim usque ad primam vestem* , quae *datur in collatione tonsurae* (3). Hinc Ordinem revera esse tonsuram non pauci tenent (4). Plures alii negant probabilius (5). Nam Synodus Triburiensis clericum tonsura initiatum *sine gradu* esse dixit (6). *Prima tonsura* igitur, quia nullam ecclesiastici ministerii partem peculiarem tribuit volenti obire tyrocinium militiae clericalis , Ordo non esse putatur: sed *simplex ad Ordines dispositio* definiri potest , seu *initiamentum tyrocinii ecclesiastici per comam detonsam , et assumptionem habitus clericalis.* Eam quippe ab Ordinibus exclusisse tridentini Patres videntur, ubi docent Ordines ita distributos , *ut qui iam clericali tonsura insigniti essent , per minores ad maiores ascenderent* (7). Praeterea distincte non semel Ordines minores a tonsura numerans , hanc Ordinis gradu expertem sat innuit (8). Meritoque iure vetuit septima Synodus , ne

(1) Septima Synodus oecumenica *can. 14.* haec statuit : *Nullus efficiatur* lector *absque Episcopi manus impositione: hoc ipsum etiam in monacho servetur.* Lectoris *autem manuum impositionem licet Abbati in proprio Monasterio facere.* Eundem canonem exscribit Gratianus in *can. quoniam 1. dist. 69.* Ritum eiusmodi Graecorum in lectoribus , et subdiaconis ordinandis a Latino discrepantem , videsis in Euchologio Goarii.

(2) Inn. III. in *cap. cum contingat 11. de aet., et qual. et ord. praefic.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. degradatio 2. de poenis in VI.*

(4) Leander *to. 2. de Sacram. qu. 5.*, alii apud Gonzalez in *cit. cap. cum contingat lit. c.*

(5) Cum Bellarmino *tom. 1. contr. lib. 1. de clericis cap. 13.*, ceteris apud Gonzalez *loc. cit.*

(6) Synod. in Tribur. *cap. clericus 9. de vit. et hon. cleric.*

(7) Trid. *cit. sess. 23. cap. 2.*

(8) Trid. *sess. 14. de reform. cap. 2.*, ibi: ad aliquos *sacros, aut minores* Ordines, *vel* primam tonsuram *promovere.* Dein *sess. 23. de reform. cap. 4.*, decernit requisita primae Tonsurae : mox in *seq. cap. 4.* subdit continuo requisita minorum Ordinum.

munus *Lectoris* attentarent, antequam ii ab Episcopo, vel Abbate rite ordinarentur, qui *a parvula aetate tonsuram Cleri* accepissent (1). Sunt qui *psalmistae* munus olim primae tonsurae clericis mandaverint sine iussione Episcopi, ex canone synodi IV. carthaginensis (2), eosque promiscuo vocabulo *psalmistas* nuncupabant. *Prima tonsura*, scribit Durandus (3), *quae apud nos vocatur Psalmistatus, non est Ordo, sed tantum dispositio ad Ordines.* Quibus haec plus arriserit sententia, ii explicent oportet Innocentium III. de simplici statu, et foro, et privilegio clericale sensisse, et vocabulo clericalis Ordinis in prima tonsura usum notione impropria, et ampliori.

XXIV. *Episcopatum* vero hierarchiae apicem *Ordinem* esse aio a Sacerdotio distinctum, eoque superiorem, *praeditum spirituali potestate quum regendi, tum propagandi, et perpetuandi sacris Ordinationibus Ecclesiam Dei.* Distinctum a presbyterali Ordinem episcopalem ex divino iure, et Apostolorum actis, ac traditionibus, iam satis alias ostendi contra haeresim Aerianam (4). Si unquam in ortu Ecclesiae idem fortasse fuit Episcopus, ac Presbyter: eumdem reponas tunc fuisse Presbyterum, ac Diaconum, ex utriusque ministeriis in una, eademque persona collectis, et coniunctis. Ut enim Diaconorum Ordinem vidimus ex Sacerdotio dein avulsum emersisse: ita ex Episcopatu eminentiori, Sacerdotium quoque seiunctum reapse, atque in Ordine subiecto, vel suppari gradu locatum intelligimus. Unum igitur sacrae Ordinationis genus quum plures Ordinum species individuas, et explicitas peperisset: Episcopatus, qui caput omnium, et parens est, et suam cur non debuit speciem primam, et sublimiorem, a ceteris distinctam, retinere? Utique distinctam inspicimus omni aevo ordinationem Episcopi a tribus Episcopis concelebratam impositione manuum, et sacra Olei unctione in capite, et manibus (5), post omnes alios Ordines rite susceptos (6). Patres quum prisci, tum recentiores ut distin-

(1) Synod. VII. in *can. quoniam 1. dist. 69.*

(2) Syn. Carthag. IV. *can. 10.* Psalmista, *idest Cantor potest absque licentia Episcopi, sed iussione Presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero*: vide, ut *quod ore cantas, corde credas, et quod credis, operibus comprobes.*

(3) Durandus *lib. 2. rational. cap. 1., et 3.*

(4) *Lib. 1.* harum Inst. *tit. XVIII. de Episcopis num. II., et III.*

(5) Inn. III. in *cap. 1. de sacra unctione.*

(6) Canones 1., et 2. vulgo apostolorum haec habent: Episcopus *a duobus, aut tribus Episcopis* ordinetur. *Presbyter ab uno Episcopo.* S. Cornelius Papa *ep. 2.* Ad Fabium Antiochenum scribit, quod Novatianus Antipapa Episcopos aliquot *ebrios, et crapula oppressos vi coegit imaginaria quadam, et vana* manuum impositione Episcopatum *sibi tribuere.* Synodus Carthaginensis IV. *can. 1., et 2.* ritum ordinandi Episcopum describit, quemadmodum et reliquos Ordines conferendi, in *seqq. can. 3. ad 9.* Idipsum explicatius habent Sacramentarium divi Gregorii M., Ordo Romanus antiquus, simul Euchologia Graecorum. Auctor vitae S. Epiphanii apud Surium die 12. Maii: *Eum itaque*, scribit, *ordinat* Diaconum, *et rursus dat ei pacem, et ipsum ordinat* Presbyterum, *rursum fit Missae continuatio, et eum ordinat Episcopum.* Nam sanxerat Synodus Sardicensis *can. 13., ut non prius* ordinetur Episcopus, *nisi*

ctum a ceteris Ordinem connumerant Episcopatum (1) : non secus, quam Ordinem Ducis, et Praefecti militum ab Ordinibus tribunorum, et centurionum. Synodus tandem Tridentina docens, hierarchiam divina ordinatione institutam in catholica Ecclesia constare *ex Episcopis, Presbyteris, et ministris* (2) plane distinguit Episcoporum Ordinem a reliquis.

XXV. Ex eo forsan dubitaveris, quin Ordo sit Episcopatus, quod speciatim ipsa Episcopi potestas ad sacrificium, nec peragendum, neque ministrandum spectet. *Distinctio Ordinum*, ait S. Thomas (3), *est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam : quia potestas* Ordinis, *aut est ad consecrationem ipsius Eucharistiae, aut ad aliquod ministerium ordinatum ad hoc Sacramentum Eucharistiae.* Tum continuo explicat hoc pacto ad Eucharistiae sacrificium cunctos referri Ordines, quia *Sacerdotes* eam consecrant, *Diaconi* consecrantibus famulantur in ea offerenda, et dispensanda, *Subdiaconi* parant vasa, *Acolythi* praeparant, et praesentant materiam : reliqui personas ad digne suscipiendum disponunt, *Exorcistae* nimirum fideles mundant a spiritibus immundis, *Lectores* ab ignorantia, et oblivione sacrarum Litterarum, *Ostiarii* indignos a dignis, infideles a fidelibus segregant, et eliminant.

XXVI. At vero Episcopatus nonne personas sacrificantes creat, et consecrat ? Plusne ad eucharisticum attinent sacrificium, qui participantes, quam qui immolantes disponunt, et creant ? Ita illud esse praecipuum sacerdotale, sacrumque ministerium apparet, quo Sacerdotes progignuntur, et personae ad sacrificium ipsum peragendum necessariae consecrantur. An non Christi ministros praeterea sacrae Litterae proclamant quum eos, qui Corpus eius eucharisticum quotidie conficiunt ; tum qui corpus ipsius mysticum, quod est Ecclesia Dei, vegetant spi-

antea Lectoris munere, et Officio Diaconi, et presbyteri fuerit perfunctus. Sacc. V. Synodus Chalcedonensis *can. 2. Si quis Episcopus propter pecunias*, inquit, *ordinaverit* Episcopum, *vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum, qui in Clero adnumerantur, etc.* Undenam licebit Ordinem Episcopatui denegare, quem ei tot monimenta, et canones vindicant ?

(1) Tertull. *lib. de praescript. adversus haeretic. cap. 40.*, S. Augustinus *pluries*, et in Synodo Carthaginensi IV. S. Leo *ep. 1.*, Episcopatum appellant Sacramentum, S. Greg. M. in *Sacramentario* consecrationis Ordinem nuncupat. S. Isidorus Hispalensis *lib. 7. Origin. cap. 12.* saeculo VII., Clericorum *gradus*, inquit, *et nomina haec sunt : Ostiarius . . . Diaconus, Presbyter, et* Episcopus. Sequenti saeculo S. Io. Damascenus *in dialogo contra Manichaeos, Principium insuper*, ait, *de Ordine quoque dicitur ; prima dignitas Lector est, deinde Subdiaconus, post Diaconus, post Presbyter, atque ita demum* Episcopus, *dicitur.* Mox saeculo IX. Amalarius Fortunatus *lib. 2. de offic. eccl. cap. 13. Tres superiores* Ordines (ait) Episcopatus, *Presbyteratus, et Diaconatus ab Apostolis recensentur.* Concinunt hac in re Rabanus Maurus *lib. 1. de instit. cleric.* Ioannes VIII. *ep. ad Graecorum Imper.*, ceteri. Alcuinus *de divinis offic. cap. 32.*, enumerans singulos Ordinum gradus inquit : *in sexto diaconi, in septimo presbyteri, in supremo, et excellentiori gradu* Episcopi.

(2) Trid. *sess. 23. can. 6.*

(3) S. Thom. in *suppl. qu. 37. art. 2. in C.*

rituali regimine, et perpetua simul propagatione membrorum in dies deficientium ? Refelli hinc etiam posse rursus videntur , qui naturam Ordinis , sacraeque Ordinationis statuunt in potestate , ac ministerio circa eucharisticum solummodo Corpus Christi , eam avellentes ab eius Corpore mystico , dum nonnisi huiusce Corporis partes sunt ipsius Ordinis subiectum : finis vero vita eiusdem spiritualis , et perpetua. Ad hanc proinde sententiam senior transiit divus Thomas (1), inquiens : *Quod Episcopatus non est Ordo, hoc manifeste continet falsitatem, si absolute intelligatur . . . Habet enim Ordinem Episcopus per comparationem ad Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, super qua principalem accipit curam , et quasi regalem. Sed quantum ad Corpus Christi verum, non habet Ordinem supra Presbyterum.* Huc spectat canon tridentinus (2): *Si quis dixerit , Episcopos . . . non habere potestatem confirmandi , et ordinandi , vel eam , quam habent, illis esse cum presbyteris communem . . . anathema sit.*

XXVII. Cave , ne misceas cum episcopali *dignitate Ordinem* episcopalem. Nam *Dignitas* aliud non est, nisi potestas mobilis iurisdictionis in hierarchia (3) , quae pro variis locorum , et temporum, et personarum conditionibus varios habet gradus , puta Praesulis dioecesani , Metropolitae , Primatis , Patriarchae post Summum Pontificem. At *Ordo* potestas etiam in Episcopatu est immobilis , et indelebilis, aequa ni fallor, in cunctis quoque maioribus Episcopatu Dignitatibus, quas modo memoravi. *Quod autem* Episcopatus *habeat aliquem Ordinem* , addit continuato sermone S. Thomas , *et non iurisdictionem solam , sicut Archidiaconus , vel curatus presbyter , patet ex hoc , quod Episcopus potest multa facere , quae non potest committere presbytero : sicut confirmare , ordinare , et consecrare basilicas , et huiusmodi. Quae vero iurisdictionis sunt , potest aliis committere. Idem etiam patet ex hoc , quod si Episcopus depositus restituatur , non iterum consecratur propter potestatem Ordinis remanentem, sicut et in aliis contingit Ordinibus.*

§. I. *De Ministro.*

XXVIII. Sacrae Ordinationis *ministros* esse tantum *Episcopos*, iam praemonstrant recitata Scripturarum oracula cum perpetuis Patrum testimoniis. *Ordo Episcoporum*, tradit S. Epiphanius (4) *ad gignendos patres praecipue pertinet : huius enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter , cum patres non possit , filios Ecclesiae lotionis regeneratione producit: non tamen patres, aut magistros. Quinam enim fieri potest , ut is presbyterum constituat , ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habet ?* Chrysostomus , *sola ordinatione* , ait , *Episcopi superiores sunt , atque hoc tantum plus, quam*

(1) Idem in *opusc. de perfect. vit. spiritual. cap. 24.*
(2) Trid. *sess. 23. can. 3.*
(3) Ex supra expositis *lib. 1. num. IV.*
(4) S. Epiphanius *haeres. 75. furiosam, et immanem* Aerii haeresim refellit.

presbyteri habere videntur (1). *Quid facit*, concinit S. Hieronymus (2), *excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?*

XXIX. Forsan dubitaveris id Episcopis reservatum humano iure mobili ex eo, quod in constitutionibus vulgo apostolicis legitur: *Potestatem non damus Presbyteris ordinandi Diaconos . . . vel Lectores, vel ministros, sed solis Episcopis* (3). Tum in uno canonum vulgo apostolicorum, quod *Presbyter ab uno Episcopo ordinetur, et Diaconus, et reliqui clerici.* Humanae quidem, inquies, istae vel consuetudines, vel constitutiones, dum Sacerdotibus sacras vetant Ordinationes, ita videntur adnexam simplici Sacerdotio potestatem ordinandi posuisse, ut ea possit valide, quamvis illicite a presbyteris exerceri. At saepe dicta haeresis Aeriana fecit, ut prisci Patres eam initio dubitationem funditus antevertissent, quum irritas pronunciarunt Ordinationes a quovis presbytero, praeterquam ab Episcopo gestas, praesertim in magna Synodo Alexandrina (4). Dein Synodus Constantiensis (5), ut haereticam damnavit eam Wicleffi propositionem, qua blaterabat reservatas Papae, et Episcopis propter lucrum Confirmationem, Ordinationem, et Ecclesiarum consecrationem. Hinc tridentina demum declarat episcopalis characteris proprium sic esse *ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere*, ut earum functionum *potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habeant* (6).

XXX. Patet indidem, cur nequeat sine charactere episcopali cuiquam delegari ab Episcopis, neque a Summo Pontifice potestas sacrae Ordinationis. Sacrae inquam. Profecto Abbatibus rite benedictis, et Praelatis inferioribus ius conferendi Ordines minores, ut olim, ita nunc etiam dari ex privilegio apostolico, mos est probatissimus (7), ex dubia (ni fallor) in eisdem Ordinibus qualitate Sacramenti profluens. *Abbati*, qui presbyter saltem sit, eique *manus impositio facta noscatur ab Episcopo*, licentiam esse ordinandi *Lectores* in proprio tantum monasterio, decrevit Septima Synodus (8): et per primam tonsuram conferendi clericalem Ordinem rescripsit Innocentius III (9). Idque firmavit

(1) Chrysost. *hom. 11. in ep. 1. ad Timoth.*

(2) S. Hieron. *ep. 85. ad Evagrium.*

(3) Const. vulgo Apost. *lib. 3. cap. 11., et can. 2.* vulgo *Apost.*

(4) Syn. Alexandrina *an. 363.* sub S. Athanasio, Ioviano Imperatore, concelebrata ex primariis Ægypti, Thebaidis, Libiaeque Episcopis, haec habet: *Unde ergo presbyter est Ischyras, aut a quonam est ordinatus, utrum a Colluthо? Atqui Colluthum in presbyteratu mortuum esse, et omnem ab illo factam manuum impositionem* irritam, *omnesque, quos in schismate ordinaverat, notum est, nec ulli omnino dubium.*

(5) Syn. Constantiens. *an. 1414. sess. 8.*

(6) Trid. *sess. 23. cap. 4., et can. 7.*

(7) Ex supradictis *lib. 1. tit. XXIV. num. XVIII., et XXIII.* Fagnan. in *cap. quanto de consuet. num. 20., et 21.*

(8) Synod. VII. *an. 787. in can. quoniam 1. dist. 69.*, laudata in *cap. cum contingat 11. de aetat., et qual., et ord. praefic.*

(9) Innoc. III. ad Rothomag. Archiep. *in cit. cap. cum contingat.*

etiam synodus tridentina, inquiens (1): *Abbatibus, ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius Dioecesis consistentibus, etiamsi nullius Dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit*, tonsuram, *vel* minores Ordines *conferre*. Hoc decreto coercita libertas est Abbatum Regularium, qui tonsuram, minoresque Ordines ante comitia Tridentina conferre subditis suis saecularibus nullius Dioecesis praesumebant.

XXXI. Paulo post S. Congregatio Concilii anno 1572. censuit decretum Tridentinum non obstare, quominus Abbates possent quoslibet a propriis dioecesanis dimissos ad tonsuram, minoresque Ordines rite promovere (2). Tum interrogata de laico, qui a Cassinensi Abbate Ordinario suo eosdem susceperat Ordines, respondit eum *indigere dispensatione, at necessum non esse, ut iterum ordinetur* (3). At Rota Romana quum secus in priori casu iudicasset (4), eadem S. Congregatio iussu Clementis VIII. rem discussit maturius, sanxitque, ne ad Abbates dimitterentur amplius ab Episcopis, aut quovis titulo adirent alii minoribus initiandi, nisi Regulares tantum subditi, vel qui in privilegiis apostolicis comprehenduntur: alias et ordinantes, et dimittentes ab Ordinibus conferendis suspenderentur: idque probavit Urbanus VIII. (5).

XXXII. Tria quidem in Abbate Ordines collaturo exiguntur, privilegium apostolicum, Sacerdotium, et solemnis benedictio (6): hoc tamen discrimine, ut non Sacerdos irritam, non benedictus illicitam, sed ratam faciat ordinationem. Sunt qui solemnem, benedictionis abbatialis ritum in Pontificale Romano explicitum commonent Synodo VII. esse recentiorem, atque a Gratiano in primis desideratum, invectumque (7). *Si Episcopus ter cum humilitate, ac devotione requisitus* Abbates Cistercienses benedicere forte renuisset, statuit Alexander III. eis tunc licere *proprios monachos benedicere, et alia, quae ad officium huiusmodi pertinent, exercere* (8). Haec decretalis detegit benedictionem non pertinere ad validitatem ordinationis. Hinc S. Congregatio Concilii plures Abbatum collationes tonsurae, minorumque Ordinum iudicavit, quamvis illicitas valere, nec fore idcirco iterandas (9).

(1) Trid. *sess. 23. de reform. cap. Abbatibus 10.*
(2) Bened. XIV. *lib. 2. de Syn. Dioec. cap. 10. num. 10.*
(3) Gallemart in *not. ad Tridentini cap. 10. sess. 23. de reform. num. 1.*
(4) Rota coram Seraphino *dec. 985.*
(5) Fagnan. in *cap. aqua 9. de cons. Eccl. vel alt. n. 8., et seq.*
(6) Fagnan. in *cap. quanto de consuet. num. 20., et 21.*
(7) Gratianus in cit. *can. quoniam 1. dist. 69.*, ad illa Graecae Synodi VII. verba: *dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo*: haec alia marte suo adiecit: *secundum morem praeficiendorum Abbatum*: quae a graeco canone abesse notat ibi glossa ad marginem.
(8) Alexand. III. in *cap statuimus 1. de suppl. neglig. Prael.*
(9) S. Congr. Conc. in Cataniensi 23. Novembris 1643., in Panormitana 16 Martii 1647., in Conibriensi 26. Iunii 1656., in Lucana 16. Martii 1726., ex *to. 3. thesaur. resolut.* apud Bened. XIV. *cit. lib. 2. de Syn. Dioec. cap. 10. num. 13.*

*

XXXIII. Privilegio hac in re apostolico nedum, fruuntur generatim Abbates Regularium veteri, et nova disciplina suffulti, sed speciatim etiam inferiores aliquot Praelati saeculares quasi episcopalem iurisdictionem habentes. Hoc procul dubio cunctos, eos etiam, qui activam et passivam plene iurisdictionem ordinariam in territorio separato obtineant, maluit Tridentina lex generalis destituere, expertesque facere omni prorsus iure promovendi subditos suos saeculares nullius Dioecesis ad clericales Ordines, dum Episcopis vicinioribus integram servavit potestatem collationis Ordinum (1). Opus idcirco habent speciali post Tridentinum privilegio Sedis Apostolicae isti saeculares Praelati, quemadmodum et pro saecularibus subditis ordinandis Abbates quoque Regulares: adeo ut irrita, nulliusque momenti quaevis Tonsurae aut Ordinum collatio fit, quam sine privilegio expresso quilibet attentaverit (2). Ita exploratum habemus ministros sacrae Ordinationis Episcopos tantum iure ordinario esse: quum presbyteri vix possint ex privilegio, et indulto Ecclesiae, seu extraordinario iure minores Ordines, tonsuramque administrare.

XXXIV. Dioecesana lege factum est, ut non alios, nisi subditos quisque suos intra, non extra fines propriae dioecesis, vel Ecclesiae quum Episcopi, tum Abbates, Praelatique inferiores possint ad ordines licite promovere, aut impediti ad alium legitimum ordinantem dimittere: aliter agentes fiant censuris obnoxii (3). Quatuor sane tituli certo nunc iure iam definiti (4) quemlibet ordinanti Episcopo subiiciunt, *beneficium*, *origo*, *domicilium*, *et familiaritas*. Eorumdem incerta olim, et ambigua ratio multas peperit controversias, et querimonias, quae in praesentia silent.

XXXV. *Beneficii*, seu potius praebendae ecclesiasticae titulum ita prisci Patres, praesertim Nicaeni spectasse potissimum videntur, ut originem, paternumque domicilium ordinandorum posthaberent. Qui primus aliquem ubivis natum, vel commorantem Episcopus Ecclesiae suae mancipans Ordine aliquo initiasset, ab ea ipsa suscepturum pro famulatu sacro alimenta: subditum sibi suum eatenus efficiebat, ut nullo ei pacto liceret amplius evolare ad aliam, vel suae originis Ecclesiam, nisi primus Ordinator id ex gratia indulsisset (5). Ea lege

(1) Fagnan. in *cap. significasti de offic. Archid. num. 12.*, *et seq.* Card. Petra in *comm. ad const. Apost. to. 5. pag. 216. num. 66.*, *et seqq.*

(2) Bened. XIV. *loc. cit.*

(3) Ex traditis *lib. 1. tit. XVIII. de Episcopis num. VI.*, et canonicis sanctionibus in *cap. 1.*, *2.*, *et 3. de temp. ordin. in VI.* Trid. *sess. 23. de refor. cap. 7. Unusquisque*, ait, *a proprio Episcopo ordinetur*, *si secus fiat*, *ordinans a collatione Ordinum per annum*, *et ordinatus a susceptorum Ordinum executione*, *quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire*, *sit suspensus.*

(4) A Clemente IV. in *cap. saepe 1.*, Greg. X. in *cap. eos 2.*, et Bonifacio VIII. in *cap. cum nullus 3. de temp. ordin. in VI.* Trid. *sess. 6. cap. 5.*, *sess. 14. cap. 2.*, *et sess. 23. cap. 8. de ref.* tandem ab Innoc. XII. in Bulla *Speculatores* an. 1694.

(5) Syn. Nicaen. I. *can. 17. Si quis ausus fuerit aliquem*, *qui ad alte-*

Origenes nativitate Alexandrinus, a Theoctisto Caesareae, tum ab Alexandro hierosolymorum Episcopis ordinatus est (1). S. Hieronymus etiam Stridonensis ab Antiocheno Episcopo Paulino, S. Martinus Pannoniae ortus a S. Hilario Episcopo Pictaviensi ad presbyteratum promoti, ceteri. Disiuncta dein ab Ordinibus collatione praebendarum, officiorumque frequentiores invaluere tituli originis, et domicilii, transitusque clericorum de una ad aliam Ecclesiam, plura olim excitantes dissidia inter ordinatores Episcopos, quae novis sunt constitutionibus iam composita.

XXXVI. *Cum nullus clericum parochiae alienae*, inquit Bonifacius VIII. (2), *praeter Superioris ipsius licentiam debeat ordinare: Superior intelligitur in hoc casu Episcopus.... in cuius Dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum*, qui ad Ordines promoveri desiderat. Innocentiana mox Bulla *Speculatores* definitum, *quod Clericus ratione cuiusvis beneficii in aliena Dioecesi obtenti, subiici dicitur iurisdictioni illius Episcopi, in cuius Dioecesi beneficium huiusmodi situm est, cuius redditus ad congruam sustentationem iuxta taxam synodalem, vel ea deficiente, iuxta morem regionis, detractis oneribus, per se sufficere debent, sublata quacumque facultate supplendi cum adiectone patrimonii etiam pinguis.*

XXXVII. Eo textus, Bullaeque vocabulo generali *beneficium*, illisque itidem Bullae dictionibus (*cuiusvis beneficii*) palam innuitur quodvis etiam simplex absque residentia beneficium ad id nunc sufficere (3) ex communiori Doctorum sententia (4), tam si liberae collationis, quam si de iurepatronatus illud sit. Quod si plura quis in variis Dioecesibus beneficia possideat, a quovis earum Episcopo suscipiet Ordines (5). Nil autem refert, an ab ipso Episcopo ordinatore, an a Papa, vel alio quopiam legitimo collatore illud obtinuerit: spectatur enim hac in re

rum pertinet, ordinare in suam Ecclesiam, cum non habeat consensum ipsius, a quo recessit clericus: irrita sit huiusmodi ordinatio. Syn. Carthagin. III. *can. 21. Alienum clericum, nisi absentiente eius Episcopo, nemo audeat vel etinere, vel promovere in Ecclesia sibi credita.* Syn. Arausican. I. an. 441. *can. 7. Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat, ut cum ipso habitet, nec eum sine consultatione eius Episcopi, cum quo ante habitavit, ordinare praesumat: quia fortasse non sine causa diu ab alio non ordinatus remansit.* S. Leo M. *ep. 84. Alienum clericum invito Episcopo ipsius nemo sollicitet: nisi forte ex placito charitatis id inter dantem, accipientemque conveniat.*

(1) Conquestum de ea ordinatione legimus Alexandrinum Episcopum Demetrium non alia ex causa, nisi quod is haberet irregularem Originem ex voluntaria sui ipsius mutilatione. *Nihil namque aliud habebat, quod ei obiiceret*, narrat Eusebius *lib. 6. hist. cap. 8.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. cum nullus 3. de temp. ord. in VI.*

(3) S. Congr. Conc. in Melitensi *die 26. Maii 1598.*

(4) Passerin. in *cit. cap. cum nullus n. 45.*, Lamperez in *cit. const. Speculatores*, Hallier *de sacr. ordinat. par. 2. sect. 5. cap. 3. art. 5. §. 2.*, ceteri contra Cardinalem de Luca *disc. 14. annot. ad Conc. Trid. num. 15.*, et Lessium *lib. 2. de iust., et iur. cap. 34. dub. 19.*, postulantes in beneficio onus residentiae, adnexumque Ordinem.

(5) Antonel. *de regim. Eccl. lib. 2. cap. 1. n. 21.*, Passerin.

locus tantum, in quo existat obtentum, possessumque beneficium (1). At sub eodem *beneficii* vocabulo quia *pensio* super beneficiis eiusmodi, quantumvis ecclesiastica, et perpetua non comprehenditur ex sensu communi (2): haec ideo nullam pro suscipiendis Ordinibus subiectionem adfert (3). Secus est de *Commenda* perpetua, quae ita plenam beneficii ecclesiastici, seu Ecclesiae administrationem confert, ut eamdem tituli vim habeat, et veris beneficiariis titularibus aequet commendatarios (4), eosque idcirco subditos efficiat Episcopi Dioecesani Ordines collaturi (5). In *Coadiutoria* vero perpetua cum futura successione distinguendum. Si enim coadiutor ex ea percipiat, et ius habeat praebendam interea congruam vivente coadiuto percipiendi, poterit eiusdem titulo Ordines suscipere: secus, ubi nullos omnino coadiutus participaverit cum eo fructus (6). Hoc quippe casu poterit coadiutor non beneficii expectandi post alterius mortem, sed domicilii titulo, quod secum residentia *coadiutoriae* fert, promoveri.

XXXVIII. Adiectivum vero illud (*ecclesiasticum*) excludit capellanias laicales quum ad nutum mobiles, tum perpetuas, et profana quaevis Beneficia, quae scilicet pii fundatores absque auctoritate, seu erectione episcopali fundaverint, sacram, seu ecclesiasticam in eis qualitatem aut expresse, aut tacite nolentes (7). Quemadmodum et mera officia licet ecclesiastica (8), et commendas temporarias, quales esse putantur illae Ordinis S. Stephani Calatravae, et de Spatha (9).

XXXIX. Ex recitatis insimul verbis patet non laicum quemlibet, cui beneficium sit Episcopus collaturus, sed *clericum* solummodo, qui beneficium reapse *obtentum* possideat extra dioecesim suae originis, vel domicilii, subditum alieno Episcopo fieri ex titulo beneficii (10). San-

(1) Passerin. *loc. cit. n. 61.*, Fermosin. in *cap. quoad translationem de temp. ordin. qu. 6. n. 17.*, Paulut. *to. 2. Iurisprud. Eccl. sacr. lib. 5. tract. 7. cap. 3.*, *etc.*

(2) Cap. *ad audientiam 31. de rescriptis, et cap. quamvis 4. de praebendis in VI.*

(3) Lamparez ad *cit. const. Speculatores n. 381.*, et Passerin. *loc. cit. n. 68.*

(4) Ex iam traditis in *meo tract. de beneficiis cap. 11. num. IX.* Quandoquidem Equitum Melitensium commendas instar beneficiorum ecclesiasticorum habet Rota Romana *dec. 221., et 566. coram Lancellott.*

(5) Passerin. *loc. cit. num. 59.*, Paulut. *loc. cit. nom. 11.*, Hallier *de sacr. elect., et ordin. par. 2. sect. 5. §. 2.*

(6) Ex decreto S. Congr. in Elborensi *die 23. Aug. 1731.* apud Rigant. *to. 2. in Reg. 24. Cono. §. 3. n. 114. ad 119.*

(7) Quod alias explicui fusius in *d. tract. de benefic. cap. III. num. VI.*, *et seq.* Non enim recepta est opinio Pirhing. in *lib. 1. Decret. tit. 11. sect. 1. num. 34.*, Formosini *ad rubr. de tempor. ordinat. qu. 6. num. 3.*, Antonelli *de iure Cleric. lib. 1. par. 3. cap. 32.*, ceterorum, qui putant iurisdictionem Episcopi ad conferendos ordines prorogari beneficio manuali, et mobili. Quos probe refellunt Passerinus *loc. cit. qu. 1. art. 2. num. 64.*, *et* Panimoll. *dec. 130. num. 41.*

(8) Ex *cap. quia nonnullis 4. de magistris.*

(9) Ab Ant. M. de Nigris *de vacat. benef. lib. 1. cap. 12. num. 13.*

(10) Lamperez *loc. cit. num. 315.*, *et 398.*, P. Moren. in eandem Bull. *Spe-*

citum in Tridentina synodo quum sit, *ne quis deinceps clericus.... ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere* (1) : S. Congregatio Concilii declaravit illicitam clerici neapolitani promotionem ad sacros Ordines ab Episcopo Carinolae peractam, antequam nactus is esset possessionem beneficii in eius dioecesi existentis, licet canonicam in eo institutionem iam obtinuisset (2) Praeterea in ea ipsa bulla *Speculatores* cautum speciatim, *nulli Episcopo, seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii legitime contracti non subditum ad clericalem* tonsuram *promovere cuiusvis* beneficii *ecclesiastici, ei, statim ac* tonsura *huiusmodi insignitus fuerit, conferendi ; seu ad quod is a patronis iam praesentatus, seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo, ea expresse adiecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur.*

XL. Tres itaque conditiones, nimirum Clericatus, pacifica beneficii possessio, et praescripta reddituum quantitas, congruo patrimonio aequalis cunctas, quae olim ante Innocentii constitutionem facile pullulabant, fraudes nunc valent radicitus extirpare. Taxa quidem congrui patrimonii ex more Dioecesis, ubi sit beneficium, tunc attenditur, quoties ad eam beneficiarius ordinandus transferat domicilium, aliter oportebit sequi taxam prioris, et permanentis domicilii (3). Ex qua non sunt onera Missarum detrahenda, tam si per seipsum debeat, quam si per alium possit eas celebrare, quia Missarum eleemosynae a divo Thoma recte dicuntur *quasi stipendium substentationis* (4). Ceterum ubi tres una omnes concurrant, cuique fas est post susceptum ab suae originis, vel domicilii Episcopo Clericatum, aliumve Ordinem transmeare pro reliquis Ordinibus ad Dioecesanum beneficii sine ullo scrupulo fraudis, etiamsi fundatum illud sit eo variandi Ordinantis animo (5). Qui enim suo utitur iure, fraudem facit nemini (6). S. Congrega-

culatores, Formosin. Passerin. Antonell. *loc. etiam cit.* Rota *coram Coccino dec. 1707. num. 7.*

(1) Trid. *sess. 21. de reform. cap. 2.*

(2) S. Congr. Conc. *in Carinolensi ordinationis 18. Martii 1648.*

(3) Monacell. *to. 3. formul. in append. instr. 8. num. 28.* S. Congr. Conc. in Alatrina I. *Iunii 1701.*, et in Neapolitana, seu Surrentina *21. Maii 1718.*

(4) Lamparez *loc. cit. num. 366.*, Morenus *ibidem ad dub. 5. num. 40.*, Rota coram Merlino *dec. 587., et dec. 808. num. 6.*, Bened. XIV. in *discursu* super hoc articulo detractionis coram Missarum apud Rigant. *ad Reg. 24. §. 5. num. 61.*

(5) Iul. Capon. *contr. 66. num. 5.*, Leuren *ad Iuris Canonici tit. de temp. ordin. qu. 566.*, alii apud Lamparez *loc. cit. num. 135.*: a quibus dissentiunt Antonell. *lib. 2. de regim. Eccl. cap. 1. num. 3.*, Marchin. *de Sacr. Ord. tract. 1. par. 5. cap. 10. num. 6.*, ceteri ab eodem Lamparez laudati *num. 323., et seq.*

(6) S. Aug. in *can. quid dicam 11. C. XIV. qu. 4.*, S. Greg. in *can. ad eius vero 4. §. igitur bene dist. 5.*

tio Concilii non semel interrogata, num in suscipiendis Ordinibus qua minoribus, qua sacris variando liceret ab uno ad alium Episcopum transire? Respondit variationem, dummodo non in fraudem fiat, licitam esse (1). Fraudem tunc puta inesse, ubi aliquid contra iuris constituti mentem, sententiamque attentetur (2).

XLI. Ordinatis autem a summo Pontifice istud variandi ius non datur. Sicut enim fas est supremo omnium Episcopo, et parenti clericos in qualibet per Orbem Ecclesia ordinare (3): ita ob honorem ei debitum vice versa, nefas nunc adhuc aliis suas superimponere manus cuilibet ab eo semel ordinato, nisi expresse id ab ipso indulgeatur (4). Quamvis eiusmodi pontificia ordinatio ab episcopali obedientia, et iurisdictione dioecesana eximat fere neminem (5). Heic plane limitatur illa generalis Hadriani Papae regula: *qui aliquem ordinare non potuit, nec iudicare potest* (6).

XLII. Varians vero debet omnimodis adferre ad beneficii Episcopum *litteras testimoniales Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus, et vita*, ex eiusdem bullae *Speculatores* littera: omnimodis, inquam. Non enim omittet eas licite clericus, qui post susceptam ab alio tonsuram, vel quemlibet Ordinem incontinenti moram in loco beneficii assiduam habuerit, et aliunde nullo se obstrictum canonico impedimento ostendat, aliis etiam episcopalibus litteris, ad formam huius bullae non datis specialim (7). At quoniam istamet Bulla scientiam in ordinando requisitam reticet inter ea, quae debent ex huiusmodi testimonialibus liquere: ius eam experiendi, probandique integrum ordinanti Episcopo dimisisse putatur (8).

XLIII. *Originis* subditus in eadem bulla dicitur, *qui naturaliter*

(1) S. Congr. Conc. in Fondana Ordinum *die 23. Ian. 1666.*, in Aquipendiensi, seu Clusina Diaconatus *13. Nov. 1717.*, et Pisana, seu Clusina Ordinationis *26. Ian. 1632.*, apud Rigant. *tom. 2. in Reg. 24. Cancellaria §. 3. num. 84.* Cardinalis Petra in *comm. Const. Apost. to. 1. num. 64. pag. 331.* licitam quoque variationem, quae bona fide, et illicitam, quae in fraudem in suscipiendis Ordinibus fiat, distinguit.

(2) Ex Paulo in *l. contra legem 29.*, et Ulpiano in *l. fraus enim 30. D. de legibus.*

(3) Ex ep. Pelagii I. saec. VI. in *can. in parochia tua C. XIV. qu. 1.*, ex *ep.* Stephani II. ad Gualbertum Patriarcham saec. VIII. in *can. nunc vero 20. C. IX. qu. 3.*, et Nicolai I. ad Michaelem Imp. in sequenti *can. per principalem 21. ibidem*, *et can. 123. C. 1. qu. 1.* Consonat quamvis suspecta *et* interpolata Iulii I. *ep. 2. contra Orientales pro S. Athanasio*, *num 6.*, ibi: *Ut nullus Episcopus alterius parochianum praesumat retinere, aut ordinare absque Episcopi voluntate, vel iudicare: salva tamen in omnibus* apostolica *auctoritate.*

(4) Innoc. III. in *cap. cum in distribuendis 12. de temp. ord.*

(5) Idem Inn. III. in *cap. per tuas 7. de maiorit., et obed.*

(6) Hadrian. in *cap. nullus 3. de parochiis*, *et alienis parochianis.*

(7) Ex multis S. Congr. Conc. decretis in Firmana, seu Lauretana Ordinationis *14. Decembris 1705.*, Toletana ordinationis *2. Octobris 1717.*, Pientina, seu Iiciensi ordinat. *die 18. Iulii 1733.*, apud Rigant. *loc. cit. n. 94. ad 102.*

(8) Lamperez *loc. cit. num. 449.*, et Crispin. *de Sacr. Ordinat. pag. 55.*

ortus est in dioecesi Ordinantis, ubi domicilium parentes fixerint: *non ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, vel cuiusvis alicuius temporalis morae, seu permanentiae eius patris.* His enim casibus *non fortuita ordinandi nativitas, sed vera tantum, et naturalis patris origo erit attendenda. At si pater in alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit: tunc non origo patris, sed domicilium* paternum *pro ordinatione filii attendi debet.* Natus itaque in materno domicilio, in quo advena pater animum non habuerit suos figendi lares, nullam ei Episcopo subiectam originem sortitur.

XLIV. Priscos Patres *originem* potius *spiritualem* ex loco Baptismi, quam corpoream ex nativitate spectasse innuit synodus Illiberitana (1). Primi enim christifideles quum sese alii Cephae, alii Paulu esse dictitassent: ad illum Episcopum, velut patrem, qui eos aqua, et Spiritu Sancto regeneraverat, pertinere tanquam filii, et subditi originarii putabantur (2). At ista spiritalis origo non erat impedimento, quominus baptizatus alicubi laicus clericalem Ordinem, et ecclesiasticum ministerium ab alio quovis Episcopo acciperet (3), hoc iam exposito pacto, ut exin demigrare ad alium, nec etiam ad suum Baptismi originarium Praesulem amplius non liceret, sine venia primi sui Ordinatoris.

XLV. Originis autem naturalis rationem habuisse interea veteres etiam canones videntur. Concilium quippe Antiochenum vetuit Episcopis aliquem alienae provinciae, aut regionis ordinare (4): quemadmodum et synodus Constantinopolitana I. (5). Si quando autem in provincia ab hostibus occupata deficeret Episcopus dioecesanus, concilium Chalcedonense indulsit incolis eius Ordines ab alieno Antistite suscipere (6). Hadrianus Papa, ut nullus *Episcopus alterius parochianum praesumat retinere, aut ordinare, vel iudicare absque proprii Episcopi voluntate, quia sicut irrita erit eius ordinatio, ita et diiudicatio*, decrevit (7). Quis porro dubitaverit parochianos, et incolas eiusmodi

(1) Seu Eliberitana synodus, quae imminente Diocletiani, et Maximiani persecutione habita est Illiberi, nunc Granata Hispaniarum, *can.* 24. ita decrevit: *Omnes qui in peregrinatione fuerint* baptizati, *eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad Clerum non esse promovendos in alienis provinciis, can. omnes 4., et ult. dist. 98.* Consonat Synodus Carthag. III. *can. 44.*

(2) Huc redit ea Nicoeni *canonis* 17. sententia: *si quis ad alium Episcopum* pertinentem . . *in sua Ecclesia ordinare praesumpserit.* Tum Sardicensis *can. 19: Quicumque ex alia parochia voluerit alienum . . . ordinare.* Istomet iure putarem pagani, vel iudaei adulti fidem nostram amplexi, originarium Episcopum esse, qui eum Baptismo regeneraverit.

(3) Ex paulo supradictis *num. XXXV.*, et ex traditis a Iuvenino *hoc tit. cap. 4.*

(4) Conc. Antioch. an. 341. in *can. nullum 6., et can. Episcopum 7. C. IX. q. 2.*

(5) Syn. Constantinop. I. in *can. non invitati 9. cad. C. et qu.*

(6) Conc. Chalcedon. *can. 20.*

(7) Hadrian. in *cap. nullus 3. de parochiis.* Hunc textum mutilum supplet

fuisse laicos in Parochia, ac loco originem, aut domicilium firmum habentes? Urbanus Papa Hugoni Lugdunensi Archiepiscopo quidem rescripsit eum posse, ubi expedire censuerit, clericis lugdunensis parochiae ab alieno Episcopo ordinatis indulgere suorum graduum honorem. *Legimus quippe*, ait, *S. Epiphanium Episcopum ex dioecesi S. Ioannis Chrysostomi* (ea de re non parum conquesti) *quosdam clericos ordinasse: quod sanctus vir omnino non fecisset, si ei detrimentum fore perpenderet* (1). Dum vero haec epistola excusat S. Epiphanium ex bona eius fide, ac utilitate ordinationis alieni subditi ab eo gestae, indulgetque simul gratiam clericis lugdunensibus: patefacit antiquam tunc vigentem disciplinam conferendi Ordines originariis subditis, et incolis dioecesanis.

XLVI. *Domicilii ratione* (ad tertium bulla *Speculatores* inquit) *subditus, ad effectum suscipiendi Ordinis is dumtaxat censetur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, atque ibidem per aliquod considerabile tempus commorando, satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius in utroque casu se vere, et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet.* Quoniam igitur feudatarii domicilium fixum revera habent in feudis suis, in quibus, ut primi cives iudicantur, tametsi alibi extra feuda, praesertim in urbe regni, aut provinciae capite solent instructas etiam aedes habere, moramque cum suis familiis diuturniorem: eorum idcirco filii earum dioecesum, ubi feuda paterna sunt, parochiani, et subditi ita putantur, ex suo vel *domicilio*, vel paterna ex iam dictis *origine*, ut a quolibet earumdem Episcopo Ordines probe accipiant (2). Idipsum ius erit in eo servandum, qui vel sine feudo plura in diversis parochiis domicilia vera, alterum, puta aestivum, hiemale alterum reapse consueverint sine fraude inhabitare (3). Non enim absurdum leges habent, quod una, eademque persona pluribus tot subiiciatur Dioecesanis, et Parochis, perinde ac iudicibus, quot fixos habeat lares (4). *Si quis* enim *instructus sit duobus locis aequaliter, neque hic, quam illic minus frequenter commoretur:* dubitans Ulpianus, *si utrobique*

ex Hadriani canonibus 72. editis anno 785., Emm. Gonzalez in notis ad idem *cap. lit. a.*

(1) Urban. in *can. Lugdunensis 10., et ult. ead. C. et qu.*

(2) Ex decretali Honorii III. in *cap. ex parte B. 15. de foro competenti:* quamvis leges generatim non contrahi habitatione domicilium definiant *l. 2. C. ubi Senatores.* Hanc sententiam, quae feudatarios etiam alibi habitantes ob praesumptum in singulis ipsorum feudis domicilium subiicit ecclesiasticae iurisdictioni Episcoporum, in quorum dioecesibus feuda consistunt, cum iure suscipiendi ab eorum singulis Ordines ecclesiasticos, tenent et comprobant Campanilis in *diversorio Iuris Canonici rubr. 9. cap. 8. n. 20.*, et Pyrrhus Corradus in *praxi dispensat. apostolic. lib. 4. cap. 5. n. 30.*

(3) Campanilis *loc. cit.*

(4) Ulp. in *l. eius qui 27. § 2. D. ad municipalem.*

destinato sit animo, an possit quis duobus locis domicilium habere? et verum est habere, ait, *licet difficile est* (1).

XLVII. Animum si advertimus ad onus residentiae antiquis clericorum ordinationibus adnexum, videbitur antiqua disciplina futurum magis domicilium ecclesiasticae residentiae, quam praeteritum cuiuslibet etiam clericatu initiandi laici attendisse. Nam translatio domicilii, ut subiicit novum incolam dioecesano huius Episcopo, ita eum eximit a iurisdictione derelictae dioecesis (2). Hodierna vero lex Innocentiana laicum prima tonsura initiandum, nisi novum antea ipse fixerit domicilium in dioecesi Ordinatoris, hoc titulo ei subditum non adiudicat.

XLVIII. Ad figendum vero domicilium deliberatus magis animus in eo loco firmiter habitandi, quam ipsa inhabitatio eatenus spectatur, ut perbrevis mora cum animo eiusmodi explicito sufficiat, diuturna, et longaeva sine, tali animo secus (3). Hinc domicilium clericus eo ipso transtulisse, statim ac Beneficium cum residentia, vel animarum cura titulo, etiam Coadiutoriae obtinuerit, visus est S. Congregationi Concilii (4). Idipsum erit de eo iudicandum, qui suum sectatur patrem demigratum ab originis loco, ut alibi domum, vel matrimonio (5), vel suarum rerum constitutione (6), vel susceptis ibi muniis, et oneribus civium (7) collocet. Nec interest, an in sua iam empta, vel conducta domo tunc degat, vel in aliena gratis, vel in hospitio (8). Sed vice

(1) In *l. assumptio D. ad municipal. §. iurisprudentibus*, *et cit. cap. ex parte B. 15. de foro comp.* Ex *cap. is, qui 3. de sepult. in VI.* id in iure parochiali adstruit Fridericus de Senis *cons. 154.*, quem sequuntur Abbas in *cap. extirpandae de praeb. §. qui vero num. 11.* Fagnan. *in cap. significavit 5. de parochiis n. 28., et seqq.*

(2) Ex *cap. proposuisti 19. de for. comp.* Fagnanus in *cit. cap. significavit 5. de parochis num. 8.*

(3) Cives *incolas domicilium facit*, (ex edicto Hadriani ait textus in *l. cives 7. C. de incolis*), *et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet.* Consonat Florentinus in *l. nihil interest 26. D. de captivis.*

(4) S. Congr. Conc. in Romana, seu S. Agathae Gothorum patrimonii *27. Maii 1713.* apud Rigant. *loc. cit. num. 125.* Quemadmodum *Senatores in urbe domicilium dignitatis habere videntur*, ex *l. Senatores 8. C. de incolis.*

(5) Ulpian. in *l. 1. §. 2. D. de agnosc., et alend. liber., vel parent. Domum accipere debemus*, ait, *hospitium . . . illic, ubi larem matrimonio collocaverit.*

(6) Alfen. Varus in *l. 203. D. de verb. signif.* innuit *constitutum esse eam domum unicuique nostrum debere existimari, ubi quisque sedes, et tabulas haberet, suarumque rerum constitutionem fecisset.*

(7) Ulpianus in *l. eius qui 27. D. ad municipalem, et de incolis. Si quis negotia sua*, ait, *non in colonia, sed in municipio semper agit, in illo vendit, emit, contrahit in eo foro, balneo, spectaculis utitur, ibi festos dies celebrat, omnibus denique municipii commodis, nullis coloniarum fruitur; ibi magis habere domicilium, quam ubi colendi ruris causa versatur, videtur.*

(8) Ex *cit.* Ulpiani *lege*, et alia eiusdem Iureconsulti *l. 5. §. 2. D. de iniuriis*, ibi: *Domum accipere debemus, non proprietatem domus, sed domicilium. Quare si in propria domo quis habitaverit, sive in conducto, vel gratis, sive hospitio receptus, haec lex locum habebit.*

versa qui vel causa studii, aut officii mobilis, aut mercenarii famulatus, vel timore belli, aut pestis, vel vi captivitatis, aut stationis militaris (1) alicubi, multos etiam annos eo animo commorentur, ut suam ad sedem patriam sint demum redituri: nullum inibi domicilium interea contrahunt, eosque iura, tamquam peregrinos, et advenas, non sicut incolas, civesque municipes aestimat (2). Dum obscurus fuerit animus, coniecturis legitimis, et declarationibus explorandus est, praesertim ex decennali habitatione (3), aut ex translatione rerum suarum, et familiae, sedisque in locum diuturni quoque incolatus (4), per triennium saltem (5). Bulla vero Innocentii fraudes, quoad fieri potest, eliminatura iubet utramque coniecturam iuramento ordinandi fore firmandam. Quod praestare oportet, quoties quisque sui ipsius domicilii titulo Ordines petat, non enim id necessarium est in paterno domicilio (6). At sola cuiuslibet iurantis declaratio sat non erit: quia *domicilium re, et facto transfertur, non nuda contestatione* (7).

XLIX. *Familiaritas* enucleanda nunc superest, quam adhibuisse vetus etiam Occidentalis Ecclesiae disciplina videtur. S. Leo M. dum scripsit ad cunctos per Campaniam Episcopos, ut invitis dominis, *nullus Episcoporum servum alterius ad clericatus officium promovere praesumat* (8), tacite innuit eis id licere in servis propriis, et Ecclesiae suae. Tum B. Gregorius M. refert *multos de ecclesiastica familia ad Dei servitium festinare, et ex Iuris ecclesiastici servitute.* (9). Nam in familia servientes quoque contineri censent iureconsulti (10), et a familia famulos derivant. Hinc Emeritana synodus saeculo VII. (11) decrevisse legitur, ut presbyteri de Ecclesiae suae *familia* clericos sibi faciant. Paullo post in Toletana IV. (12) cautum, ut de *familiis Ecclesiae* constituere presbyteros, et diaconos per parochias liceat, quos tamen vitae rectitudo, et probitas morum commendet. Canonem hunc Toleta-

(1) *Miles ibi domicilium habere videtur, ubi moret, si nihil in patria possideat*, ait Hermogen. in *l. municeps 23. D. ad municip.*

(2) *Cit. l. cives 7. C. de incolis* cum concord.

(3) In *l. nec ipsi 2. C. de incolis* ait Imp. Alexander domicilium studentes in loco studii non habere, *nisi decem annis transactis eo loco sibi constituerint.*

(4) Ex *cit. l. cives 7. C. de incolis.*

(5) Lamperez in saepedicta bulla *Speculatores num. 418.*, et Monacell. *to. 3. in append. instr. 8. form. decreti num. 43.*, ex iis Bullae verbis *per aliquod considerabile tempus* tenent sufficere triennium.

(6) Ex decreto S. Congr. Conc. in Ugentina, seu Hydruntina Ordinationis 1. *Aprilis, et 8. Iulii 1719.*

(7) Inquit Paulus iurec. in *l. domicilium 26. D. ad municipalem.*

(8) S. Leo M. saec. V. in *can. nullus 1. dist. 54.*

(9) S. Greg. M. in *can. multos 23. eadem dist. 54.*

(10) Ulpian. in *l. pronunciatio, 195 §. 3. D. de verb. sign.*

(11) Syn. Emeritana in Hispania an. 566. *can. 18.*

(12) Syn. Tolet. IV. an. 671. *can. 74.* recensione Roderici Toletani *lib. 2. cap. 19.* et Loaysae in *notis ad eamd. Synod.*

num habet vulgatus Decretalium textus (1). Idipsum in Toletana IX. (2). Quamvis manumissio servorum Ecclesiae vetita Episcopis tunc esset, ut species alienationis: bono tamen publico indulgebatur ad illos Ordinibus, et officiis ecclesiasticis mancipandum (3). Itaque speciatim manumissi ex familia ecclesiastica, et episcopali, quoniam Episcopi personae, aut Ecclesiae famulabantur, clericales Ordines accipere consueverant. Unde mos inolevit ceteros etiam famulos indiscriminatim ordinandi.

L. Abusus ea in re iam irreptos censuit synodus tridentina coercere, statuens, ut *Episcopus familiarem suum, non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, et beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, consuetudine, quacumque etiam immemorabili in contrarium non obstante* (4). Exorta exin plura dubia, quae laborem, operamque imposuerunt S. Congregationi, praesertim, an hoc decreto prima tonsura esset quoque vetita, an sufficeret incoeptum famulatus triennium, vel gratuitum omnino, an collatio beneficii ferret intervallum aliquot dierum, illudve deberet integram congruam suppeditare (5). Cunctas vero calliditates extrudit Innocentius XII., haec definiens: *Familiarem suum alienae Dioecesis subditum nullus Episcopus ad aliquos sacros, seu minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere praesumat, nisi ad praescriptum concilii Tridentini illum per integrum, et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit. Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam sufficiat, intra terminum unius mensis a die factae Ordinationis reipsa illi conferat, ac in Ordinationis huiusmodi testimonio expressam familiaritatis mentionem facere teneatur.*

LI. In triennio isto, quod assiduum, notabilique intervallo non interruptum sit oportet, supputari tempus etiam familiaritatis ante Episcopatum cum ordinante ipso habitae quidem licebit, ex pluribus ante bullam decretis S. Congregationis (6). Cuiusmodi sententiam bulla quum non resciderit, exin opinio Lamperez id negantis merito refellitur. Sed ordinandus familiaris opus habet (ex iis bullae verbis *in suo actuali servitio secum retinuerit*), nedum alimenta suo ab hero accipere, sed ei actu etiam inservire, moramque interea ducere, vel in

(1) In *cap. 3. de servis non ordinandis.* Sed pro genuino *de familiis* vocabulo, quod extat in Synodo, et emendatioribus decretalium codicibus corruptum *de famulis* aliud irrepsisse in eo textu, monet Gonzalez *ibidem in notis.*

(2) In *can. qui ex familiis Ecclesiae 4. cit. dist. 54.*

(3) Ex *cit. cap. de familiis 3. de servis non ordinandis, et can. de libertis 63. C. XII. qu. 2.*

(4) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 9.*

(5) Gallemart. in *observ. ad idem cap. Trid.* plura de hisce dubiis decreta S. Congregationis habet.

(6) S. Congr. Conc. in codice antiquarum resolut. *ad sess. 23. cap. 9.* probam censuit ordinationem antiqui familiaris decennalis ab Episcopo Cephaludensi paullo post Episcopatum peractam, idque Sanctissimus re audita comprobavit. Eamque sententiam sequuta est in Cathacensi *9. Novembris 1589.*, et Brugnatensi *28. Julii 1580.*, apud Rigant. *loc. cit. num. 140.* Gallemart in *declar. cap. 9. sess. 23. Trid. num. 2.*

una, eademque domo, vel in eadem saltem urbe, in qua residet Episcopus. Nam degenti extra urbem, et domum episcopalem, procul ab oculis Episcopi non suffragantur stipendia vitae ab Episcopo praestita, nec famulatus operae ad ipsius Praelati commodum alibi navatae (1). Hinc pariter non posse Episcopum suos ordinare nepotes cum ipso cohabitantes, nisi ei reapse, ut familiares inserviant, censuit S. Congregatio (2).

LII. Dum vero quisque sit ab alio, praeterquam originis, Episcopo promovendus ad Ordines, primamve tonsuram: necessum habet litteris testimonialibus Praelati originarii (3) ad formam huiusce bullae *Speculatores*, nec non aliorum dioecesanorum, quoties et alibi temporariam quavis causa moram traxerint. *Si quis autem*, ait bulla innocentiana, *a propriae originis, vel domicilii loco in ea aetate discesserit, qua potuerit, aliquo canonico impedimento irretiri: litteras* testimoniales *Episcopi, vel Ordinariorum (in cuius, vel quorum Dioecesi tamdiu moram traxerit, quamdiu potuerit canonico alicui impedimento obnoxius effici) super natalibus, aetate, moribus, et vita Episcopo ordinanti in actis illius Curiae conservandas exhibere debet. Qui vero secus fecerint, ordinans vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit.* Hisce verbis testimonialium necessitatem quia indicit Bulla iis speciatim, qui Ordines postulant vel beneficii, vel familiaritatis titulo: fas Episcopo quum originis, tum domicilii esse proprios subditos, qui alibi studiorum causa aliquamdiu permanserint, ordinare absque testimonialibus Dioecesani studiorum, censuit non semel S. Congregatio (4) ex casu eiusmodi in Bulla omisso, ad quem ea ut lex onerosior non extendenda videtur. At nostra Concordatorum lex an. 1741. iubet tonsura initiandos, qui in publica Universitate, vel alibi studiis vacaverint, nonnisi obtentis ab Episcopo loci studiorum dioecesano testimonialibus *de vita, et moribus*, et praescripto Ecclesiae famulatu, posse ab suo Episcopo promoveri (5). In ordinibus ergo tonsura, excepta poterunt locum habere decreta Congregationis. Sat autem erunt semel acceptae litterae testimoniales ab originis, vel domicilii Episcopo, quoties ordinatus bene-

(1) Conrad. in *prax. disp. lib. 4. cap. 5. num. 60*, Lamperez *loc. cit. n. 435*.
(2) S. Congr. in Brixiensi *11. Septem. 1608.*, Conrad. *loc. cit. num. 62*.
(3) Trid. *sess. 23. cap. 8 de ref.* ait: *Si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei etiam cuiusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii praetextus permittatur, nisi eius* probitas, *ac* mores *Ordinarii sui* testimonio *commendentur*. Consonant *sess. 14. cap. 3. de ref.* Excipiuntur ab hoc onere Regulares, qui ab Episcopo, vel Monasterii Dioecesano, vel alio dum Ordines accipiunt, nullum opus habent litteris testimonialibus Episcopi suae originis, laicique olim domicilii, a quo sese abdicarunt, ex decreto S. Congr. Conc. *28. Febr. 1665.*, *et 17. Martii 1674*.
(4) Eadem In Turritana, seu Bosnensi *17. Martii 1708. ad dub. 8.*, *et 9.*, in Algarensi *3. Augusti 1709. ad dub. 11.*, in Vincentina, seu Neritonensi ordinationis *17. Iunii 1619.*, Lamperez *num. 338.*, et Moren. *num. 286*.
(5) Concordata *an. 1741. cap. 4. art. 4*.

ficii , vel familiaritatis titulo assiduam in Ordinatoris dioecesi moram exinde protraxerit : ubi ex ea recesserit , secus (1).

LIII. Qui ius habet ordinandi per sese, is fere Praesul potest quemlibet subditum suum cum *dimissoriis* litteris mittere ad alium pro libito Episcopum Ordines ministrantem. Ex Tridentino decreto *Episcopi per semetipsos Ordines conferant : quod si aegritudine fuerint impediti , subditos suos non aliter , quam iam probatos , et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant* (2).

LIV. Praelati vero nullius Dioecesis , qui nulla ordinandi potestate sint praediti , ad Episcopum dioecesanum , seu viciniorem subditos suos debent cum litteris non dimissoriis , sed testimonialibus mittere , ut ab eo Ordines suscipiant (3) : nisi ex privilegio apostolico ius concedendi dimissorias obtinuerint (4). Paulus III., et Gregorius XIII. eiusmodi privilegium Superioribus Societatis Iesu indulsere dimittendi suos ad quemlibet catholicum Episcopum ordinandos : *quum nulli Ecclesiae , nullique certo loco mancipati sint , ut ibi permaneant , sed veluti viatores omni tempore parati , expectantesque diem , et horam, qua vel ad extremas orbis regiones , cum venerit usus, emittantur* (5). Ob hanc rem ipsam eodem fruuntur indulto equites Hierosolymitani (6). Praeterea Abbates Nonantulanus , et Farfensis , atque hoc in Regno Cavensis , et Montis Casini, et si qui sunt alii , eo quod incertum sit, quanam ex Dioecesi fuere singula eorundem Abbatum loca divulsa (7). Insuper Capitulum Vaticanum urbis Romae, seu Archipresbyter S. Petri quod ad subditos Abbatiarum ei Capitulo unitarum , puta S. Martini de Fara , seu de Valle , S. Salvatoris de Maiella , et S. Barbati de Pollutro in Provincia Theatina , S. Petri Licosati de Camerota , ac S. Nazarii de Cuccaro in Salernitana Provincia , aliarumque alibi extra Regnum (8).

LV. Regulares autem professi possint ne ad quemlibet Episcopum, an debeant ad Dioecesanum a Superioribus suis dimitti, controversum diu est , pugnantibus tot Regularium indultis , eorumque extensis generatim communicationibus cum episcopali iure dioecesano a Patribus tridentinis obfirmato. Quod *facultates de promovendo a quocumque non suffragentur , nisi habentibus legitimam causam , ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint,* generatim in Tridentina sy-

(1) Lamparez *loc. cit. n. 354.*, Moren. *n. 283.* Rigant. *ibid. num. 103:*

(2) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 3.*

(3) Trid. *ead. sess. cap. 19.*, Card. Petra *to. 5. pag. 118. n. 70.*

(4) Ildephonsus Clemens de Arostegui Regis Catholici ad Regem Neapolitanum Legatus in omnibus numeris absoluto tractatu *lib. 2. de Concordia Pastor. cap. 18. num. 24.*

(5) Paul. III. *Bulla 48.* §. *19.*, et Greg. XIII. *Bulla 77. to. 2. Bullarii.*

(6) Ex Pii IV. *Bulla* , quam memorat praelaudatus D. de Arostegui *loc. cit. num. 19.*

(7) Ex traditis a Bened. XIV. *lib. 4. de Syn. Dioec. cap. 2. num. 16.*

(8) Ex antiquis privilegiis Vaticanae S. Petri Basilicae confirmatis a Bened. XIV. in Bulla 59. *ad honorandam memoriam* 6. kal. April. 1752., *to. 3. Bular.* §. *51., et 56.*

nodo cautum (1). Cumque S. Pius V. ampliora hac quoque in re largitus Regularibus privilegia esset (2): reducta Gregorius XIII. ad Iuris communis, ac tridentinae synodi amussim constitutione Piana de privilegiis Regularium (3) declaravit ex S. Congregationis voto Carthusianos obligari non posse ad licentiam Dioecesani petendam, ubi Ordines ab alio Episcopo suscipiant. Tum Xystus V., *Regulares posse concedere* dimissorias *ad Episcopum dioecesanum*, *eoque absente*, *vel etiam praesente*, *et Ordinationes non tenente ad quemcumque*, *dummodo ab eo Episcopo*, *qui Ordines contulerit*, *examinentur quoad doctrinam*. Post de mandato Clementis VIII. S. Congregatio die 15. Martii 1596. imperans Superioribus Regularium decreti eiusmodi observantiam explicuit Dioecesanum esse *illius*, *nempe Monasterii*, *in cuius familia ab iis*, *ad quos pertinet*, *Regularis positus fuerit*. Eoque impedito ad alium tunc licere dimittere, *dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem* dimissoriarum *in id tempus*, *quo Episcopus Dioecesanus*, *vel abfuturus*, *vel nullas esset habiturus ordinationes*: praetereaque in dimissoriis *huiusmodi causam absentiae Dioecesani*, *vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse*. Dein Innocentius XIII., et Benedictus XIII. (4) eos a decreto Clementis VIII. Regulares exemit, qui expressum privilegium non per viam communicationis, sed directe, atque expresse post tridentina comitia obtinuissent dimittendi suos ad quemcumque ordinandos subditos. *Exceptis tamen*, ait Benedictus, *quoad praedicta Regularibus illis*, *quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post concilium tridentinum fuerit concessum*, *ut a quolibet catholico Antistite Ordines suscipere possint*. Mox Benedictus XVI. decrevit eiusmodi privilegia Concilio posteriora, quae reapse appareant indulta speciatim, vel confirmata in *forma*, ut aiunt *specifica* cum insertione veteris indulti, vim suam habitura, reiectis aliis, quae in *forma communi*, vel per *communicationem* sint concessa: hortatus interea hinc Regulares, hinc Episcopos ad sinceram spiritus unitatem, ut hac in re utrique se proba fide gerant. Simul iussit providentissime eas Regularium dimissorias, quae ob Dioecesani absentiam, vel impedimentum diriguntur ad alios Episcopos, nullius fore momenti, nisi adnexum habeant authenticum testimonium Vicarii generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii episcopalis, unde constet absentia, seu impedimentum eiusmodi (5).

(1) Trid. *sess. 7. de reform. cap. 11.*

(2) S. Pius V. in const. *etsi mendicantium*. Novitiis enim non licet umquam dimissorias accipere a Superioribus Regularium, Card. Petra *to. 1. pag. 338. num. 18.*

(3) S. Pii V. *const. etsi mendicantium*, privilegia Regularium maximopere ampliantem, reformavit Gregorius XIII. sua *const.* incipiente *in tanta rerum*, Kal. Martii 1573.

(4) Inn. XIII. in const. *Apostolici ministerii*, die 30. Maii 1723., et Bened. XIII. in const. *in supremo*, die 23. Septem. 1724.

(5) Bened. XIV. in *const. impositi nobis 27. de ordinatione Regularium die 27. Feb. 1747. to. 2*, Bullarii sui.

LVI. Congregationi Patrum Oratorii Clemens VIII. praevio S. Congregationis voto indulsit, alumnos eiusdem Congregationis in urbe Roma, et Neapoli commorantes posse ad quoscumque Ordines promoveri a locorum Ordinariis, in quorum Dioecesi religiosum habeant domicilium absque litteris dimissoriis Episcoporum originis (1). Ius ergo istis Regularibus, vel Ordines conferendi, vel concedendi dimissorias est Episcopo, in cuius Dioecesi commorantur, a Clemente VIII. quoque reservatum, Praeposito eorum prorsus excluso. Cumque Patres Pii Operarii a Clemente XI. petiissent facultatem, ut Praepositus ipsorum generalis dare dimissorias professis Congregationis suae posset: eam praevio voto quinque Cardinalium denegandam rescripsit die 20. Maii 1708. (2).

LVII. Sedes tamen Apostolica non semel indulsit suo in urbe Vicario arbitrium ordinandi, neglectis Ordinariorum dimissoriis, speciatim aliquot alumnos Congregationis doctrinae christianae, qui sex saltem annos in ea perseverassent, alienosque subditos particulares (3): tum generaliter alumnos Collegii Anglicani in urbe cum solius Protectoris licentia, et Rectoris consensu (4). Insuper initiandi prima tonsura exteros Romae degentes sine dimissoriis Dioecesanorum (5).

LVIII. Communi autem iure (6) Vicarius quisque capitularis Sede vacante dimissorias ad Ordines subditis dioecesanis, qui beneficio aliquo arcentur (7), dat intra annum luctus, ceteris post annum: praevio tamen intra hoc Regnum consensu pleni Capituli rite per secreta suffragia, maioremque horum partem explicando pro iis tantum, qui nullam a defuncto Episcopo repulsam promeruerint, et nonnisi obtentis post annum luctus Ecclesiae litteris S. Congregationis Concilii (8). Qui vero cum expressa defuncti Episcopi licentia apostolicum indultum promovendi *extra tempora* impetraverint, iis posse Vicarium capitularem dimissorias dare intra annum Sedis vacantis, declaravit S. Congrega-

(1) Apud Card. Petra *to. 5. pag. 270. n. 84.*, et Rigant. *loc. cit. num. 326.*, qui monet eiusmodi indulto fuisse posteriori Bulla *Speculatores* derogatum, nulloque antea tempore observatum.

(2) Apud Rigant. *ibidem. num. 324.*

(3) In casibus relatis ab Amaydeno de Stylo Datariae *lib. 1. cap. 16. §. 1. num. 8.*

(4) Ex indulto Greg. XIII., eiusque *const. 53. §. 13.*, apud Rigant. *loc. cit. n. 321., et 335.*

(5) Card. Petra *to. 5. pag. 370. n. 97.*

(6) Ex Trid. *sess. 7. de reform. 10.*, et Concordat. *cit. cap. 4. num. 9.* Qua de re dictum superiori *lib. 1. tit. XXVII. num. XII.*

(7) Quod nempe sit, antequam Sedes vacaverit, fundatum. Nam recens Sede vacante gesta fundatio neminem iure passivo tunc vocatum arctabit ad clericatum, vel Ordines cum dimissoriis Capitularibus suspiciendum, ex decreto S. Congr. in Legionensi visitat. Sacr. Limin. *15. Decembris 1725.*

(8) Litteras eiusmodi *facultativas* vetuit S. Congregationi Benedictus XIII. in Concilio Romano *tit. 18. cap. 2.*, et binis Secretarii Status litteris ad eam datis *die 2. Maii, et 19. Iulii 1725.*, praeterquam favore arctatorum, Rigant. *loc. cit. num. 209., et seq.*

tio (1). Attamen datas quantumvis rite ab eo dimissorias novus Episcopus ius habet revocandi re integra (2). Vicarius apostolicus in dimissoriis Sede vacante concedendis non maiori, sed ea ipsa Vicarii Capitularis facultate utitur ad formam Tridentinam, quam servare omnino debet (3), nisi quid plus, vel minus mandatum ei sit litteris apostolicis, et nisi Episcopo adhuc vivo datus ipse fuerit a Summo Pontifice Vicarius. Tunc enim posse mortuo Episcopo dimissorias intra annum quoque non arctatis largiri, censuit S. Congregatio (4). Testimoniales autem ad Bullae *Speculatores* formam nullo tempore prohibetur Vicarius Capitularis ei expedire (5), qui alterius Episcopi subditus quoque sit. At viciniori Episcopo promovendos Ecclesiae viduatae subditos licere sine testimonialibus Vicarii Capitularis ordinare, iudicavit S. Congregatio (6).

LIX. Clericos Graecos Latinus Episcopus, quamvis Ordinarius, et Dioecesanus, et vicissim Clericos latinos Episcopus Graecus ad ulteriores Ordines promovere per sese prohibentur: quum neutris liceat absque apostolica dispensatione ab uno ad alterum ritum transilire (7). In Italia duo iam sunt Graeci Episcopi catholici ad ordinationes Graeco ritu ministrandas, alter Romae a Clemente VIII. anno 1595. institutus pro incolis Italiae, Insularumque adiacentium, alter a Clemente XII. anno 1735. pro Italo Graecis utriusque Siciliae (8) deputatus Episcopus Calipolitanus, in Seminario Corsino S. Benedicti Ullani (quo etiam vocabulo nuncupatur Oppidum, olim in temporalibus subiectum Mo-

(1) Ex litteris in forma Brevis a Leone X. datis *die 18. Maii. 1521.*. et a Clem. VII. *die 27. Martii 1526.*

(2) Ex supra expositis hoc *lib. II. tit. III. num. XXVII. et XXVIII.*

(3) S. Congr. in Bariensi 14. *Novembr.* 1699., et Rubensi 30. *Maii* 1659., apud Rigant. ibid. *num. 207.*

(4) Quaranta in *Sum. Bullar. ver. Capitulum Sed. vac. num. 2.*, Marchett. *de Vic. Capitul. par. 2. tract. 15. num. 54.*

(5) Ex decreto S. Congr. in Aquilana *22. Septem. 1682.*. Bassus Episc. in *tract. de Vic. Apostol. tit. 2. num. 1.*

(6) S. Congr. Ep., et Reg. in Pisciensi 28. Aprilis 1684., Hyeraciensi *26. Aprilis 1686.*, S. Agathae Gothorum *22. Maii 1699.*, Bisinian. 18. *Martii* 1706., Card. Petra *to. 1. pag. 178. num. 42.*, *et 43.* Fermosin. de *potest. Capit. Sed. vac. qu. 20. num. 12.* Ricc. *dec.* 185. *num. 6. par. 4. dec. Cur Arch. Neap.* S. Congr. Conc. in Acerrana, seu Neapolitana ordinationis 7. *Decembris* 1686., cum clausula *citra approbationem praetensae vicinioritatis.*

(7) S. Pius V. in *const. providentia* 12. *to. 2.* Bullar. Cherubin. Quod vero Graeci debeant Ordines iuxta morem Ecclesiae Romanae conferre, edixit Innocentius IV. in *const. sub catholicae* 14. *to. 1.* Bullar. Ordinatos autem rite ab Episcopis schismaticis Ordinis characterem utique suscipere, sed non executionem, declaravit Clemens VIII. in *const. sanctissimus 34. to. 3.* eiusdem Bullar.

(8) Liquet ex duabus Clementis XII. Bullis, altera incipiente *provida pastoralis officii*, pro huius Graeci Episcopi institutione, ac privilegiis, altera incipiente *ex iniuncto nobis*, qua statuta, et regulas iam dicto Seminario suo praescribit. P. Angelus Zavarrone in *hist. erectionis Pontificii Collegii Corsini Ullanensis Italo-graeci.* Huiusce Collegii, tum Episcopatus etiam bona cuncta a vectigalibus, catasto, ceteris quibuscumque tributis fore immunia, iussit Rex Carolus regio rescripto 18. Maii 1736.

nasterio, seu Commendae S. Benedicti, nunc huic Episcopo graeco tributum) in Calabria intra Bisinianensis dioecesis distructum residens. Neuter autem Graecos in Latinis dioecesibus originem, aut domicilium habentes potest vel tonsura, vel Ordine aliquo initiare, sine dimissoriis dioecesani Episcopi Latini (1).

LX. Episcopi Graeci in Ordinibus ritu proprio conferendis quum nonnullos minorum Ordinum praetermittant, quia vel eos numquam habuisse, vel eorum exercitium esse aliis Ordinibus adnexum iidem ipsi adfirmant, Benedictus XIV. (2) imperans ait: *si quis ritu Graeco clericus, et Lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut maiores Ordines latinis caeremoniis sibi conferantur; is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debet ritu latino suscipere. Si vero praeter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam Graeco ritu ascendit.... antequam inter Diaconos ritu Latino cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur: cum per Subdiaconatum Graeco ritu collatum censeatur Acolythatum, et Ostiariatum recepisse. Idem statuit de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum, aut etiam Presbyteratum Graece suscepit, et latino postea ritu ad sacrum Presbyteratus respective Ordinem, aut Episcopatum promovendus sit ex apostolica concessione.*

LXI. Dimissorias pro tonsura, minoribusve Ordinibus debere ad unum, eumque certum Episcopum, pro sacris posse ad quemlibet catholicum Antistitem dirigi, decretum est sub Gregorio XV. (3). Sex autem suburbicarii Cardinales Episcopi non ad alium, nisi urbis Romae Vicarium tantummodo possunt suos dimittere subditos ordinandos (4), quoties ipsi per sese illos non promoveant: excepta prima

(1) Benedict. XIV. *const. etsi pastoralis 57. §. 7. de Sacr. Ord. num. 1., 8., et 20., to.* 1. Bullarii. Clemens VIII. *cit. const. sanctissimus* ait: *Graeci sine litteris dimissoriis Episcopi latini dioecesani ad sacros Ordines promoti suspensi sunt, et si suspensi in suis Ordinibus ministraverint, fiunt irregulares, sicut et Latini.*

(2) In *cit. const. 57. §. 7. num. 7.* Innocentius IV. in *const. sub catholicae* iam iusserat, *quod Episcopi graeci septem Ordines secundum morem Ecclesiae Romanae de cetero conferant, cum huc usque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, vel praetermisisse dicantur. Illi tamen qui iam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem in sic susceptis ordinibus tolerentur.* Tum Clemens VIII. in *cit. const. sanctissimus* constituit, *ut si Episcopus latinus Graecum aliquem ordinare voluerit, qui a presbytero Graeco in Baptismo fuerit Chrismate in fronte de facto consignatus, debet illum ante confirmare, saltem sub conditione: videlicet N. si non es* confirmatus etc. Insuper *non sunt admittendi,* ait, *schismatici, sive pro Ordinibus, sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed detinendi quoad S. Sedes Apostolica desuper consulatur, et responsum habeatur.*

(3) S. Congr. a Greg. XV. deputata pro Regni Neapolitani negotiis iurisdictionis 10. *kal. Iulii* 1623., in *append.* Neap. Syn. Provinc. Cantelmi *n.* 19.

(4) Ex Alexandri VII. *const. Apostolica sollicitudo* 126. de qua Card. Petra *to. 5. pag. 276. num. 79.*, et ex decreto S. Congr. in Praenestina 22 *Aug.* 1710.

tonsura , quam iisdem subditis cum dimissoriis Cardinalis Episcopi fas est ab alio certo , ad quem diriguntur , Episcopo suscipere (1). Quae sunt ad Dioecesanum inscribendae dimissoriae Regularium , vel ad Episcopum viciniorem ab iis , qui Nullius vere sunt (2); ad alium eo absente , aut impedito ubi dirigantur , nisi adnexum habeant testimonium authenticum vel Vicarii generalis , vel Secretarii, aut Cancellarii episcopalis de absentia, seu impedimento Dioecesani: eas nullius roboris fore iussit Benedictus XIV. (3) , ratus hoc pacto fraudes , arrogantiamque illorum cohibere , qui suo pro libito audebant a Dioecesano Ordinationem extra tempora plerumque vigore indulti apostolici flagitare , ad eamque ipsum adigere molestissime , aut eo protrahente ad alium continuo evolare.

§. II. *De Ordinandis.*

LXII. Qualitates in ordinandis requisitae, praesertim scientiae, morum , ac tituli , earumque scrutinium , quod alii curatius facere, alii studio indulgentiori solent , causam tot dissidiis, legibusque dederunt. Ut *nullus ordinetur* , *nisi probatus fuerit* , *vel Episcoporum examine* , *vel populi testimonio* , cautum in synodo Carthaginensi III. (4): aut si nihil de vita , et moribus contra canones obstet , ex epistola Gelasii (5). Quod Episcopus cum electis viris prudentibus, peritisque *ordinandorum vitam* , *genus* , *patriam* , *aetatem* , *institutionem* , *locum* , *ubi educati sunt* , *si sint bene litterati* , *si instructi in lege Domini* , *diligenter investiget* , constitutum in synodo Nannetensi (6). Tandem Tridentina antiquis inhaerens canonibus decrevit, ut *ordinandorum genus*, *personam*, *aetatem*, *institutionem*, *mores* , *doctrinam*, *et fidem diligenter investiget* , *et examinet* ordinaturus Episcopus peritis etiam sibi adscitis (7). Plura simul decreta edixit de singulorum Ordi-

(1) Ex decreto S. Congr. in Velitrana , seu Albanensi 16. *Febr.* 1704.

(2) S. Congr. Conc. *die 20. Jul.* 1675. dimissorias Regularium vere Nullius Dioecesis esse ad viciniorem Episcopum ita dirigendas, ut aliae ad Dioecesanum iuxta decretum Clem. VIII., respondit apud Fagnan. in *cap. significasti. num. 23. de offic. Archid.*, et Card. Petra *to.* 1. *in const. Apost. pag.* 351. *num. 39.*

(3) Bened. XIX. in *const. impositi nobis 27. de ordinat. Regul. to. 2. Bullar.* Hinc evanuit necessitas edicti episcopalis pro futura ordinatione indicenda ante mensem , quod praescripserat Innocentius XIII. , indulgens Regularibus, quotiescumque illud omitteretur , libertatem declinandi ad alium quemvis Ordinantem , in *const. Apostolici ministerii §. 15.*, edita die 13. Maii 1723. pro ecclesiastica Hispaniarum disciplina , impressa in *appendice* Concilii Romani sub Benedicto XIII. *num.* 16., quam hic ipse Benedictus confirmavit sua *const. in supremo* , die 23. Sept. 1724.

(4) Syn. Carthag. III. in *can. nullus 2. dist. 24.*

(5) Ad Coelestinum Episc. in *can. presbyteri 3. ead. dist.*

(6) Syn. Nannetens. in *can. quando Episcopus 5. ead. dist.*

(7) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 7.*

num requisitis (1). Ad eaque cuncta rite exploranda spectat instructio pro ordinandis in Dioecesi, et Provincia Neapolitana (2).

LXIII. Scrutinium itaque praecedat Ordines necesse est de cunctis, quae dicta sunt, ceterisque requisitis (3), cuius formam curatiorem tradit saepedicta synodus Neapolitana (4). Ob idipsum singula ordinandorum nomina proclamare non semel coram Clero, et populo consuevit prisca etiam Ecclesia (5), quum inquirendi studio cuiusque merita, vel demerita, tum detegendi fraudes, et canonica impedimenta. In ipso praeterea Ordinationis momento antiquus viget mos interrogandi Archidiaconum, an ipse promovendos sciat dignos esse. Quae res quum animos vere torqueat, Innocentius III. rescripsit (6) eum non fallere fidem, culpaque vacare, qui respondet, quod *quantum humana fragilitas nosse sinit, et scit, et testificatur istum ad illud onus officii esse dignum*, quoties istum ipsum indignum esse non novit: secus, ubi sua reclamante conscientia, quem indignum certe scit, dignum pronunciet.

LXIV. Suos dum subditos Episcopus est vel initiaturus, vel ad alium dimissurus, rationem de scrutinio, sive diligente, sive laxo conscientiae reddet suae. Alieni vero subditi, praesertim exempti, et Regulares, et exteri ambages non raro diffundunt, ad vitandum Ordinatoris, vel dimittentis examen. Multis tamen decretis Romanis iam definitum, quod ordinans possit, ubi velit, sed nulla unquam lege cogatur examine subditos alienos ad se a proprio Dioecesano dimissos, eorumque requisita cetera scrutari, quoties dimissoriae litterae eos idoneos, et scientia, et moribus, et qualitatibus ceteris expresse nuncient (7). *Regulares quoque*, inquit synodus Tridentina (8), *nec in minori aetate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.* Praeterea ex Clementis VIII. decreto Regulares absente, impeditove Dioecesano ad alium dimittere Superioribus datur, dum *tamen ab eo Episcopo, qui Ordi-*

(1) Ibidem *cap. 4., et seqq.*

(2) Quae prostat in *appendice* Neap. Syn. Provinc. Card. Cantelmi *tit. 17.*

(3) De quibus videsis decretalium *tit. de aetat., et qualit. ordine praeficiendorum.* Ætatem singulis Ordinibus praescriptam dixi *lib. 1. cit. tit.* XXXI. *num. VI. X.. et XXX.*

(4) In *appendice cit. tit. 17. instructio pro Ordinandis pag. 233. ad 251.*

(5) Constat ex S. Cypriani *ep. 33.*, ibique Pamelius, et aliis apud Hallier *lib. 1. de sacr. elect. cap. 2. art. 2.*, et Em. Gonzalez *ad tit. de scrutinio in ord. facien.* Synodus Chalcedonensis *Ordinationis publicatae vocabulum* habet in *can. neminem dist. 70.* Trid. *sess. 23. cap. 6. de ref.* statuit, *de hominibus, ac desiderio eorum, qui volunt promoveri publice in Ecclesia proponendis per mensem ante.*

(6) Innoc. III. ad Auriensem Episcopum in *cap. un. de scrutinio in ord. faciendo.*

(7) S. Congr. Conc. in Nullius 16. *Ianuarii* 1595., in Mutinensi 15. *Novem.* 1682., in Verulana 17. *Ian.* 1593. Apud Fagnan. in *cap. cum secundum num. 56., et seq. de praeb.* in Elborensi ordinationis 23. *Aug.* 1721., apud Rigant. *loc. cit. num.* 174.

(8) Trid. *sess. 23. de ref. cap.* 12.

nes contulerit , examinentur quoad doctrinam. Quae verba non arbitrium , sed necessitatem indicant episcopalis Regularium examinis quod ad solam scientiam. De aliis quippe requisitis fidem debet plenam habere dimittentibus eorumdem Superioribus (1). Excipiuntur ordinandi Iesuitae ex amplissimo Gregorii XIII. indulto ; quo stante S. Congregatio consulta , an clerici Societatis Iesu sacros Ordines a Mechlinensi Archiepiscopo suscepturi debeant se examini subiicere , prout ceteri Regulares ? respondit *negative , nisi adsit consuetudo in contrarium* (2).

LXV. Exteri autem clerici Romae commorantes , qui menses ibi saltem quatuor habitaverint, cum litteris dimissoriis Ordinariorum suorum prohibentur extra Urbem Ordines suscipere ulteriores , nisi praevio examine ab Examinatoribus in Urbe deputatis probati fuerint , et ab Urbis Vicario licentiam in scriptis antea obtinuerint (3): alias incidunt in suspensionem ipso facto Sedi Apostolicae reservatam. Qui tamen ab ipsis Episcopis locorum originis , vel domicilii , vel beneficii, vel triennalis servitii ad formam S. Concilii Tridentini bullaeque *Speculatores* ordinantur, opus non habent huiusmodi examine, ac licentia Cardinalis Vicarii (4).

LXVI. Ultramontani , ut ab Episcopo Italo non ordinentur , nisi legitima in dimissoriis causa exprimatur , quare Episcopus originis , aut domicilii eos nolit , aut nequeat ordinare , iussit Clemens IV. (5). Transmarinos itidem clericos non esse absque litteris commendatitiis quinque , aut plurium Episcoporum ordinandos , sancitum est a Silvestro , Anastasio I. (6), et Alexandro III. (7). B. Gregorius M. vetuit, ne Afri passim, vel incogniti peregrini ad ecclesiasticos Ordines admittantur (8). Innocentius III. autem rescripsit clericos advenas , quamvis iureiurando affirment ii se aliquo initiatos Ordine , nisi per idonea id argumenta ostenderint , non esse ad ministerium suscipiendos , neque ad Ordinem ulteriorem promovendos (9).

(1) Ex decr. S. Congr. in Brixiensi 12. *Decembr.* 1733. Card. Petra *to.* 1. *pag. 344. num. 43.*

(2) S. Congr. in Brixien. 5. *Iulii* 1651. apud. Card. Petra *to. 1. pag. 345. num. 77.*

(3) Ex edicto iussu primum Clementis VIII. lato die 24. Novembris 1603., tum Alexandri VII. die 15. Maii 1664. Card. Petra in *const. Apost. to. 5. pag. 275. num. 78., et 371. num. 99.*

(4) Ex decreto particularis Congreg. an. 1668. apud Rigant. *loc. cit. n. 190.*

(5) Clem. IV. in *cap. 1. de temp. ordin. in VI.*

(6) S. Silvester in *can. nullus* 1. et Anastasius in *can. transmarinos* 2. dist. 98.

(7) Alex. III. in cap. *tua nos 1. de clerie. peregrin.*

(8) S. Greg. *ep.* ad Squillatinum Episc. in *can. Afros 3. eadem dist. 98.*

(9) Inn. III. in *cap. inter quatuor 2. de cler. peregr.*

§. III. *De titulo ordinationis.*

LXVII. Necessaria vitae alimenta, ne clericorum quis emendicare turpiter cogatur, consuevit ab initio Ecclesia providere, ut quisque altari serviens, de altare vivat (1), cunctique singulatim sacros Ordines suscepturi congruam ab Ecclesia, cui addicuntur, accipiant praebendam olim diurnam, vel menstruam, mox annuam (2), vel perpetuo fruantur beneficio saltem simplici (3), aut Capellania itidem perpetua (4), aut ecclesiastica pensione (5), aut certis tandem patrimonii

(1) Ex *ep. 1.* ad Corinth. *cap. 9. vers. 14.*, *et 1.* ad Timoth. *cap. 5.* id tradit S. Hieron. in *can. clericus 5. C. XII. qu. 1.*

(2) S. Hieron. in *can. quoniam 68., et ult. C. XVI. qu. 1.*, Conc. Chalcedon. in *can. neminem 1. dist. 70.* Urb. II. in Conc. Placentino in *can. sanctorum 2. eod. dist.* Alex. III. in Concil. Lateran. *cap. Episcopus 4.*, et Innoc. III. in *cap. cum secundum 16. de praebendis.* Hinc titulo *massae communis*, quae fixo participantium numero in Ecclesiis receptitiis sufficientem cuique partem congruam suppeditet, ordinationem licere decrevit Xystus V. *anno 1590.*, et iussu Clementis VIII. rescripsit S. Congr. Episcop. Card. de Luca *de Canonicis disc. 22. n. 5.*, Ursaya *to. 5. par. 1. discept. 4. num. 57.*, Pignatell. *to. 5. consult. 57. n. 34.* Tunc autem ad residentiam et famulatum Ecclesiae ita ordinatus devincitur, ut discedens inde fiat suspensus ab ordinibus, donec aliunde sibi sat provideatur, ex consuetis ea in re clausulis Indulti apostolici apud Corrad. *in add. ad prax. dispens. apost. pag, 21. §. ad titulum quoque.*

(3) De hoc beneficii titulo plura iam dixi *lib. 1. tit. XXXI. n. XXIX.*, *et seqq.* Coadiutoriam quoque cum futura successione Canonicatus, vel Dignitatis, vel Personatus, ex qua coadiutor portionem congruam fructuum, vel pecuniae accipiat, idoneam Ordinationis titulo censuit S. Congr. Conc. in *Elborensi 23. Aug. 1731.*; tametsi ea reddituum portio naturam potius pensionis, quam beneficii redolet.

(4) Mobiles ad nutum patronorum capellanias, et manuales idcirco non idoneas titulo Ordinationis saepe iudicavit S. Congregatio Concilii, praesertim in *Boriensi 2. Iulii 1641. ad 1.*, Corrad. in *prax. benef. lib. 1. cap. 2. num. 46.* Nisi patroni aliquam sui patronatus hereditarii capellaniam ordinando contulerint in perpetuum cum pacto cum nunquam amovendi, vel consenserint eam perpetuo Ordinationis titulo subiici. Id enim fas esse in patronatu hereditario, quia heredes factum defuncti nequeunt revocare: secus in patronatu familiari, aut gentilitio, quem consanguinei successores non beneficio, ac voluntate morientium possessorum, sed iure proprio nanciscuntur, probe monent Pitonius *de controv. patronor. alleg. 100. num. 47.*, Amostaz *de causis piis lib. 3. cap. 1. num. 42.*, ceteri. At publica necessitas, et alicuius Ecclesiae paupertas fecit aliquando, ut S. Congregatio Concilii ordinationem titulo capellaniae gentilitiae, et mobilis indulgeret, spondentibus patronis ordinandum vita durante non amoturis, praesertim in *Mutinensi 17. Decembris 1690.*, *et Eugubina 17. Aprilis 1706.*, item S. Congr. Episcop. in *S. Agathae Gothorum 17. Octobr. 1617*, apud Monacell. *to. 2. tit. 13. form. 13. num. 17.* Tum ea frequentius indulta *deputationum ad vitam* Sedes Apostolica dare per Datariam consuevit. In iisque adiicitur quandoque clausula, statim ac ordinandus congruam vitae sustentationem aliunde quaesiverit, capellania ad suam mobilem redeat naturam.

(5) Quam scilicet Apostolica Sedes iure perpetuo reservaverit, et indulserit ad ipsius pensionarii vitam super alicuius beneficii, vel Ecclesiae fructibus

profanis redditibus (1). Certis inquam ex praedio, aliave re stabili fructifera, quam ipse ordinandus pacifice possideat, obventuris. Nam cuiusque vel ditissimi viri obligatio personalis cuncta praestandi alimenta necessaria, addita quoque hypotheca omnium bonorum, non sufficit clericali patrimonio (2). At vero sufficiunt census annui, quamvis redimibiles arbitrio debitorum: dummodo sors capitalis tanta sit, quae in casu restitutionis valeat aequalem patrimonio fructum adferre, eoque pacto erit restituenda, ut rursus in frugiferam emptionem impendatur (3).

LXVIII. Postremum hunc titulum prisci etiam Patres ita probarunt, ut praebendam ecclesiasticam iis denegare censuerint, qui parentum opibus ali possent (4). Ab Alexandro III. constitutum in Concilio Lateranensi, ut Episcopus ordinatum sine certo titulo alere de suo debeat, *nisi de sua hic, vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere* (5). Innocentius III. autem rescripsit clericos in minoribus patrimonialibus bonis fruentes, *etsi modicum fuerint beneficium ecclesiasticum assecuti*, posse ad superiores Ordines promoveri (6). Hinc aequatam beneficii, et patrimonii conditionem arbitrariam arguit Fagnanus (7). Tandem quum tituli patrimonialis abusu redundaret Ecclesia clericis otiosis, et erronibus: Tridentina synodus potiorem patrimonio titulum ecclesiastici beneficii fore decrevit, dum vetuit obtinentes patrimonium, vel pensionem in sacris ordinari, nisi quos necessitas, vel commoditas Ecclesiarum postulaverit (8). Idipsum imperavit Innocentius XI. (9), tum Innocentius XIII., et Benedictus

Nam quae ob bonum pacis ad conciliandos animos contendentium in foro episcopali patronorum, pluriumque ab eis praesentatorum, vel ob paupertatem benemerentis clerici, vel permutationem inaequalium beneficiorum, reservatur aliquando ab Episcopis, ex traditis a Card. de Luca *de pension. disc. 40., et 41.*, et aliis: ea moriente beneficiario titulari extinguitur, nec successorem afficit, quamvis supervixerit pensionarius. Et Clemens XI. Brixiensi Episcopo rescribens (*to. 2. epist. et brev. select., eius par. 2. pag. 486*) petitam denegavit facultatem reservandi perpetuas pensiones super parochialibus.

(1) His de rebus plura iam dixi *lib. 1. tit. XXXI. num. XXV., et seq.*

(2) Ex iteratis decretis S. Congr. Concilii in Tolentina, 12. *Ianuarii 1619., et 2. Octobr. 1717.*, et Florentina 28. *Iunii 1704*, quidquid aliter de hypotheca speciali bonorum omnium censuerit Rota coram Falconerio *dec. 2. §. non obstat to. 2.*, reclamante communi Doctorum sententia.

(3) Eadem S. Congr. in *Nullius 21. Iun. 1629*, Ursaya *to. 5. par. 1. discept. 9. n. 8.*

(4) Haec enim S. Hieronymus ad S. Damasum scribit: *Clericos illos convenit Ecclesiae stipendiis sustentari, quibus parentum, et propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum, et opibus sustentari possunt; si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profecto committunt, et per abusionem talium iudicium sibi manducant, et bibunt.*

(5) In *cit. cap. Episcopus 4. de praeben.*

(6) Innoc. III. in *cap. tuis 23. de praeb.*

(7) Fagnan. in *cit. cap. Episcopus num. 24.*

(8) Trid. *sess. 21. de reform. cap. 2.*

(9) Inn. XI. litteris encyclicis per S. Congr. Concilii datis die 13. *Maii 1679.*

XIII.(1) Hinc, nonnisi deficiente beneficio, nunc licet necessarios tantum, utilesque clericos ad patrimonii titulum ordinare (2) Novis praeterea Concordatis an. 1741. cautum, ne prima tonsura quis unquam initietur, nisi de beneficio statim conferendo, aut ubi publica necessitas, et utilitas Ecclesiae urgeat, de sufficienti patrimonio prius constiterit (3): quamvis ante sacros tantum Ordines id imperaverit synodus tridentina.

LXIX. Huic patrimonio clericali, quod neque minus annuis ducatis 24., nec maius 40. sit, (aut totidem beneficii ecclesiastici fructibus, quoties beneficium loco patrimonii subrogetur auctoritate Episcopi) realem hoc in Regno immunitatem ab laicis tributis, et oneribus, praesertim a taxa catasti, vix indulgent Concordata an. 1741. eo ex die, quo initientur Subdiaconatu (4). Fraudes ita penitus eliminatae eorum, qui ad captandam a publicis vectigalibus exemptionem patrimonio clerici consanguinei sua cuncta bona addicebant. Sacra proinde Congregatio censuit patrimonium constituere super bonis omnibus non alterius cuiusque donantis, sed ipsiusmet Ordinandi propriis tantum licere (5): illudque ultra taxam dioecesanam non suffragari ad consequendam realem iusto maiorem immunitatem (6). Semota igitur clericalis immunitatis fraude, pinguius praescripta taxa patrimonium magis probari, quam reiici plane suadet dignitas militiae clericalis.

LXX. Si falsum quis, fictum, aut fiduciarium supposuerit patrimonium, suspensus a susceptis Ordinibus permanebit, quoadusque illud reapse integrum, et legitimum adipiscatur (7). Ordinans autem, aut ad Ordines praesentans iurantem, aut spondentem, *quod super provisione sua non inquietet eumdem*: suspensionem Sedi Apostolicae reservata uterque una cum ordinato plectuntur iure Decretalium (8). Qui vero patrimonium donare publico instrumento per speciem, et contraria ordinandi scriptura simulaverit; donationem eiusmodi nequibit rescindere, nec bona sic donata ad se revindicare (9): nisi, ut reor, postquam ordinatus aliunde idoneas quaesiverit facultates. Nam privatorum pactiones illegitimae nequeunt iuri publico, clericalem decorem tuenti, derogare, simul ei, qui fallere attentavit Ecclesiam, sua non debet

(1) Innoc. XIII. in *const. Apostolici ministerii* de clericis Regnorum Hispaniae promovendis lata *die 12. Maii 1723.*, quam Benedictus XIII. confirmavit sua *const. in supremo militantis* die 23. Sept. 1724., in appendice sui Concilii Romani *tit. 16.*

(2) S. Congr. Concilii in *Sorana 26. Ian. 1663.*, et alibi.

(3) Concordata *cap. 4. art. 1., et seq.* et Neap. Synod. Provinc. Card. Cantelmi *tit. 3. cap. 7. num. 5.*

(4) Eadem Concordata an. 1741. *cap. 1. art. 3., 6., et 7.* Quod iamdiu decreverat S. Congr. Immunitatis in *Ostunensi 16. Iunii 1711.*

(5) S. Congr. in Munitensi 18 Decemb. 1635., Covar. *var. resol. lib. 1. cap. 4. num. 4.*

(6) Panimoll. *dec. 6. adnot. 3. num. 7., et 8.*

(7) Ex S. Pii V. *const. Romanus Pontifex 75, et cit.* Synodo Neap. *ibid. n. 6.*

(8) Hon. III. in *cap. si quis ordinaverit 45. de simonia, et* Bonif. VIII. in *cap. si Episcopus 37. de praeb. in VI.*

(9) Marchin. *resol. miscell. par. 6. cap. 7. difficult. 7.*, Card. de Luca, et alii.

fraus patrocinari, sed nocere potius ipsi, quam Ecclesiae, aut ordinanti Episcopo in subsidium obligatis alere clericos egenos; in pari tandem causa etiam turpi, conditionem possessoris licet correi lex generatim facit meliorem. Eodem ferme iure creditores ante ordinationem edicto episcopali generatim admoniti coguntur suum tunc patefacere ius hypothecae super bonis futuri clericalis patrimonii. Nam praesentes quum praesumantur eam suo tunc silentio remittere (1): postea iis ipsis contra ordinatum, re non integra, iudicio agere non licebit (2).

LXXI. Quod *sine licentia Episcopi alienari*, aut *extingui*, *vel remitti nullatenus possit* clericale patrimonium, nec pensio patrimonialis, *donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti*, *vel aliunde habeant*, *unde vivere possint*, sanxit synodus tridentina (3). Quae resignationem quoque beneficii patrimonialis, ante non subrogatis aliunde congruis alimentis, irritat (4), eamque simul, in qua suorum Ordinum titulum resignans reticuerit. Neapolitana itidem synodus provincialis nedum alienationes istas, ac resignationes ipso iure nullas declarat, sed alienantes insuper, suspensos ab Ordinibus exercendis (5). At exinde non consequitur patrimonii bona fore post adeptum beneficium ad donantem continuo reditura, quasi iam defecerit causa donandi (6). Nam nisi donans regressum aperte sibi eo casu reservaverit: donatarius ita suum facit perpetuo patrimonium, ut illud ad alios quoslibet, posthabito donante, probe transmittat quum inter vivos, tum causa mortis, etiam ab intestato (7). Quapropter illud si a patre acceperit: in suam debebit legitimam quum imputare, tum conferre in paterni assis divisione cum fratribus suis (8). Nec ei licebit, obtento etiam beneficio, bona patrimonii alienare, nisi post rite subrogatum conscio Episcopo, beneficium (9).

LXXII. Graecos quum orientales, tum italos haec lex communis, beneficium ecclesiasticum, vel patrimonium ordinandis praescribens,

(1) Ex *l. si eo tempore 6. C. de remiss. pignoris.*

(2) Molfes. *in sum. par. 2. cap. 15. num. 5.*, Sanchez *lib. 6. de matr. disp. 32. num. 7., et 8.*

(3) Tridentin. *cit. sess. 21. de reform. cap. 2.*

(4) Rota *par. 15. rec. dec. 179. num. 6.* irritam iudicat retrodonationem patrimonii factam patri a quodam Raymundo sine consensu Episcopi.

(5) Neap. Syn. Cantelmi *loc. cit. num. 7.*

(6) Id quod iura disponunt in donationibus alimentorum, quae personales fere, ac temporaneae ita iudicantur, ut vel morte, vel meliori donatarii fortuna evanescant., *l. Mela 14. D. de alim. et cibar. legat.* Insuper Rota *par. 19. recent. tom. 1. dec. 348. num. 19.* censuit patrimonii donationem nulla ex causa, nec etiam ingratitudinis posse revocari.

(7) Rota *par. 13. recent. dec. 382. num. 13. ad 19.*

(8) Arg. *l. omnimodo §. imputari C. de inoffic. test.* Idque pluribus firmat Covarruvias *in cap. Raynaldus §. 2. num. 7. de testam. tom. 1.*, contra Fabrum, Gomesium, ceteros collationem patrimonii fraternam respuentes.

(9) Ex Rotae sententia apud Panimoll. *dec. 139. n. 76.*, et Fagnan. *in cit. cap. Episcopus de praeb. num. 45., et seqq.*, qui pluribus contrariam refellit opinionem, et praesertim decretis S. Congr. Conc. in *Aquilana 24 febr. 1652., et Bitectensi 28. Nov. 1686*, *et 12. April. 1687.*

obstringit. Eosque non posse loco patrimonii clericalis dotem uxoris suae adsignare, nec istam ab Ordinario admitti posse definit Benedictus XIV. (1).

LXXIII. Excipiuntur autem Regulares rite professi, quorum titulum in suscipiendis Ordinibus non alium, nisi *sportam* esse, ait S. Antoninus (2), religiosam puta paupertatem. Valida idcirco, et spontanea ordinandi professio sit oportet: alias hoc paupertatis titulo promotus censuras male promotorum subibit (3). At S. Pius V. vetuit eos titulo paupertatis ordinari, *sive religiosos, sive more Regularium in communi viventes, qui numquam, seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et e claustro exire, vel dimitti, et ad saeculum redire possunt* (4). Verum Societati Iesuitarum quamvis arbitrium sit dimittendi suos trium solummodo votorum professos: hi tamen titulo paupertatis adhuc promoventur ex indultis apostolicis (5). Gregorius XIII. Congregationi saeculari S. Ioannis Evangelistae in Lusitania, Alexander VII. Congregationi tunc adhuc saeculari Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum piarum, Clemens X. Congregationi Doctrinae christianae in Gallia, plures item Pontifices Congregationi Missionis in urbe Roma, et regno Poloniae speciatim indulsere facultatem promovendi earum alumnos ad titulum mensae communis (6). Aliis praeterea clericis saecularibus indulto speciali Sedes Apostolica legem perpetui beneficii, vel patrimonii relaxavit (7).

LXXIV. Scientiarum, artiumque liberalium emolumenta quum sint

(1) Bened. XIV. *in const. etsi postoralis 57. §. 7. num. 2. to. 1. Bullarii.* Quod ante decreverat S. Congr. Inquisitionis in Chiensi *die 21. Martii 1725., et 5 Novembris 1705. ad dub. 6.*

(2) S. Antonin. *par. 3. qu. 14.*

(3) M. P. Leo in *praxi Poenitentiariae pag. 334*, Clericatus *de Sacr. Ord. dec. 28. num. 7.* Ad vitandas ea in re fraudes Synodus V. Mediolanen. Provinc. decrevit Regulares ad Subdiaconatum fore non promovendos, nisi ante iuraverint se professionem sponte sua emisisse, ratamque habere, Pax Iordan. *lib. 3. tit. 6. num. 26.*

(4) S. Pius V. in *cit. const. Romanus Pontifex 75.*

(5) Bened. XIII. constitutione, quam edidit die 12. Iunii 1728., declaravit Societatem Iesu non teneri alimenta, seu congruam sustentationem subministrare suis eiusmodi professis extra Societatem electis, qui sacros in ea Ordines absque patrimonio, aut beneficio susceperint.

(6) Ursaya *to. 8. par. 1. discept. 26.*, Rigant. *tom. 2. in Reg. 24. Cancell. §. 5. num. 15., et seqq.*

(7) Alumnos Graeci Collegii Romani ad titulum, vel mensae collegialis, vel Missionis ordinari benigne annuit Urbanus VIII., necnon alumnos Seminarii Pragensis, tum Collegii de propaganda fide, Illyrici in Urbe Lauretana, et Tuldensis Nationis Germanicae, tum Romani eiusdem gentis, de quibus Ursaya *loc. cit.* Patriarchae Venetiarum Xystus V. arbitrium concessit ordinandi eos absque alio titulo, qui alicui Ecclesiae addicerentur perpetuo ad Missas, vel divina officia celebrandum, unde victum sibi quaererent. Pontificio quoque indulto Clementis X. Seminario Patavino permissa Ordinatio pauperum Alumnorum, et Mediolanensi Collegio Oblatorum S. Caroli ad titulum mensae collegialis, hoc pacto, ut inibi inserviant, et nonnisi obtento beneficio, vel patrimonio exire inde liceat, *Rigant. loc. cit. num. 10., et 11.*

incerta , titulum patrimonialem nequeunt supplere (1). Cum Synodus Ulyssiponensis decrevisset posse ad titulum solius litteraturae bonos scholasticos Theologiam , vel Ius Canonicum docentes ordinari: Sedes Apostolica iussit decretum huiusmodi ex ea deleri, prono ea tamen animo dandi ad Cardinalem Portugalliae apostolicum indultum, quo ipse posset hoc litteraturae titulo doctores tantum in Iure Canonico, vel Theologia promovere ad Ordines cum nonnullis conditionibus (2).

ADDITIONES

Nonnulla heic attexenda duximus, quae tum pactis initis inter Pium VII. Summum Pontificem, et Ferdinandum I. utriusque Siciliae Regem , tum labentibus annis ab Episcoporum Commissione , et Supremis Concordati Executoribus, ex auctoritate utriusque Potestatis ad rem constituta fuerunt.

Et principio Conventione novissima an. 1818. art. XXI. cautum, quod inspectis temporum circumstantiis, ne Ecclesiasticis ad vitam sustentandam necessaria desint , patrimonii sacri taxa ita augeatur, ut nec minor sit ducatis 50., nec 80. maior. Tum in eo decretum, quod Clerici titulo ecclesiastici patrimonii ad sacros Ordines promovendi fundos exhibeant hypothecae vinculo minime obnoxios, et Tribunal Civile Provinciale de pertinentia , et libertate honorum iudicet , eiusque sententiam Curiae Ecclesiasticae requirant : qua tamen non indigent qui beneficii , vel Capellaniae titulo ad Ordines promoventur.

Praeterea sancitum, quod Clericis, qui Sacerdotio dedicantur beneficii , aut Capellaniae titulo , cuius annuus redditus ad taxam praefinitam non pertingat , ex aliis praediis constituetur quantum taxae integritas definivit. Excipiuntur tamen illae Dioeceses , in quibus taxa ecclesiastici patrimonii in maiori summa canonice constituta reperiatur, respectu quarum nihil innovetur.

At successu temporis nonnulla passim pro Regni Nostri Dioecesibus sancita fuerunt , quae titulum in Ordinatione requisitum respiciunt , quaeque tum Apostolicae Sedis auctoritate , tum pientissimi Regis nostri adsensu confirmata, novissima obtinent iura. Et sane Episcoporum Commissio ad id delegata censuit.

1. Clerici omnes, qui in huiusce Regni Receptitiis Ecclesiis praefinitae portionis iure gaudent, dummodo fructus dioecesanam patrimonii taxam exaequent , ut beneficiarii ad sacros Ordines promoveri possunt.

2. Capellaniae amovibiles ad nutum, necnon illae, quarum redditus ex rebus mobilibus percipiuntur , tituli canonici ad sacrorum Ordinum promotionem fieri nequeunt.

3. Capellaniae super immobilibus institutae, quae ad laicorum Confra-

(1) S. Congr. Conc. in Seguntina *mense Octobris* 1589.

(2) Ex relatis a Garcia, quem laudat Gallemart. *in remiss. ad Conc. Trid. sess.* 21. *cap.* 2. *de reform. lit.* §.

ternitates, aliaque venerabilia Loca pertinent, licet sint amovibiles, a promovendis tamen ad maiores Ordines, ut tituli ecclesiastici exhiberi possunt, dummodo ipsi in pubblico instrumento ab omnibus, qui eidem Confraternitati adscripti sunt, vel a Locorum administratoribus eligantur, ea simul adiecta conditione, ut perpetuo eodem titulo perfruantur.

4. In beneficiis, aut Capellaniis, quibus onus inhaereat singulis annis centum Missas celebrandi, Titularis Dioecesanum Episcopum adire potest: is autem pro qualibet Missa, detracta eleemosyna septem assium iuxta taxam praefinitam, potest etiam, si velit aliquam deductionem Titulo inferre, ut ad sacros Ordines ille promoveatur.

5. Denique Regio Rescripto sub die V. Octobris an. 1839. id omne executioni mandari cautum, quod Supremi Concordati Executores opinati fuere, et iam ab utraque Potestate hisce verbis confirmatum.

Patrimonii sacri taxa in novissima Conventione an. 1818. art. XXI. definita pro illis Regni Dioecesibus, quae egestate laborant, et in quibus brevis sit Clericorum numerus spatio 15. an. ad ducatos 24; vel 25. reducatur. Elapso vero hoc temporis intervallo tum Sedis Apostolicae Nuntius, tum Rerum Ecclesiasticarum Minister Episcoporum postulationibus ad aliud tempus prorogandum indulgeant. Interea Supremi Concordati Executores ab utraque Potestate delegantur ad Antistitum petitiones excipiendas, et definitive declarandum quibusnam Dioecesibus ius illud tribuatur.

§. IV. *De aetate Ordinandorum.*

LXXV. Varios aetatis annos ita singulis indixit Ordinibus pro mobilitate temporum Ecclesiae (1), ut natu minores quoque pro dignitate personarum, locorumque indigentia consueverit per dispensationem olim Episcopis arbitrariam promovere. Presbyteri, quo Graeci vocabulo aetate seniores appellant, feruntur in Actis Apostolorum, et primitivis Patrum scriptis ad Sacerdotium, et Episcopatum delecti. At Apostolus iuniorem Timotheum ceteris posthabitis praefecit Episcopatui Ephesino, ad eumque scribens, *nemo*, ait, *adolescentiam tuam contemnat* (2). Secundo saeculo Alexander I. ad Romanam Sedem immatura quidem aetate sublimatus. Paulo post S. Anicetus Papa S. Eleutherium discipulum suum XV. aetatis anno ordinavit diaconum, decimo octavo presbyterum, vigesimo Episcopum Illyrici (3). Eodem saeculo Demas adolescens Magnesiorum Episcopus quum esset iam consecratus: eius adolescentiae, ut reverentiam impertirentur, scripsit S. Ignatius martyr (4). Tertio saeculo Sancti Gregorius thaumaturgus, et Athenodorus fratres,

(1) De quibus plura dixi iam *lib. 1. tit. XXXI. num. VI. X. XXIX; et seq., ac tit. XIX. num. XXI.*, et fusius tractant Card. Bona *rer. liturg. lib. 1. cap. 25.*, et Thomasin, *par. 1. lib. 2. cap. 67., et seq.*

(2) I. ad Timotheum *cap. 4. vers. 12.*

(3) Nicephor. Calist. *hist. lib. 3.*

(4) S. Ignat. *ep. ad Magnesianos.*

ut narrat Eusebius (1), ambo adhuc admodum iuvenes in Ponto Episcopi rite constituti. Mox iuvenilibus quoque annis Gaudentium a S. Ambrosio, aliisque Provinciae Praesulibus ad Ecclesiae Brixiensis Episcopatum, pariter Hilarium ad Arelatensem, et Paulum ad Constantinopolitanum quinto saeculo evectos ferunt annales ecclesiastici. S. Remigio insuper annorum XXII. Archiepiscopatum Rhemensem sexto saeculo collatum fert Hincmarus (2).

LXXVI. Lapsis deinde moribus quum iuvenes indigniores, impuberes etiam, et infantes (3) Cathedras episcopales, et ecclesiasticas dignitates per fas, nefasque invaderent (4), egregiis Sanctorum exemplis abutentes in Ecclesiae perniciem: iteratis synodorum etiam generalium, et Pontificum sanctionibus cautum est, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum aetatis annum expleverit (5), Ordinesque sin-

(1) Eusch. *lib. 6. hist. eccl. cap. 30.*

(2) Hincmarus in vita S. Remigii.

(3) Hugonem Comitem parvulum quinquennem Ecclesiae Rhemensis Archiepiscopum anno 925. electum, administratione interea Olderico Aquensi Episcopo demandata, tradunt Flodoardus *lib. 4. chron. cap. 22.*, et Baronius *annal. to. 10. ad an. 925. num. 8.*, id hic velut inauditum monstrum deplorans. Similiter Theophilactus Imperatoris Romani Lecapeni filius annorum sexdecim creatus anno 933. Patriarcha Constantinopolitanus, administrante quoad ipse adolesceret, Tryphone Monacho, fertur a Spondano *in epithome an. 933.* Eodem saeculo decimo Ioannes XI. annorum viginti, mox Ioannes XII. annorum sexdecim, dein sequenti saeculo Benedictus XI. vix decennis, parentum suorum praepotentia, summum Romae Pontificatum adepti. At haec, et alia id genus monstra infaustissima reticere, quam commemorare malim.

(4) S. Ivo Carnotensis Episcopus, qui floruit declinante saeculo XI., haec dolens scribit *ep. 6. Eligimus puerum, puerorum festa colentes Non nostrum morem, sed Regis iussa sequentes.* Sequenti saeculo S. Bernardus *ep. 12. Scholares*, ait, *pueri, et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas Dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris.*

(5) Zosimus quinto ineunte saeculo, *ad presbyterii fastigium*, scribit ad Isichium, *talis accedat, ut et nomen aetas impleat, et meritum probitatis stipendia anteacta testentur, can. si officia 2. dist. 59.* Saeculo sequenti Synodus Agathensis an. 506. decrevit: *presbyterum, vel* Episcopum *ante 30. annos, idest antequam ad viri perfecti aetatem perveniat*, et Diaconos *ante 25. nullus Metropolitanorum ordinare praesumat: ne per aetatem, quod aliquoties evenit aliquo errore culpentur, can. Episcopus 6. dist. 77.* Tum Arelatensi III. *an. 524. can. 1., Episcopatus, vel presbyteri honorem*, ait, *nullus ante 30. aetatis annos accipiat.* Eodem sexto saeculo Iustinianus Imp. non minorem 35. annis maluit Episcopum ordinari, Nov. 123. *cap. 1.*, dein indulsit *excedere trigesimum aetatis annum*, Nov. 147. *cap. 2.* Toletana synodus IV. *anno 633.*, qui nondum ad 30. annos pervenerunt, eos ad Sacerdotium et Episcopatum eligi vetuit, *can. qui in aliquo 5. dist. 51.* Idipsum confirmarunt Synodus Romana sub Eugenio II. *an. 827. can. 4.*, Aquisgranensis II. sub Ludovico Pio *an. 836. par. 2. cap. 2., et 3.*, S. Gregorius VII. *ep. 2. lib. 9.* saeculo XI., mox Alexander III. in generali Concilio Lateranensi III. *cap. cum in cunctis 7. de elect.* Leo X. in Conc. item Lateranensi an. 1514. *sess. 9*, Tridentinum *sess. 7. cap. 1. de ref. et sess. 24. cap. 12.* Tandem Gregorius XV. sua *const. onus apostolicae servitutis §. 9.*, idibus Maii 1591., nonnisi expleto anno 30. Episcopum fore ordinandum declaravit.

guli maiores ne cui conferantur ante legitimam aetatem, scilicet Presbyteratus ante annum XXV., Diaconatus ante XXIII., Subdiaconatus ante XXII. incoeptos (1). Minores autem Ordines quum conferre impuberibus antiquo iure communi liceat (2), quod non variare synodus Tridentina censuit: Pontificale Romanum apposite monet, primam tonsuram, et minores Ordines ante septimum annum completum dari non debere (3); at nonnullae dioecesanae Synodi, et Concordata huius Regni fere pubertatem requirunt (4).

LXXVII. Sacris Ordinibus infantes valide, quantumvis illicite ordinari Benedictus XIV. (5) docet ex concordi Theologorum, et Canonistarum sententia: eos tamen ad castitatis legem, aliaque sacris adnexa onera, nullatenus obligari, nisi vel usu rationis tunc compotes iam actu consenserint, vel postea suam ratam habuerint ordinationem: dum Cophtis seu Iacobitis in tenella aetate Diaconis ritu suo iam ordinatis, qui deliberato post animo suum ordinationi consensum praestiterint, primas etiam nuptias non licere simul rescribit. Maronitae pariter creare solent pueros quinque, vel sex annorum Subdiaconos sine obligatione legendi Horas canonicas, ad quas recitandas adulti post ratihabitionem tenentur (6). Eis tamen, sicuti ante legitimam aetatem non licet susceptos Ordines exercere: ita si adulti saecularia elegerint vota, suspensi ab Ordinibus manebunt (7).

LXXVIII. Quaevis ante legitimam aetatem gesta ordinatio nec licita, nec impunis erit: nisi praecesserit Apostolicae Sedis indultum (8).

(1) Presbyteris, et Diaconis maiorem veteres, quam recentiores canones aetatem finivisse, iam dictum satis *lib. 1. tit. XXXI. num. X.* Secus vero Subdiaconis. Nam quinto saeculo Zosimus in Acolytho, vel Subdiacono annos 14. designat, *cit. can. in singulis 2. dist. 77.* In utroque Syricius annos 20.; *can. quicumque 3. eod. dist.* Sexta Synodus Graecorum in Subdiacono annos 25, in *seq. can. subdiaconus.* Iustinianus ordinari Diaconum, aut Subdiaconum minorem annis viginti quinque, Lectorem 18. non permisit, Nov. 123. *cap.* 13. Synodus Toletana II. *can.* 1. anno 531., et Trullana *can.* 15. annos 20. Subdiaconatui addicunt. Urbanus II. in Synodo Melphiensi *an.* 1090. *can.* 4.. indulsit annos 14., vel. 15. Clemens V. in Conc. Ravennatensi III. *cap.* 12. annos 16., mox in oecumenico Vinnensi annos 18. praescripsit, *Clement. generalem de aet et qual.* Hanc aetatem quoque habet Pontificale Romanum Leonis X.

(2) Liquet ex epistola Zosimi Papae, qui Acolythos, vel Subdiaconos XIV. aetatis annos, antea per quinquennium in Lectoris, et Exorcistae gradu versatos, ordinari rescripsit, *cit. can. in singulis dist. 77. Si ab infantia,* inquit Papa, *ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, ut inter* Lectores, et Exorcistas *quinquennio teneatur: exinde* Acolythus, *vel* Subdiaconus 14. *annis fiat*, Syricius etiam infantes *ante pubertatis annos* Ecclesiae *obsequiis mancipari, et* Lectorum *ministerio sociari probat, can. quicumque 3. eod. dist.*

(3) Pontif. Roman. *tit. de Ordinibus conferendis.*

(4) Videsis dicta *lib. 1. tit. XXXI. num. XXIX. et seq.*

(5) Bened. XIV. in *const. eo quamvis tempore* 129. §. 17. *to.* 1. *Bullar.* qua ad Generalem Ægypti Vicarium, Praefectumque Missionis Apostolicae datur instructio super dubiis rituum Ecclesiae, et nationis Cophtorum.

(6) Ex responso Gregorii XIII. ad Patriarcham Maronitarum, quod laudat, probatque Benedictus XIV. in *cit. const.* 129. §. 45.

(7) Bened. XIV. *ibidem.* §. 22; et 23.

(8) Olim Episcopis fas erat ob Ecclesiae utilitatem, necessitatemque, vel

Quod ad Episcopos, Ioannes XXII. generali perpetuo *edicto* dum vetuit electoribus, puta Capitulis, ad cathedralem Ecclesiam quemque postulare, *qui vigesimum septimum non attigerit annum* (1), licitam sic effecit in hac minori aetate postulationem, ut eam suo posset arbitrio Romana Sedes admittere (2). Concordata vero Galliae inter Leonem X., et Franciscum I. in Episcopis illius Regni qua eligendis, qua nominandis eam ipsam viginti septem annorum aetatem iure generali statuunt (3): sublata inibi necessitate dispensationis apostolicae. Vim vero legis aut constitutionis perpetuae quum suo non dedisset *edicto* Ioannes XXII., illud, quamvis perpetuum, una cum edicentis Papae vita expiravit (4). Successores idcirco Pontifices quoties alicui vel electo, vel postulato, vel nominato annis triginta, aut viginti septem minori maluerunt Episcopatum conferre: nulla umquam fuit necessitas derogandi huic speciatim Extravaganti, nec opus est ad contrariam desuetudinem derogantem recurrere, ut supremi Concistorii stylus in eiusmodi electionibus, et confirmationibus Episcoporum absque ulla Extravagantis derogatione decernendis comprobetur (5).

LXXIX. Non paucos quidem annis XXX. minores consuevit Sedes Apostolica Episcopos per orbem creare, hoc etiam in Regno ex gratia speciali (6). Bonifacius VIII. S. Ludovicum Ord. Fratrum Minorum, Caroli II. Andegavensis utriusque Siciliae Regis, et Reginae, Mariae filium, annos XXIII. non excedentem indulsit Episcopum Tholosonam consecrari. Paulus III. anno 1546. Martio Cerbonico annorum XXVII. Episcopatum Casertanum, Paulus IV. anno 1556. Ioanni Francisco Sanseverino annorum XXVIII. Acerranum, Paulus V. anno 1607. Cardinali Massaeo annorum XXIX. Theatinum, simul Annibali Gymnasio cum aetatis dispensatione Sipontinum, Innocentius XI. anno 1679. Didaco Florez de la matriz, nondum completo anno XXX. Triventinum contulere.

LXXX. Duplici autem forma solet dispensationem hanc pro libito indulgere Summus Pontifex. Altera quidem in recensitis exemplis usur-

praeclara personarum merita promovere agentes minorem aetatem. Post Conciliorum generalium, Sedisque Apostolicae sanctionibus, et Cancellariae Regula hodie 24. *de male promotis*, dispensandae aetatis arbitrium Summo Pontifici reservatum.

(1) Ioan. XXII. in *comm.* Extr. *un. de postul. Praelator.*

(2) De postulationis natura iam dictum *lib. 1. tit. XIX. num. 1, et XXII.*

(3) Concord. Galliae an. 1515. Bononiae inita *tit. de regia nomin. ad praelatur. cap. 5.* Quem annum XXVII. completum fore tenent Blondeau in *addit. ad Bouchel Biblioth. Canoniq. pag. 4.*, et Card. Ossat *ep. 338. §. la derniere*, contra Rebuff. *in Concordat. tit. de nominat, §. 1. verb. constitutis*, de Sanctis *in Examin. Consistor. cap. 13. num.* 187., alios incoeptum sufficere opinatos.

(4) Ex Iustiniani *ep. de confirm. Digestor. §.* 18. Videsis dicta superius *lib. 1. tit. X. num. VII.*

(5) Stylum hunc ostendunt iteratae relationes cl. Passionei a Secretis S. Congr. Concistorialis die 19. Maii 1697., et 24. Ian. 1699., quas laudat Rigant. *in Reg. 24. Cancell. § 2. num. 27. to. 2.*

(6) Quos memorat Rigant. *loc. cit. num.* 31, *et seqq.*

pata munus consecrationis episcopalis, plenamque administrationem Ecclesiae largitur ante legitimam aetatem. Altera vero Episcopatum minori in titulum perpetuum confert, Consecrationem, quousque ad legitimam pervenerit aetatem, interdicens: demandata interim Ecclesiae administratione in spiritualibus, et temporalibus plerumque alicui viro idoneo, et aliquando ipsi etiam minori Episcopo, si par erit, permissa. Ita Hispaniarum Infans Ludovicus Cardinalis nonum vix annum ageus a Clemente XII. designatus est anno 1735. Archiepiscopus Toletanus, coadministrante Bernardo Archiepiscopo Larissensi. Utque alienigenas omittam, Laurentius Serristorius adolescens Bitectensem huius Regni Episcopatum a Clemente VII. obtinuisse anno 1528; tum quatriennio elapso, nondum consecratus ultro dimisisse fertur ab Ughellio: mox affinis eius Ludovicus Serristorius vigintisex annorum a Paulo III. eumdem adeptus cum administratione anno 1539, post annum promeruisse consecrationem (1). Laquedoniensi Ecclesiae eadem indulti specie datus Scipio de Dura Episcopus anno 1538. cum iure administrandi, donec ad annum XXVII. perveniret (2). Neapolitanae similiter a Paullo III. Archiepiscopus anno 1554. designatus Ranutius Farnesius nepos eius, vix pubes annorum quindecim cum idoneo administratore (3): tum a Paullo IV. Alphonsus Cardinalis Carafa impubes decem circiter annorum. (4). Praeterea Insulanam Sedem a clarissimo Caesare Lambertino dimissam S. Pius V. Thomae Lambertino cedentis nepoti, qui vigesimum quartum agebat annum, contulit primum sine consecratione administrandam (5).

LXXXI. Quod vero ad Presbyteratum, sacrosque alios Ordines, prona etiam est Apostolica Sedes largiri per sese cuique postulanti pontificiam dispensationem super mensium tredecim defectu aetatis a Tridentina synodo definitae ob consolationem devotionis ordinandi, eiusque parentum: ad plures autem menses eam, nonnisi probabili urgente causa, raro indulget alicui (6). At istam dispensandi facultatem delegat nemini, petitamque non semel denegavit, praesertim Gregorius XIII. Patribus Concilii Rothomagensis anno 1581. (7), et Clemens VIII. Episcopo Ruremondensi (8).

LXXXII. Prima etiam tonsura ut septennio minores infantes initia-

(1) Ughell. *t. 7. Ital. Sacr. in Episcop. Bitectens. num.* 21.
(2) Idem *to. 6. in Episcop. Laquedon. num.* 22.
(3) De quo Corrad. in *prax. benefic. lib.* 2. *cad.* 14. num. 31.
(4) Ciaccon. *to. 3. vit. Pontif.*
(5) Ughell. *to. 9. in Episc. Insulan. num. 30.*
(6) Innoc. XIII. Iosepho Petri Portugalliae Regis filio naturali vigesimum aetatis annum agenti speciatim indulsisse anno 1723., ut si ad Subdiaconatum quinque menses, ad Diaconatum tres anni deficerent, posset ad eos Ordines promoveri, fertur a Rigantio ad saepedictam *Reg.* 21. *Canc.* §. 2. *num.* 2.
(7) De quo Thomassin. *par.* 1. *lib.* 2. *cap.* 70. *num.* 8.
(8) Ex testimonio Cardin. Bellarmini *ep.* 57. At Episcopo Frisingensi id exemplo singulari indultum ab Innoc. XII., ut ob penuriam ministrorum possit super unius anni defectu dispensare, fert Anacletus *to. 3. Iur. Can. in append. de dispens. super imped. matr.* §. 1., et Rigant. *loc. cit. num.* 11.

rentur, aliquoties a summis Pontificibus dispensatum tradunt Corradus, et Rigantius (1). Hoc autem in Regno Concordata novissima initiandorum aetatem puberem, Ecclesiaeque famulatum triennalem quum praescripserint: opus inde habent impuberes duplici dispensatione, pontificia nimirum, et regia, quoties praematurum expetunt clericatum Hanc iis fere indulgendi mos est sane probus, qui vel a fundatoribus iure sanguinis vocati sint, vel a patronis consanguineis nominentur ad aliquod beneficium, vel capellaniam perpetuam, erectam, sive fundatam post concilii Tridentini promulgationem, scilicet post annum aerae vulgaris 1563. Nulla vero iis necessaria est dispensatio, qui ad beneficia simplicia tridentinis comitiis antiquiora praesentationem preseferant vel fundatorum ex passivo iurepatronatus familiari, aut gentilitio, vel patronorum sibi consanguineorum ex patronatu activo. Enimvero quum liceret olim ea conferre clericis etiam septennibus (2): nova lex tridentina, quae statuit, ut *nullus prima tonsura initiatus, aut in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere* (3), ex communi Doctorum sententia usu probatissima oculos non retro, sed ante habens, posteriora tantum iurispatronatus beneficia, non retro fundata quidem afficit. Mox ipsa eadem Concordata palam permittunt arctatos iure fundationis ad beneficium aliquod, aut capellaniam ecclesiasticam absque praescriptis requisitis ad clericalem promoveri tonsuram: quamvis definitam inibi aetatem, ubi de beneficiis ante concilium Tridentinum fundatis agatur, ii non habeant (4). Tribunal etiam Mixtum, re discussa, censuit die 23. Augusti 1753. arctatos ad clericalem Ordinem fore nedum passivo fundationis iure vocatos, sed praesentatos etiam a consanguineis patronis iure activo in patronatibus tam gentilitiis, et familiaribus, quam haereditariis: propterea quod aequitas non patitur, ut patroni cogantur extraneos clericos, aut Presbyteros ad beneficia cuiuslibet patronatus praesentare, quoties adsit aliquis sanguine sibi coniunctus ad suscipiendam tonsuram idoneus, quantumvis natu minor, aut famulatum Ecclesiae triennalem non praemiserit. Idque ad Episcopum Castri Stabiensis primum, mox ad alios Regni Praelatos rescripsit, datis ad eosdem exemplis huiusmodi sententiae, quae *appuntamentum* vulgo dicitur.

(1) Corrad. in *prax. benefic. lib.* 1., *cap. 5. n.* 200. Rigant. *loc. cit. n. 6.*

(2) Arguitur ex *cap. indecorum 3. de aetat., et qual., et ord. praef.*, ubi Alexander III. rescripsit, *ut nemini intra annum quartum decimum constituto* Personatum *cuiuslibet Ecclesiae concedere praesumerent.* Quod sub *Personatus* vocabulo beneficia simplicia non comprehendantur, sed ea solum, quae praecellentiam ex officio sine iurisdictione adnexam habent, iam supra dixi *lib.* 1. *tit. XI. num. V.* Videsis etiam *tract. de benefic. cap. IX. num. XVI. ad XIX.*

(3) Trid. *sess.* 23. *de reform. cap. 6.*

(4) Concordata *cap.* 4. *art. 5.*

§. V. *De temporibus Ordinationum.*

LXXXIII. Apostoli quum nonnisi ieiunantes, et orantes imposuisse manus legantur (1) : prima hinc regula statis ieiuniorum temporibus conferendi Ordines repetenda videtur. Quovis tamen die locorum, personarumque necessitas postulasset, ab Apostolis ipsis praemisso ieiunio quum Episcopos, et Presbyteros, tum Diaconos ordinatos, verosimilius puto (2) : eorumque exempla proximos successores Episcopos tenuisse. Sunt qui a priscis Romae Pontificibus usque ad saeculum quintum ordinationes mense Decembri solum celebratas, atque a B. Simplicio, qui pontificatum anno 497. iniit, primum eas mense quum Decembri, tum Februario gestas ferunt (3). At Pagius (4) naribus bene utens rectius tenet Romanos quum Pontifices, tum alios per orbem Episcopos prioribus quinque saeculis sacros contulisse Ordines quolibet mense ad libitum : quum nulla ante Gelasii pontificatum lex certa Ordinationibus tempora praefixisset (5).

LXXXIV. S. Leo M., qui medio quinto saeculo sedit, servatum sedulo a Patribus tradit id, quod et ipse custodiendum iussit, *ut non passim diebus omnibus Sacerdotalis, vel Levitica Ordinatio celebretur : sed post diem Sabbathi eius noctis, quae lucescit in prima Sabbathi.... ieiunis, et a ieiunantibus sacra benedictio conferatur ..., aut mane ipse dominico die, continuato ieiunio Sabbathi celebretur, a quo tempore praecedentis noctis initia non recedunt.* Mox addit: *quod die dominico Ordinationes Sacerdotum celebrentur, non tantum ex consuetudine, sed etiam ex apostolica novimus venire doctrina.... his qui consecrandi sunt numquam benedictio, nisi in die dominicae Resurrectionis tribuatur, cui a vespera Sabbathi initium*

(1) Actor. *cap.* 13. *vers.* 3.

(2) Cum Hallier *de sacris elect. et ordinat. tit. de temp. sacr. ordin. art. 2. n. 6.*

(3) Amalarius Fortunatus *lib.* 2. *cap. 1. de eccles. offic. cap.* 1., Anast. Biblioth. *in hist. de vitis Pontific.*, qui ambo floruere saec. IX., plurimi recentiores.

(4) P. Pagius *tom.* 1. *Breviarii gest. Pont. Roman. in vita S. Simplicii* ex chronico Damasi, quod saeculo IV. Pontifex conscripsit, multos hac in re Anastasii errores detegit, praesertim quod Eusebius, et Marcus Pontifices a S. Damaso ferantur sedisse paucos vix menses ante Decembrem, iique interea ipsi Ordinationes habuisse, id quod observat etiam Baronius ad *annum* 306. *num.* 61. Tum etiam quod in eodem Chronico Reginae Sveciae utriusque editionis Papebrochii, et Scheltratii Pontifices quinquaginta sex inveniantur Ordinationes celebrasse, reticito prorsus mense, ac tempore earumdem. Edmundus Martene *lib.* 1. *de antiquis Ecclesiae ritibus, cap. 8. art. 4. n. 5.* Anastasium purgare conatus, ait cum, ubi gestas mense tantum Decembri pontificias Ordinationes enarrat, nullatenus negare alias ab iisdem Pontificibus alio tempore gestas per sese, vel per alios Episcopos.

(5) Zephyrinus Papa, saec. III. ab Isidoro mercatore *ep. 2. ad Episc. Aegypti*, et a Gratiano in *can. ordinationes 3. dist. 75.*, rescripsisse fertur, ut ordinationes Presbyterorum, Levitarumque *tempore congruo* solemniter fierent. At epistolae suppositionem detegit tenor ipsius.

*

constat adscribi (1). Ex hoc Leonis testimonio fidissimo patet vetustior Ecclesiae consuetudo quum conferendi sacros Diaconatus, et Sacerdotii Ordines, tum consecrandi Episcopos in cuiusque sabbathi ieiunio, seu tam circa vesperam ipsius sabbathi, quam dominicae subsequentis mane. Dies enim ecclesiastico more a vespera incipiens decurrit ad meridiem sequentem. Hinc intelligere pronum est, cur quolibet die dominico consueverit, ut fit adhuc, Episcopos consecrare matutinis horis ad ieiunii diem sabbathi ecclesiasticum pertinentibus, et quare Ordinationes sacrorum quoque Ordinum infra Episcopatum aut ipso ieiunii die sabbathi cuiusque olim, aut mane cuiuslibet dominicae usque ad Gelasium agerentur.

LXXXV. Gelasius I. declinante saeculo V. imperans proculdubio primus definivit Ordinationes Presbyterorum, et Diaconorum faciendas temporibus ieiuniorum mensis quarti, septimi, et decimi, necnon quadragesimalis initii, et medianae hebdomadae, circa sabbathi vesperam (2). Qui extra ea quatuor tempora ordinare ausus esset, censura suspensionis plectebatur (3). Deinde Alexander III. rescripsit (4) licere unum, aut duos ad minores tantum Ordines promovere Dominicis, aliisque festis diebus : ad Subdiaconatum vero, qui ad sacros, iam Ordines transiverat (5), nonnisi in quatuor ieiuniorum temporibus,

(1) S. Leo *ep. 79.* ad Dioscorum Alexandrinum in *can. quod a patribus 4, et can. quod die dominico 5, dist. 75.* Id etiam tradit Inn. III. in *cap. litteras 13. de temp. ordin.*

(2) Gelas. *epist.* ad Episcopos Lucaniae in *can. ordinationes. 7., et ult. dist. 75.* medianae hebdomadae ieiunio respondet Sabbathum ad Sitientes ante dominicam Passionis quintam Quadragesimae, quae idcirco mediana quoque dominica dicebatur, quia in eiusdem lectionibus commemoratur luna quartadecima, et quintadecima, quae sunt medietas periodi lunariae. Hanc Gelasii legem, uti generalem Episcopi ubique servandam duxerunt. S. Ivo Carnotensis *ep.* 58. a Canonicis Senonensibus rogatus, saec. XI., ut suum ab iis electum ordinaret in festo Purificationis B. M. V. Presbyterum, dein sequenti Dominica Episcopum, renuit, scribens: *Apostolica institutio, et paterni canones habent, ut non fiat levitica, vel sacerdotalis Ordinatio, nisi ieiunio quarti mensis, septimi, aut decimi, aut initio quadragesimae, vel Sabbatho medianae quadragesimae.* Hildebrandus Card. adhuc Diaconus electus die 22. Aprilis 1073. Pontifex, qui Gregorius VII. dictus est, et Innocentius III. ex Diacono item Cardinali electus die 8. Ianuarii 1198., distulisse diu usque ad futura Gelasiani ieiunii sabbatha susceptionem Sacerdotii feruntur a Pagio in *vitis* eorumdem Pontificum, aliisque historicis.

(3) *Cap. 2. de temp. ordinat. in 2. compil.* S. Bonifac. Moguntinus Archiepiscopus saec. VIII. quum urgente necessitate quosdam sacris initiasset extra tempora Gelasiana, veniam a Zacharia Pontifice petiit per epistolam penes Nicolaum Serarium, ab eoque huiusmodi habuit responsum (*ep.* 5. Zachariae ad Bonifac.): *de Ordinatione Presbyterorum, et Diaconorum, urgente necessitate, et paupertate rogantium non legitimis temporibus, et diebus a te promoveri, te offensionem incurrere insinuasti. Dicimus autem tibi, ut bene nosti, quod sacri canones docent aptis temporibus Sacerdotes ordinandos; attamen in eo, quod a te propter zelum fidei actum est, a Domino Deo nostro indulgentiam postulamus.*

(4) Alex. III. in *cap. de eo autem 3. de tempor. ordin.*

(5) Ex supra expositis hoc ipso *tit. num. XXI.*

Sabbatho Sancto ante Pascha, vel Sabbatho ante Dominicam Passionis, Episcoporum nemini licere, praeterquam Romano Pontifici. Ad hocce Sabbathum ab Alexandro heic translatam priscam medianae Quadragesimae ordinationem e Sabbatho ante Dominicam *Laetare* putat P. Lupus (1), eam ob causam, quod tertiam Quadragesimae hebdomadam vetusto more scrutinia baptizandorum occuparent. At quia nullum huiusmodi translationis verbum habet epistola decretalis Alexandri, et mos quovis die baptizandi infantes recenter natos ante Alexandri aevum iamdiu vigens fecerit, ut paucissimi, et fere nulli ex adultis adessent in Ecclesiis praesertim Occidentalibus Baptismum solemne suscepturi die Paschatis, qui hebdomadam Episcopis facerent in Quadragesima negotiosissimam: nulla exinde causa Papae Alexandro fuit excogitandi variationem Sabbathi medianae hebdomadae, quod in prisca etiam disciplina semper incidisse ante Dominicam Passionis iam animadvertimus.

LXXXVI. Defectivas quoque ordinationes, quotiescumque aliquid in omissa vel instrumentorum materia, vel impositione manuum erit supplendum, iisdem statis temporibus fore perficiendas rescripsit Londonensi Archiepiscopo Gregorius IX. (2). Verum S. Congregatio Cardinalium coram Innocentio XII. habita die 1. Augusti 1697. (3), censuit eo in casu *reordinandos sub conditione ad formam Pontificalis non servatis tamen interstitiis, et extra tempora* eos omnes, quos Episcopus Abellinensis chiragra affectus ordinaverat, instrumentis non per semetipsum, sed per Magistrum caeremoniarum traditis.

LXXXVII Ex recitato Alexandri textu orta videtur distinctio inter *generalem*, et *particularem* Ordinationem, dum limitatur Episcopis arbitrium plures quam duos ordinandi in minoribus extra tempora (4). Simul ex eo liquet libertas Romani Pontificis hisce legibus (quemadmodum et ceteris humanis omnibus) ita speciatim soluta, ut nedum Ordines sacros per sese quovis die conferat (5): verum etiam Episcopis indulgeat apostolicam dispensationem eosdem ex aliqua causa nonnullis *extra tempora* conferendi.

LXXXVIII. Ad eliminandos eiusmodi *indultorum extra tempora*

(1) P. Lupus in *scholio ad decret. 3. Leonis IX. resp. ad* 2.

(2) Gregor. IX. in *cap. presbyter. 3. de sacr. non iterand.* iis verbis: *non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad huiusmodi Ordines conferendos caute supplendum*, etc.

(3) Quam refert Rigant. in *cit. Reg. 24; Cancell. §. 1. num. 27. to. 2.*, ex Episcopi Sarnelli *ep. 46. to. 6.*, testantis ab Archiepiscopo Beneventano Card. Ursino, qui mox fuit Benedictus XIII., reordinatos sub conditione vigore istius decreti S. Congr. Subdiaconos 79. Diaconos 64., et Presbyteros 54., ab Episcopo Abellinensi suffraganeo suo defective promotos.

(4) Fagnanus in *comm.* eiusdem *cap. de eo 3. de temp. ord. num. 45.*, putat iis in dioecesibus, ubi dudum consueverint pluribus, quam duobus extra tempora minores Ordines Episcopi conferre, consuetudinem eiusmodi servari posse: in aliis vero parendum pontificiae decretali, quae talem ordinationem aperte ad duos limitat, ut monet Hostiensis *ibidem.*

(5) Plurima eiusmodi pontificiarum extra tempora Ordinationum, et ante, et post Gelasii statutum, videsis apud Hallier *de tempor. Sacr. Ordinat. art. 5.*

abusus S. Congregatio Cardinalium particularis, probante Innocentio XII., X. Novembris, et VII. Decembris 1693. censuit ea fore ex his quinque tantum causis concedenda (1). I. Intuitu beneficii adnexum presbyteralem Ordinem habentis, vel perpetuae Capellaniae, cui possit ordinandus per semetipsum inservire. II. Ob Sacerdotum penuriam in Ecclesia, vel Monasterio. III. Ob solatium patris, vel matris annos L. excedentis, dummodo per triennium in clericatu ordinandus probe vixerit. IV. Referendariis utriusque Signaturae, et Papae familiaribus, Canonicis Cathedralium, vel Collegiatarum, eorumque Coadiutoribus, Magistris etiam, aut Bacchalaureis in sacra Theologia, Doctoribus, aut Licentiatis utriusque, vel saltem Canonici Iuris in publica Universitate, iis itidem, qui triennio saltem Theologiae studiis incubuerint. V. Ætatis annum 26. excedentibus, postquam triennio vitam clericalem ipsi honeste duxerint. E contrario deneganda simul censuit indulta Scriptoribus litterarum apostolicarum, Magistris artium, Nobilibus, aut praesentibus in Romana Curia, iis etiam qui philosophiae cursum absolverint, aut alicui Ecclesiae sine perpetuo beneficio sint adscripti, ut exinde ad titulum famulatus eiusdem Ecclesiae ex apostolica dispensatione ordinentur; quique aliqua dispensatione indigent ad Ordines ob impedimentum suo ex crimine proveniens; item non arctatis aliquo beneficio ecclesiastico, episcopali Sede vacante infra annum. Praeterea censuit ea numquam danda pro festis diebus continuis, sed pro interpolatis aliquo intervallo ad arbitrium Episcopi. Deinde ex eiusdem Congregationis voto encyclicae ad Episcopos omnes, Nuntios etiam, et Legatos apostolicos litterae datae fuerunt, nunciantes ab eodem Pontifice decretum, ne indulta ordinationum extra tempora passim quibuslibet, sed ex certis tantum, legitimisque causis concederentur: hac semper mente, ut Episcopi nunquam sese ad ea exequenda coactos putent, suo semper arbitrio, et oneratae conscientiae dimissa; utque praescriptos ii ipsi in unoquoque indulto limites transgredi non audeant cuiusvis consuetudinis, aut exempli praetextu. Hinc formula adhuc vigens inolevit in Brevibus apostolicis, ut indulgeatur facultas promovendi *extra tempora in tribus Dominicis, vel aliis festivis diebus de praecepto* (2).

LXXXIX. Gregorius XIII. generatim Patribus Societatis Iesu cum indulsisset sacros Ordines extra tempora suscipere (3); idem Innocentius XII. die 17. Augusti declaravit suo eos decreto non comprehendi (4). Idem dicendum de Fratribus Minoribus S. Francisci apud Indos degentibus, quibus generale eiusdem formae indultum concessit Urbanus VIII. (5), idemque Alumnis Collegiorum pontificiorum Viennae in

(1) Apud Rigant. *loc. cit. num. 44.*

(2) Hinc non licere in Sanctorum festis duplicibus non de praecepto, respondit Episcopo Brixiensi S. Congr. die 15. Ian. 1689., apud Rigant. *loc. cit. num. 59.*

(3) Greg. XIII. *const. 77. to. 2. Bullarii.*

(4) Monacell. *to. 2. tit. 13. form. 3. pro ordine presbyteratus num. 31.*

(5) De quo Card. Petra *tom. 5. comm. in constitutiones apostolicas pag. 258.*

Austria, et Pragae in Bohemia, et Illyrici in Civitate Lauretana (1). Tum Clemens VIII. Congregationi S. Ioannis Evangelistae in Lusitania (2). Eodem expresso fruuntur privilegio Regulares infirmis Ministrantes, Patresque Theatini, ex traditis a Rigantio.

XC. De aliis Regularibus, qui vel ante, vel post Concilium Tridentinum obtinuissent vel speciatim, vel per viam communicationis privilegiorum Societatis Iesu, aliorumque, diu, et saepe a Doctoribus disputatum, an Patres Tridentini antiquiora, et Innocentius XII. posteriora isthaec indulta abrogassent (3)? At Benedictus XIII. in Romana Synodo maluit quaestionem dirimere favore Regularium (4). *Quo vero ad Regulares*, ait, *privilegia a summis Pontificibus habentes, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet Ordines suscipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde Regulares eosdem absque novo indulto apostolico tuto posse extra tempora ordinari.* Quoties autem Episcopus non certus, sed dubius sit, an aliqua Regularium familia eo privilegio seu expresso, seu communicato fruatur: ab iis extra tempora ordinandis abstinere debebit (5), quum non omnes illud obtineant.

XCI. Haec temporum lex Ordines tantum sacros obstringit. Nam ex Pontificale Romano (6) *quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemnia diebus Dominicis, et festivis duplicibus, sed mane tantum*: prima autem tonsura quolibet die, et hora, et loco. Festis inquam duplicibus, videlicet iis tantum, quos populus ex praecepto colit ab operibus servilibus vacans, non quos ritu duplici Ecclesia solum concelebrat. In his enim non licere quum minores Ordines, tum sacros ex pontificio extra tempora indulto conferre, S. Congregatio censuit (7).

XCII. Graeci nihilominus, ceterique Orientales priscum tenent adhuc morem suscipiendi Ordines minores, nempe quolibet die intra hebdomadam, in Quadragesima vero solis Sabbathis, seu praesanctificatorum diebus, nec non Dominicis, et Annunciationis B. M. V. festo Dia-

(1) Urb. VIII. in *const. edita die 1. Iunii 1627.*

(2) Corrad. in *praxi dispens. lib. 4. cap. 4. num. 9.*

(3) Videndi sunt Gonzalez. in *cit. cap. de eo num. 7. de temp. ordin.* Passerin. *to. 3. qu. 189. art. 10. insp. 10.*, Frances *var. resol. cap. 3.*, Card. Petra *to. 1. const. Apost. pag. 344. num. 69.*, *et to. 5. pag. 272. num. 31.*, *et seq.*

(4) Conc. Rom. Bened. XIII. anno 1725. *cap. 2. tit. 5. de temp. Ordin.*

(5) Ex iteratis S. Congr. Conc. decretis in Senensi *die 2. Maii 1699.*, et Assisiensi 23. *Ian. 1706.*, apud Rigant. *loc. cit. num. 56.*

(6) Pontif. Roman. in *rubr. de Ordin. conf., et de Minor. Ordin.*

(7) S. Congr. Conc. apud Fagnan. in *cit. cap. de eo 3. de temp. ordin. num. 45.* Cumque Episcopis Hyberniae indultum iamdiu sit largitum conferendi extra tempora Ordines, omissa clausula *de diebus festis*, quae de stylo in hodiernis indultis adiicitur apertior *festis de praecepto:* Clemens XI. die 2. Martii 1712. declaravit illud esse pro diebus festis de praecepto intelligendum, Rigant. *loc. cit. num. 63.* Eodem amplo indulto fruitur Episcopus Viennensis, cui non licere exteros, sed subditos tantum suos extra tempora promovere, S. Congr. Inquisitionis censuit in Vienna. 31. Maii 1708.

conatum, et Presbyteratum (1) : praemisso tamen in sacris Ordinationibus ieiunio ad formam consuetudinis apostolicae traditam a S. Leone M. Enimvero Gelasii, aliorumque Romanorum Pontificum decretales, et constitutiones Ecclesiae Occidentalis quum nullum de contraria Graecorum consuetudine abroganda verbum habeant, eam idcirco potius probasse, quam rescidisse videntur (2). Et speciatim Benedictus XIV. in constitutione de dogmatibus, et ritibus ab Italo-Graecis tenendis, atque servandis (3) sanxit, ut *Episcopi Graeci in Ordinibus conferendis ritum proprium Graecum in euchologio descriptum servent.*

XCIII. Interstitia quoque temporum esse in singulis Ordinibus qua minoribus, qua sacris observanda sanxerunt canones quum antiqui apud Gratianum (4), tum recentiores. Quum Alexander III. primum censuisset Episcopis licitum esse *Dominicis, et aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores Ordines promovere* (5) : fecit, ut istos uno die Ordines, posthabita interstitiorum disciplina vetustiori, conferre dein consuescerent Episcopi. Tum Coelestinus III. de quodam, qui *iuxta consuetudinem patriae quatuor minores Ordines* uno die susceperat, et praeterea Subdiaconatum, rescripsit, *ut eum in minoribus tantum Ordinibus celebrare* suus permitteret Episcopus (6). At in sacris Ordinibus interstitia violari passi numquam sunt Romani Pontifices. Innocentius III. censura suspensionis animadvertit in Bononiensem Episcopum, qui electum Imolensem ordinavit Sabbathi vespera Diaconum, et sequenti die Dominico Presbyterum continuato licet ieiunio, et hunc ab executione sacerdotalis officii suspensum quoque declaravit (7). Eademque poena coercuit Episcopum Trecensem, qui uno, eodemque die ad tres sacros Ordines electum Humiliensem, mandante quamvis Metropolitano promoverat : simul declaravit nullibi permissam Archiepiscopo dispensationem huiusmodi (8). Haec enim summo vix Pontifici reservatur (9).

(1) Ex Euchologio id tradit Iuvenin *de Sacr. Ord. diss. 8. qu. 8. cap. 2. concl. 2.*, quem laudat Rigant. *loc. cit. n. 28.*, tum Bened. XIV. *const. 57. to. 1.* Bullarii.

(2) Eo vel maxime, quod ritus omnes, et consuetudines Graecorum non fidem, sed disciplinam spectantes fore nil innovandos iussit suorum praedecessorum exempla secutus Benedictus XIV. *const. demandatam 87. to. 1.* Bullarii, et *const. allatae 47. to. 4.* Bullarii.

(3) Idem in *const. etsi pastoralis 57. §. 7. de Sacr. Ord. num. 6.*

(4) Gratianus *dist. 77. can. 1.* apocrypham Gaii epistolam ad Felicem Episcopum obtrudit de promovendis per distinctos gradus ad Sacerdotium. Dein genuinas Zosimi ad Isychium *can. 2.*, et Syricii ad Hymerium Tarraconensem *can. 3.* Binis hisce Pontificum epistolis constitutum, ut plures annos in singulis quisque Ordinibus exercendis antea versetur laudabiliter ad Sacerdotium tendens.

(5) Alex. III. in *cap. de eo 3. de temp. ordin.*, de quo paullo superius *n. 85.*

(6) Coelestin. III. in *cap. cum II. 2. de eo, qui furtive Ordinem suscepit.* Ubi Glossa verb. *minores* ait : *Hic habes expressum, quod omnes minores Ordines una die conferri possunt.* At in textu considerantur verba *uno die.*

(7) Inn. III. in *cap. litteras 13. de temp. ordinat.*

(8) Idem in *cap. dilectus 15. eod. tit.*

(9) Clemens VI., instante Philippo Galliarum Rege anno 1350 Humbertum

XCIV. Tandem synodus Tridentina decrevit, ut *minores Ordines per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur... atque ita de gradu in gradum ascendant... hi vero, nonnisi post annum a susceptione minorum Ordinum ad sacros Ordines promoveantur, nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas iudicio Episcopi aliud exposcat... Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri Ordines non eodem die etiam Regularibus conferantur, privilegiis, ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscumque* (1).

XCV. In utraque tum Latina, tum Graeca Ecclesia locum habet lex interstitiorum: eaque lege Italo Graecos, seu Albanenses in Italia, Insulisque adiacentibus commorantes proculdubio teneri docet Benedictus XIV. (2). Ipse nihilominus generatim indulget Italo-graecis Episcopis, aut Romae, aut in Calabria degentibus, ut Graecos huiusmodi, seu Albanenses, qui e longinquis regionibus huc pro suscipiendis Ordinibus adeunt, ad omnes Ordines quum minores, tum maiores promovere valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo Ordinantis arbitrio dissitis, non servata interstitiorum lege, et absque Ordinariorum Latinorum dispensatione. At non eos Italo-graecos, qui domicilium habeant in Provincia, ubi Graecus Episcopus sacras celebret Ordinationes, quique idcirco sine gravi incommodo possunt ad Ordinatorem per intervalla temporum accedere. Praeterea indulsit arbitrio Cardinalis Administratoris, et Protectoris Romani Graecorum Collegii, necnon Episcopi Praesidentis, seu Rectoris, tum Collegii Italo-Albanensium in Calabria, tum alterius in Sicilia, si eorumdem Collegiorum utilitas, vel necessitas postulaverit, ut eorumdem Alumni, et Convictores tribus diebus festivis, non tamen continuis ad Ordines promoveantur.

XCVI. Dispensandi super interstitiis arbitrium Episcopo Dioecesano quum reservaverit recitata constitutio Tridentina: consequitur suo Episcopum subdito nunc posse intra annum sacros etiam tres Ordines indulgere, dummodo singuli statis ieiuniorum Sabbathis, quamvis mo-

Delphinum ipsius Regis filium festo Nativitatis Domini Subdiaconum in prima noctis Missa, Diaconum in altera Missa Aurorae, Presbyterum in meridiana rite ordinavit, post dies octo consecravit Episcopum, et Patriarcham Antiochenum, ex traditis ab Henrico Monacho in suis annal. ad ann. 1342, P. Lupo *to. 4.* in *decr. 3.* Leonis IX. Tum ex indulto Alexandri VI. Card. Alexandrinus uno eodemque die 26. Martii 1593. Minores Ordines, Subdiaconatum, et Diaconatum contulit Cardinalibus Valentino, et Ioanni Borgiae ipsius Papae nepotibus, Brocard. in diar. ms., et Dom. Macri *in hierolexic. verb. Ordo.* Et Greg. XI. Patribus Dominicanis ad Armenos Missionariis indultum largitus conferendi uno die minores, sacrosque Ordines Armenis ipsis, fertur a Raynaldo *ad annum 1374.*

(1) Trid. *sess. 23. de reform. cap. 11., et 13.*

(2) Bened. XIV. *const. etsi pastoralis 57. tom. 1. Bull. §. 7. num. 16., et 17.*

dico interstitio seiunctis conferantur, necnon quatuor omnes minores Ordines uno die, vel eorumdem Sabbathorum, vel quolibet festo de praecepto. At non licet Episcopo quempiam ad minores Ordines, et Subdiaconatum uno, eodemque die promovere, ex memorata decretali Coelestini III. (1), quae firmata potius videtur, quam abrogata a Patribus Tridentinis, dum interstitium anni a postremo minorum Ordinum ad Subdiaconatum statuunt. Sunt qui putant ex consuetudine posse licitam fieri uno die cum Subdiaconatu collationem minorum Ordinum (2). Sed ita refellunt alii rectius improbam eiusmodi consuetudinem, ut suspensos ab Ordinibus, mox etiam irregulares iudicent Subdiaconos contra ius commune male promotos ad minores Ordines, et Subdiaconatum eadem die (3). Nec primam tonsuram una cum minoribus quatuor Ordinibus uno die accipere cuidam neapolitano licuisse censuit S. Congregatio Concilii in Neapolitana anno 1612. (4): quia suo ab Archiepiscopo dispensationem interstitii non obtinuerat. Si porro lex Tridentina duos uno die sacros Ordines tantummodo vetat Episcopis dare: ipsorum arbitrio remisisse tam minorum Ordinum, quam primae tonsurae continuatam uno die collationem probe iudicatur (5).

XCVII. Quo Episcopi arbitrio in dispensandis interstitiis, potiuntur idipsum vacante Sede obtinet Vicarius Capitularis, probo iure suo indulgens post annum, vel ex apostolico indulto extra tempora, litterisque S Congregationis intra annum dimissorias ad Ordines cum dispensatione interstitiorum sibi arbitraria (6). At generali Vicario Epi-

(1) Coelest. III. *cap. cum H. 2. de eo, qui furt. ord. susc.*, de quo supra dixi *n. XLIII.*

(2) Apud Fagnanum *in cap. 2. de eo, qui furt. Ord. susc. num. 42.*, qui id S. Congregationem Concilii sensisse tradit. Suarez *de censuris disp. 31. sect. 1. num. 41.* decretum S. Congr. refert huiusmodi: *Qui ex consuetudine illius regionis quatuor minores Ordines, et subdiaconatum eadem die susceperunt, non sunt suspensi.* Idem ab ea responsum in una Ravellensi die 12. Nov. 1650., fert Pignatellus *to. 1. cons. 319.*

(3) Post Hostiensem, Io. Andraeam, Butrium, Soccinum, Fagnanum in *comm. ad cit. cap. de eo 3. de temp. Ordinat.* hanc sententiam stylo Poeni. tentiariae innixam tenet Card. Petra *to. 5. in Const. Apost. pag. 266. num. 45.*, et Rigant. *loc. cit. num. 90., et seqq.* S. Cong. Conc. *die 7. Maii 707. in Bovensi*, quum tres clerici Bovenses, obtento ab Apostolica Sede indulto suscipiendi uno die festo minores Ordines, sacrosque tres totidem diebus festis extra tempora, accepissent une die simul minores quatuor, et subdiaconatum rogata censuit Ordinatis dandam fore absolutionem, praevia salutari poenitentia arbitrio Episcopi vicinioris, Episcopum ordinatorem acriter monendum, *Rigant. ibidem n. 101.*

(4) S. Congr. in Neap. an. 1612. suspensionem incurrisse die uno clericali Tonsura, Ordinibusque minoribus initiatum, *et Episcopum, qui illum ordinavit, coarguendum, ac plectendum esse, ac propterea expedire, ut quis ille fuerit, Congregationi innotesceret*, respondit apud de Magistris in *sylv. eccles. to. 2. lib. 1. cap. 3. num. 4.*, Rigant. *loc. cit. num. 82.*

(5) Hanc sententiam tenet cum aliis Paulutius *to. 2. Iurispr. sacr. lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 6.*

(6) Rigant. in *cit. Reg. 24. Conc. §. 3. num. 236.*

scopi sine mandato speciali nulla est potestas in dispensationibus eius modi (1).

§. VI. *De impedimentis et irregularitatibus.*

XCVIII. Episcopum oportere *sine crimine esse*, *et irreprehensibilem* (2). Diaconos itidem *nullum crimen habentes* (3), binis iam litteris Apostolus imperat. Cuiuscumque inde criminis infamia olim erat impedimento, ne quis ad clericalem transiret Ordinem (4). Poenitentes quoque fore ab infimis clericorum ordinibus excludendos, canonicam regulam secuti (5). Nicoeni patres censuerunt (6). Ordinatos autem Clericos, qui aliquo post crimine irretirentur, deponendos in iudicio, et extra Cleri consortium abiiciendos, prisci et canones, et mores sanxerunt; nec fere indulgebant eos per poenitentiam purgatos ad sacra ministeria regredi (7), eoque minus ad superiores gradus ascendere (8), nisi quam rarissime per legitimam, ex necessitate dispen-

(1) Idem *loc. cit.*

(2) Ad Titum *cap. 1. vers. 7.*, *et ep. 1.* ad Timoth. *cap. 3. vers. 2.* Ad Episcopatum impedimenta videsis *lib. 1. tit. XIX. num. XXII.*

(3) Eadem *ep. 1.* ad Tim. *cap. 3. vers. 10.*

(4) *Can. 60.* vulgo Apost. haec habet: *Si accusatio contra fidelem instituatur de fornicatione, aut adulterio, aut quacumque alia actione prohibita, et convictus fuerit, in Clerum non perducitur.* Huc spectat epistola Pelagii ad Florent. Episc. in *can. fraternitatis 7. dist. 34.*, quam diserte edisserit calamo Car. Blascus *to. 1. opusc.*

(5) Origenes *lib. contra Celsum* tradit lapsos fideles, qui resipuissent, in gratiam communionis per poenitentiam recipi consuevisse, *ea tamen conditione, ut quoniam lapsi sunt, excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus, et magistratibus ecclesiasticis.*

(6) Nicoen. Syn. *can.* 9. *Si qui presbyteri sine examine sunt provecti, peccata sua confessi sunt, et homines contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit; quia quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia.* Tum de lapsis ad ordinem Cleri promotis per ignorantiam, vel dissimulationem ordinantium statuit id ecclesiasticae non praeiudicare regulae: *cogniti namque deponuntur*, ait in sequenti *can. 10.* Tum Syn. Carthag. IV. ex *poenitentibus*, inquit, quamvis sit bonus Clericus non ordinetur, *can. ex poenitentibus 55. dist. 50.* Idem firmat Syricius Papa in sequenti *can. quicumque poenitens 56.*, Hormisda in *can. si ille 58.*, Gelasius in *can. non confidat 59.*, Innocentius in *can. canones apud Nicoeam 60. eod. dist. 50.*

(7) Disciplinam eiusmodi patefaciunt canones vulgo Apostolorum, 6., 7., 19., 22., 24., 26., 27., 35., 41., 43., 46., 54., ad 64., 67., 69., 80. Simul Nicaena synodus *can. 17.*, clericos ob usurae crimen deiiciendos a Clero, ut alienos a regula sanxit. Tum syn. Carth. V. *in can. confirmandum est 65. dist. 50.*, et plurimae Synodorum constitutiones, epistolaeque Romanorum Pontificum, praesertim 67. Gregorii, Martini, et Ioannis VIII. a Gratiano collectae *dist. 50. can. 1. ad 12.*

(8) *Ex can. hi, qui 52. eod. dist. 50.*, ubi hoc statutum in syn. Ilerdensi: *maneat in potestate Pontificis, vel veraciter afflictos non diu suspendere... ita tamen ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri.*

sationem (1). Posse enimvero lapsos post dignam poenitentiam quandoque vel Clero adscribi, vel suo in gradu permanere, vel ad ulteriores etiam provehi, senserunt sancti Hieronymus, et Augustinus, Gregorius Magnus, et synodus Agathensis (2). Verum in criminibus occultis tantum, secus in manifestis id indulgeri consuetum tradunt Nicolaus I. (3), tum saeculo nono Rabanus Archiepiscopus (4). Corporis autem vitia, et defectus nihili habebantur primis Ecclesiae saeculis (5).

XCIX. Nova, quae viget, disciplina pontificiis decretalibus, et constitutionibus, Conciliorumque generalium decretis firmata nedum reos *criminum* aliquot graviorum, sed etiam corporis, animive *defectibus* enormibus, quamvis citra culpam, et innoxie deformatos ab Ordinibus, eorumque ministerio ita repellit, habetque *irregulares*, perpetuo nempe impeditos, ut eos nunquam liceat absque Sedis Apostolicae dispensatione ad Ordines promoveri, aut in susceptis ministrare (6).

C. Episcopali autem arbitrio, et conscientiae Dioecesanorum vix datur alia ex minoribus criminibus (7), aut corporeis parvis defectibus

(1) S. Hieronymus, *reverti in pristinum gradum* (ait) *post lapsum difficile est*, *can. quicumque 3o. dist. 5o.*

(2) Apud Gratianum *can.* 13., *ad* 24. *dist. 5o.*

(3) Nic. I. in *can. sacerdotes 33. dist. 5o.*

(4) Rabanus in *can. de his vero 34. ead. dist. 5o.* Cuiusmodi distinctionem a Gratiano vulgatam post *can. presbyteros 32. eadem dist. 5o.*, amplexi deinde sunt recentiores canones, praesertim Alex. III. in *cap. ex tenore 4.*, *et* Lucius III. in *cap. ad aures 5. de temp. ordin.*, quos in speciem pugnantes scite conciliat *cit.* Blascus *diatriba 1.*

(5) *Ex can. 76.* vulgo Apostolor. *Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, et dignus sit, Episcopus efficitor: non enim mutilatio corporis ipsum polluit, sed inquinatio animae.* Tum *sequ. can. 77. Qui vero mutus, surdusve, et coecus est, Episcopus non efficitor: non quia oblaeso corpore est, sed ne ecclesiastica impediantur munera.*

(6) Saeculo XI. reservatam Summo Pontifici dispensationem, ut criminosi post poenitentiam ex urgenti Ecclesiae necessitate Ordines ecclesiasticos possent vel suscipere, vel exercere in casibus quum publicis, tum occultis, utque Dioecesanis Episcopis dispensandi facultatem delegaret, indicat epistola Urbani II. in *coll. Labb. De Presbyteris*, ait, *Diaconis, et Subdiaconis, qui post acceptum ordinem in aliquod crimen lapsi fuerunt sive palam, sive clam, constat quidem secundum canonum censuram ab ecclesiasticis eos officiis inhiberi: tuae tamen prudentiae, discretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiae nota non fuerint aspersi, necessitate Ecclesiae urgente, et ipsorum sancta conversatione promerente, in suis gradibus recuperari debeant: hoc autem secundum indulgentiam dico, non secundum imperium.* Consonant eiusdem Urbani II. rescripta in *can. praesentium 3. C. 1. qu. 5.*, *can. 4.*, *et 5. C. 9. qu. 1.*, *et can. clerico 37. dist. 5o.* Sequenti saec. IX. Innocentius II. in *can. qui vult 1. de poen. dist. 6. Etsi*, ait, *saepe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non est tamen necesse, ut hoc omnibus concedatur. Itaque pontifex iustus, atque discretus non cogitur sacerdotes suos semper abiicere, nec mox restituere, nisi statutum fuerit a Romano Pontifice.*

(7) Ex duello si mors, vel mutilatio non sequuta sit, clericus irregularis dispensationem ab Episcopo obtinet, ex Alex. III. in *cap. 1. de cleric. pugnant. in duello.*

obvenientia impedimenta, quantumvis publica expendere cum facultate dispensandi, nec non quaelibet occulta crimina solvere, praeterquam homicidium voluntarium. *Liceat Episcopis*, ait Synodus Tridentina (1), *in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari: idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis sit permissum.*

Cl. Itaque *irregularitatum*, quae nunc vigent ex crimine obvenientes, prima est *homicidium voluntarium, et mutilatio* hominis *culpata* (2). Qualibet quis opera illicita, sive facto, sive consilio, aut mandato, sive auxilio, et societate particeps fuerit homicidii, aut mutilationis, irregularis fit (3). Simul mandans aliquem non occidi, nec mutilari, sed verberari tantum, ubi mandatarius fines mandati excedens illum necaverit, vel mutilaverit (4). Qui causam dederit abortui foetus vivificati ex Innocentii III. sententia (5). Insuper dans veneficia

(1) Trid. *sess. 24. de reform. cap. 6.*

(2) Ex Ioannis VIII. *ep.* in *can. miror 4. dist. 50.*, pluribusque aliis sequentibus canonibus *ibidem*, et toto *tit.* Decretalium *de homicid. volunt. vel casuali.* Ex divino id Iure profluit. Dominus enim Davidi iussit Paralipom. *cap. 28. vers. 3: Non aedificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, et sanguinem fundens.* Canones vulgo Apostol. hinc militiae vacantes, et percussores in rixa ab Ordinibus eliminat, *can. 64., et 82.*

(3) Ex Conc. Martini Papae in *can. si quis 44. dist. 50.*, et decretalibus Alexandri III. in *cap. sicut dignum 6*, *cap. suscepimus 10.*, *et cap. de cetero 11. de homicidio*, Innocentii III. *in cap. significasti 18.*, Honorii III. in *cap. petito 24. eod. tit.* et Coelestin. III. in *cap. Henricus 2. de cleric. pugnant. in duello.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. is, qui mandat 3., et ult. de homicidio in VI.*

(5). Inn. III. *cap. sicut 20. de homicidio.* Xystus V. in *const. effroenatam die 16. Novembris* 1588. plane quoslibet reos participes abortus, foetusve immaturi tam animati, quam inanimis, formati, vel informis maluit poenas homicidarum omnes incurrere ipso facto, etiam irregularitatem, quam Sedi tantum Apostolicae reservavit in casibus etiam occultis, et anno quoque iubilaei, secutus ea in re S. Basilium *epist.* ad Amphilochium haec scribentem: *quae de industria*, ait, *foetum corrumpit, homicidii poenam luet. Formati autem, vel informis subtilitas a nobis non attenditur.* At xystinam constitutionem Gregorius XIV. ad normam Iuris communis, et Concilii Tridentini reduxit sua *const.*, quae incipit *Sedes Apostolica pia mater*, restituens Episcopis, eorumque delegatis Confessariis in foro conscientiae, casibusque occultis facultatem absolvendi a peccato, et censura abortus animati; et reformans acerbiores poenas a Xysto inflictas pro abortu foetus inanimis, et veneno sterilitatis. Eamdem distinctionem foetus inanimis abortivi, vel formati probarunt SS. Hieron., et August. *can. 8., 9, et 10. C. 32. q. 2.* ex mosayca traditione. At vulgatus Bibliorum textus, Exodi *cap. 21. vers. 22.*, in percussione mulieris praegnantis ob secutam inde, nec ne mulieris mortem diversa dum poena plectit, nullum de inanimi vel animato abortivo verbum habet.

et medicamina sterilitatis (1). Quique sine dolo chirurgica manu, quamvis peritus, et diligens pietatis etiam causa aliquem interfecerit (2), vel infaustis medicinis (3), vel in bello etiam iustissimo contra hostes fidei (4), vel in iudicio per capitis sententiam, utcumque legitimam (5); aut per quamlibet gestam in iudicio capitali partem notarii, assessoris, patroni, vel testis (6), aut consilio, et suggestione (7), vel quovis alio casu, etiam fortuito et involuntario, quotiescumque dederit Clericus operam rei illicitae, sibique sacris canonibus vetitae (8), aut in re licita diligentiam, quam debebat more prudentium adhibere, non adhibuerit (9).

CII. At si quando sine ulla omnino culpa contigerit homicidium, puta vel *necessarium* iniusti aggressoris (10), aut nocturni latronis cum moderamine inculpatae tutelae (11), vel *fortuitum* ab eo, qui operam dederit rei licitae, omnemque in ea diligentiam adhibuerit (12), qui ex. gr. pulsat suo ex munere tintinnabulum, et malleo exin decidente

(1) Syn. Guarmac. in *cap. si aliquis 5. de homic.*

(2) Innoc. III. in *cap. tua nos 19. de homicidio*, et cap. *sententiam 9. ne clerici, vel monachi.*

(3) S. Ambrosius in *can. contraria studiose* 21. de consecrat. dist. 5. Quia inter negotia saecularia computatur ars medica *clericis interdicta* ab Inn. III. in *cap. clerici officia, vel commercia saecularia n.* 15. *de vit., et honest. cleric.*

(4) Syricius in *can. quicumque 56. dist. 50.*, Syn. Herdens. in *can. de his 36. ead. dist.* Honor. III. in *cap. petitio 24. eod. tit.* Stephan. V. *in can. quia te 38. dist. 50, et can. 82.* vulgo Apostolor.

(5) Alex. III. in *cap. clerici 5. ne clerici, vel monachi*, et Innoc. III. in *cap. sententiam sanguinis 9. eod. tit.*

(6) Innoc. I. in *can. aliquantos* 1. *dist.* 51, *et cit. cap. sententiam.*

(7) Alex. III. in *cap. sicut dignum 6. §. qui vero de homicid.*

(8) Urb. II. in *can. clerico iaciente lapidem 37. dist. 50.*, Alexand. III. in *cap. continebatur 8., et cap. suscepimus* 10. *de homicid.* Bonifacius VIII., *non est*, ait, *sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet, cap. non est* 19. *de reg. iur. in VI.*

(9) Alex. III. in *cap. continebatur 8.*, et Clem. III. in *cap. ad audientiam* 12. *eod. tit.* Nicolaus I. in *can. studeat 39, et can. hi, qui arbores 49. dist. 50.*, ceteri *ibidem.*

(10) Concilium Vienn. in *cap. un. eod. tit.* in Clementinis. Moderamen inculpatae defensionis haec omnia simul requirit, ut percussio iniusti aggressoris fiat 1, in eo ipso aggressionis instantis periculo. 2, cum aequalibus, quoad fieri potest, armis. 3, absque animo ulciscendi. Igitur e contrario culpata, et noxia erit occisio aggressoris 1, si quis ex. gr. lictorem iussu magistratus competentis aggredientem mancipare vinculis personam suam, vel iniuria tunc abs se provocatum in rixa, vel legitimum bannitus sui persecutorem percusserit. 2, Si baculum habens eum, qui baculo ad aggrediendum surrexerit, gladio transfigere maluerit: nisi vires inaequales id postulaverint. 3, Qui iugientem inflicto vulnere aggressorem nullo amplius urgente discrimine vitae necaverit ad ulciscendum, aut potens fuga, vel clausura ianuae periculum venientis aggressoris evadere, maluit eum armis praecinctus expectare.

(11) S. Aug. *in cap. si perfodiens 3. eod tit.*

(12) Alex. III. *in cap. lator. 9.*, et Innoc. III. *in cap. dilectus* 13., et cap. *ex litteris 14. de homicidio.*

caput alicuius percutiat (1) : nulla tunc irregularitas contrahitur. Quemadmodum nec in occisione prorsus *involuntaria*, quae a furioso, vel infante fiat (2). Quoties enim culpa penitus abest, toties poena debet etiam irregularitatis procul abesse (3). Locum id habere in eo, qui vim patri illatam repellit necessaria aggressoris occisione, censuit sacra Congregatio Concilii (4). Idipsum eadem ratione puto iudicandum quotiescumque inermis filii, fratris, socii salus a discrimine mortis imminentis opportuna invasoris nece redimatur (5). Idem de iis probe iudicatur, qui ad suam, vel Ecclesiae suae iniuriam propulsandam reos capitalium criminum in foro laico accusaverint, protestando sese ad poenam sanguinis non agere, quamvis haec postea iure infligatur (6), vel indicia eiusmodi criminum simul detexerint (7). At poenam sanguinis vel expresse, vel tacite, omissa ea protestatione, postulans, particeps fit iudicio sanguinis : *non quia iniqua est ultio*, ait S. Augustinus (8), *quam lex statuit, sed quia vitiosa est libido ulciscendi, magisque ad iudicem pertinet hoc inter homines decernere, quam bonum hominem sibi expetere.*

CIII. Quoniam vero in homicidiis eiusmodi necessariis, aut fortuitis, aut involuntariis solet ferme semper dubitari, num aliqua interciderit culpa, quantumvis minima, an scilicet quis excesserit moderamen inculpatae tutelae, ubi vel usus sit armis inaequalibus, vel tuto valuerit absque nece aggressorem repellere, aut fuga vitare, aut ipse causam aggressioni, et conflictui dederit, an rei licitae, necne in fortuitis occisionibus operam dederit, aut omni prudentis viri diligentia, et praecautione usus fuerit, an demum in aliis non voluntariis caedibus aliquis animi advertentis consensus adfuerit in furioso, vel puero, aut somnus vitiosa ebrietate occisorem occupaverit : necessaria idcirco est in hisce casibus dispensatio Sedis Apostolicae ex tridentino decreto (9). *Si vero* (verba sunt decreti) *non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum nar-*

(1) Inn. III. in *cap. ex litteris* 15., et Gregor. IX. in *cap. quidem 25.*, *et ult. eod tit.*

(2) *Cit.* Clementina *un. de homicidio.*

(3) Honor. III. in *cap. exhibita* 22. *eod. tit.* Bonif. VIII. in *cap.* 23. *de reg. iur. in VI. sine culpa*, ait, *non est aliquis puniendus.*

(4) S. Congr. Conc. an. 1599. apud. Gallemart. in *declarat. ad cap 7. sess.* 24.

(5) Exemplo Moysis, a quo Ægyptius Hebraeo necem etiam inferens, probe occisus est, Exodi, *cap.* 2. *vers.* 12. Hinc S. Ambrosius *lib.* 1. *de offic. cap.* 36. *Qui non repellit iniuriam*, inquit, *a socio, cum potest, tam est in vitio, quam qui facit.* Consonat S. Thomas 2. 2. *qu.* 60. *art.* 6. *resp. ad* 2.

(6) Bonif. VIII. in *cap. Praelatis* 2. *de homicid. in VI.*

(7) Ex Concordatis *cap.* 2. *num.* 25., et Alex. III. in *cap. tua nos.* 16. §. *un. de hom.* Quandoquidem S. Augustinus in *can. Maximianus* 2. *C.* 23., *qu.* 3. laudandum potius, quam culpandum censuit Episcopum Maximianum, qui petiit auxilium ab Imperatore Christiano contra hostes Ecclesiae suae non tam sui ulciscendi causa, quam tuendae Ecclesiae sibi creditae.

(8) S. Aug. in *can. sex differentiae* 1. *C.* 23. *qu.* 3.

(9) Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 7.

retur ; quam ob causam etiam ad sacrorum Ordinum, et altaris ministerium, et beneficia quaecumque, ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur : committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui, nonnisi causa cognita, et probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

CIV. Cetera irregularitatem inducentia crimina sunt ea generatim omnia, quibus adnexa ipso iure, ipsoque facto sit aliqua censura excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, puta haeresis, schisma, apostasia, simonia, violatio ecclesiasticae immunitatis, cetera libro IV. singulatim edisserenda inferius. Gestas ab excommunicatis ordinationes irritas fore sancti Damasus, et Gregorius M. rescripserunt (1). Id quoque statuit Urbanus II. (2). Nicoena synodus a fide lapsos ab Episcopis ignoranter ordinatos fore postmodum, re comperta, deponendos sanxit : sed indulsit urgente necessitate post poenitentiam tolerandos pro iis, qui essent non simoniace ordinati, quique damnatos ignoraverint ordinantes (3). Edixit Innocentius III. obnoxios excommunicationi Pontifici reservatae ob violentas manus in Clericum iniectas, qui ecclesiasticos Ordines accipere scienter non formidant, perpetuo deponendos : alios ignorantia vel facti, vel Iuris excusandos Clericos seculares a Papa, religiosos a Praelato suo debere dispensationem postulare (4). Vicissim excommunicati, suspensi, interdicti, depositi Clerici, ubi semel ministrare in sacris attentaverint, evadunt irregulares (5). Quique a Papa excommunicatos in officiis divinis recipiunt, eadem reservata censura involvuntur (6). Clerici minorum Ordinum suas horum functiones in censurae statu exercentes, an fiant irregulares, quaestio est (7).

(1) Damasus in *can. per illicitam manus impositionem* 2., et Gregor. in *can. nos consecrationem 1. C. IX. qu.* 1.

(2) Urban. II. in Placentina Synodo in *can.* 4., et 5. *ead. C.*, *et qu.* Greg. IX. in *cap. cum clericis* 2., *et ult. de ordinatis ab Episc. qui renunc.*

(3) Nicoena syn. in *can.* 5. *dist.* 81.

(4) Inn. III. in *cap. cum illorum* 32. *de sent. exc.*

(5) Ex pluribus antiquis canonibus, novisque decretalibus in *tit.* Decretal. *de clerico excomm. depos., vel interd. ministrante.* Innocentius III. in *cap. veritatis 8. de dolo*, *et contumacia* Curiensem Episcopum, qui post excommunicationem in se ab apostolicis iudicibus latam celebrare praesumpserat, perpetua depositione ab episcopali, et sacerdotali officio sine spe restitutionis damnavit. Gregorius IX. in *cap. tanta est* 18., *et ult. de excess. Praelat.*, ut non servans interdicti sententias Episcopus, ab officio, et beneficio, omnique iurisdictione suspendatur, rescripsit Archiepiscopo Bracharensi. Innocentius IV. in conc. Lugdun. suspensos divina officia exequendo irregularitatem non effugere declaravit iuxta canonicas sanctiones, nonnisi a Summo Pontifice dispensandam, *cap. cum medicinalis* 1. *de sent. excomm. in VI*, *et cap. cum aeterni* 1. *de sent.*, *et re iudic. in VI.* Tum Bonifacius VIII. eum, qui scienter vel in Ecclesia interdicta, vel interdictus ipse divina celebravit, irregularem fieri quoque censuit, *cap. is*, *qui* 18. §. *is vero*, *et cap. is*, *qui* 20. *de sent.*, *excom. in VI.*

(6) Clemens III. in *cap. significavit* 18. *de sent. excomm.*

(7) Multi negant cum Navarra, alii rectius affirmant cum Fagnan. in *cap.*

CV. At minoris excommunicationis violatorem non irregularem fieri decrevit Gregorius IX. (1), nec celebrantem in Ecclesia per sanguinem, vel seminis effusionem improbam polluta (2). Quemadmodum nec illos, qui divina celebraverint bona fide, probabili nempe ignorantia, nescientes censura se innodatos (3) : crassa vero, et supina ignorantia excusat neminem, obligatque ad impetrandam dispensationem (4).

CVI. Consequitur ex hisce canonibus, quod crimina censuris non latae, sed ferendae tantum sententiae obnoxia irregularem faciant fere neminem, quotiescumque gravis infamia vel facti, vel Iuris ex iisdem non emergat. Quae porro infamiam irrogant iure etiam civili crimina capitalia, ea et irregularitatem in Ecclesia secundum canones pariunt (5). Qualia sunt laesae maiestatis (6), quum divinae, tum humanae, periurium manifestum (7), falsitas (8), raptus invitae mulieris (9), lenocinium (10), sodomia (11), pugna publica cum feris mercenaria (12), histrionia item mercenaria (13), et generatim omnia, quae damnationem in iudicio publico iam intulerunt (14). Cum laici, quorum

si quis presbyter, aut alius clericus 2. *de cleric. excom. ministr.* ex Xysti V. *const. sanctum* 91., qui primae tonsurae male initiatis, et suspensis etiam vetat exercitium sui ministerii sub poena irregularitatis. Benedictus XIV. in *const. inter praeteritos* 21. *de quaest. circa opera iubilaei* §. 4. *to.* 3. Bullarii, hanc Fagnani sententiam stylo S. Poenitentiariae, et Congr. Conc. comprobatam admonet. Ipse tamen Fagnanus id limitat ad peculiares clericorum functiones ratione ordinis, non ad aliud laicis etiam commune ministerium cantandi, ex. gr. psalmos, et responsoria.

(1) Greg. IV. in *cap. si celebrat* 10., *et ult. de cler. excom., vel dep. ministr.*

(2) Clementina 1. *de sent. excomm.*

(3) Greg. IX. in *cap. apostolicae* 9. *de cler. exc., vel dep. min.*

(4) Inn. III. in *cit. cap. cum illorum* 32. *de sent. excom.*

(5) Ex *can.* 25. vulgo Apost. in *can. presbyter* 12., *et can. si quis* 13. *dist.* 81., et Synodo Aurelian. I. in *can. si Diaconus* 14. *ead. dist.* Syn. Agathens. in *can.* 7. *dist.* 50., et Hadrianus Papa in *can. omnes vero* 2. *C. VI. qu.* 1. Edictum praetorium in *l.* 1. *D. de his, qui notantur infamia*, infames habet, qui in iudicio publico calumniae, praevaricationisque causa : vel furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, et fraude damnatus erit.

(6) Ex *l. quisquis*, 5. *C. ad legem Iuliam maiestatis*, *can.* 83. vulgo Apost., et *cap. felicis* 5. *de poenis in VI.*, ibi : *sicut reus criminis laesae maiestatis perpetuo sit infamis.*

(7) *L. Lucius* 21. *de his, qui notantur infamia*, *et cap. testimonium* 54. *de testib., et attest.*

(8) *C. ad audientiam* 3., *et c. dura* 4. *de crimine falsi.*

(9) Trid. *sess.* 24. *de reform. matr. cap.* 6.

(10) Iulian. in *l.* 1, et Ulp. in *l. athletas* 4. §. 1. *De his, qui not. infamia.*

(11) *L. cum vir nubit* 31. *C. ad leg. Iul. de adulter. Can. flagitia* 7. *C.* 32. *qu.* 13.

(12) *Can. infames* 2. *C.* 3. *qu.* 7.

(13) Ait Praetor : *Qui in scenam prodierit, infamis est*, ex Ulp. in *l. quod ait* 2. *in fin. D. de his, qui not. infam.*

(14) Quae Iulianus enumerat in *l. Praetoris* 1. *D. de his, qui notant. inf. can. infames* 2. *C.* 3. *qu.* 7.

opinio in nullo vacillet, non prohibeantur ad clericatus sortem assumi ab Innocentio I. (1): infamia e contrario vacillantes arcentur. Coelestinus I. quemdam Danielem, qui multis gravatus testimoniis, multisque facinoribus accusatus episcopalem ordinem susceperat, simul et ordinatorem eius perpetuam dignitatis, et officii amissionem incurisse rescripsit (2). B. Gregorius M. *valde grave est*, ait, *ut vir, de quo tanta, et talia nuntiantur (cum ante requiri et discuti debeant) honoretur* (3). Quoties igitur infamia criminis, quod suscepti Ordinis executionem impedit, quispiam laboret: neque in susceptis Ordinibus ministrare, nec ad ulteriores poterit promoveri, nisi eam iudicio rite antea purgaverit (4). Hanc *infamiam facti* appellant, sicuti et eam, quae afficit deprehensum in ipso fragrantis criminis actu. Id vero crimen confessus, vel rite damnatus *iuris infamiam* subire dicitur. *Si crimina adulterii, periurii, vel falsi testimonii, ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint; non debent hi (praeter reos homicidii) post poenitentiam in iam susceptis, vel suscipiendis Ordinibus impediri: secus si non poenituerint*, rescripsit Gregorius IX (5).

CVII. Male promotos quoque inter irregulares ex crimine abiicit Ecclesia. Praesertim ordinatos ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatui, quibus ex bona fide, seu ignorantia non crassa renunciationis, vel in minoribus tantum Ordinibus posse Dioecesanum Pontificem dispensare indulsit Alexander III. (6). Ætatem canonicam non habentes (7): Illegitimos (8): servos ante plenam manumissionem (9): corpore vitiatos (10): bigamos (11): in Ordine, quem non habent, ministrantes (12): per saltum promotos (13), aut furtive (14). Eos denique generatim, qui iam expositos canones disciplinam Ordinationis spectantes quomodolibet violaverint, iisque posthabitis absque legitima dispensatione Ordinem susceperint.

CVIII. Hanc ad rem sanxit Pius II., *ut omnes, et singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, sive extra tempora a iure statuta, sive ante aetatem legitimam, vel absque litte-*

(1) Innocen. I. *ep.* ad Felicem Episc. Nucerinum in *can. laici* 6. *dist.* 33.
(2) Coelestinus ad Episcopos Galliae in *can. tantis Daniel* 3. *dist.* 81.
(3) Greg. M. ad Constantiam Aug. in *can. omnipotens* 4. *de accusat.*
(4) Innoc. III. in *cap. inquisitionis* 21. *de accusationibus.* Huc etiam spectat rubrica Decretalium *de purgatione canonica.*
(5) Greg. IX. in *cap. quaesitum est* 17., *et ult. de tempor. ordinat.*
(6) Alex. III. in *cap. requisivit* 1. *de ordinat. ab Episc., qui renunc.*
(7) Ex supradictis *hoc tit. num. XXV. et seq.*
(8) Ex *cap.* 1., *et seq. de filiis presbyteror. ordin., vel non.*
(9) *Cap.* 1., *et seq. de servis non ordinandis.*
(10) *Cap.* 1., *et seq. de corpore vitiatis.*
(11) *Cap.* 1., *et seq. de bigamis non ordinandis.* Non ex defectu iterati Sacramenti, sed ob suspicionem incontinentiae.
(12) *Cap.* 1., *et seq. de clerico non ordinato ministrante.*
(13) *Cap. un. de clerico per saltum promoto.* Omissa etiam prima tonsura, ex sententia S. Cong. Conc. super *cap.* 14. *sess.* 23.
(14) *Cap.* 1., *et seq. de eo, qui furtive Ordinem suscepit.*

ris dimissoriis proprii Ordinarii ad aliquem ex sacris Ordinibus se fecerint promoveri, a suorum Ordinum executione ipso iure suspensi sint, et si huiusmodi suspensione durante, in iisdem Ordinibus ministrare praesumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant. Praeterea ultra alias poenas a Iure inflictas beneficiis ecclesiasticis possint iure privari (1). Xysto V. placuit eosdem male promotos declarare ipso facto, ipsoque iure suspensos ab Ordinum exercitio, adempta quoque spe ascendendi ad ulteriores, et ubi praesumpserint in eis ministrare, irregulares omnino, et incapaces quum retinendi, tum obtinendi beneficia ecclesiastica, professos item Regulares voce activa, et passiva privavit: facultatemque dispensandi super huiusmodi irregularitate Apostolicae tantum Sedi reservatam edixit, etiam in casibus occultis (2). At Clemens VIII. (3), et successores mox Pontifices in suis quisque Regulis Cancellariae, abrogata constitutione Xystina, quae tridentinis iam dictis decretis adversatur, maluerunt constitutionem Pii II. confirmare, quae suam usu vim habet (4).

CIX. Communi decretalium Iure antiquo, et male promoti, et male promoventes extra tempora (5), vel ante legitimam aetatem (6), vel sine dimissoriis Episcopi Dioecesani (7), plectebantur censuris, poenisque canonicis ferendae tantum sententiae, Summo Pontifici reservatis. At illici-

(1) Pius II. *const. cum ex saerorum Ordinum* 12. *to.* 1. *Bullarii* Cherub.

(2) Clemens VIII. *const.* 40. *to.* 3. *Bullarii.*

(3) Ex Benedicti XIV. *Regula* 24. Cancellariae *de male promotis*, quam edisserit, illustratque Rigantius *to.* 2.. *Comm. in easdem Reg.*

(4) Ex traditis a Rigantio *ibidem.*

(5) Alexander III. in *cap. sane* 2. *de temp. ordinat. apud nos*, ait, *sic ordinati* extra ieiunia in sacris *deponerentur, et ordinantes privarentur auctoritate ordinandi.* Tum Urbanus III. in *cap. cum quidam* 8. *eod. tit.* Pisano Archiepiscopo rescripsit: *Episcopum, qui die quo non debuit, Ordines celebravit, canonica disciplina corrigere: et ordinatos a susceptis ordinibus tamdiu reddere debes expertes, donec apud nos restitutionis gratiam consequantur.* Mox Innocentius III. in *cap. litteras* 13. *eod. tit. Bononiensem Episcopum*, inquit, *ut puniatur in quo deliquit, a collatione Ordinum, Diaconii scilicet, et Presbyterii; alterum vero* (Imolensem electum) *ab executione officii sacerdotalis tamdiu volumus manere suspensos, donec de illis aliter disponamus.* Honorius III. in *cap. dilectus* 15. *eod. tit.* de Trecensi Episcopo rescribens, *ipsum* ait, *tamdiu ab ordinandi suspendimus potestate, donec nostram meruerit gratiam obtinere.* Gregorius IX. ab Archiepiscopo Bariensi consultus respondit in *cap. consultationi* 16. *eod. tit.*, quod extra tempora in sacris ordinatos *poenitentia imposita sustinere poteris in susceptis Ordinibus ministrare.*

(6) Honor. III. in *cap. vel non est compos sui* 14. *de tempor. ordinat.* de Conventrensi Episcopo, qui puerum M. annorum 13. Diaconum in ludibrium ordinis clericalis ordinaverat, rescribens ait: *praedictum Episcopum a collatione Ordinum suspendentes, ipsum ut eidem M., quem ab executione officii Diaconi usque ad aetatem legitimam in iniuriam suspendimus ordinantis, provideat in ecclesiastico beneficio competenti, per censuram ecclesiasticam compellatis.*

(7) Ex supra iam dictis *hoc tit. num. XXXIV.*

*

tam subditi alieni ordinationem absque Dioecesani litteris censura suspensionis latae sententiae coercitam voluere canones Sexti Decretalium posteriores (1), tum Synodus Tridentina (2), et bulla *Speculatores* (3). Itaque Pius II. sua iam relata constitutione, quam singuli Pontifices observandam iubent in Cancellariae Regula *de male promotis*, una eademque suspensione ipso facto incurrenda plectit cunctos male ordinatos in sacris, vel extra tempora, vel ante canonicam aetatem, vel sine dimissoriis Ordinarii sui litteris; eosque nonnisi ex violata eiusmodi censura in sacris ministrando irregulares fieri (4).

CX. Dubitatur adhuc, an suspensus, ubi non Ordinis sacri male suscepti, sed alterius antea rite, ac bene sibi collati functiones obiverit, incurrat irregularitatem? Negans opinio etsi probabilior est (5), atta-

(1) Clemens IV. in *cap. saepe contingit 1. de tempor. ordinat. in* VI. statuit ultramontanos, vel absque licentia Papae, vel sine patentibus Episcopi sui litteris ordinatos *manere absque spe dispensationis, super hoc a Sede Apostolica obtinendae suspensos, ac ordinantes poenitentia condigna puniri.* Tum sub Gregorio X. Concilium Lugdunense in *cap. eos, qui 2. eod. tit. in VI, eos*, inquit, *qui clericos parochiae alienae absque Superioris ordinandorum licentia scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quaesito praesumpserint ordinare; per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos, his, quae iura statuunt contra taliter ordinatos, in suo robore duraturis.* Quae scilicet supra exposuimus *hoc tit. num. XXXIV.* Glossa autem in hoc ipso *cap. eos, qui* ver. *statuunt*, non abs re dubitat, lataene, an ferendae fuisset sententiae suspensio antiquis canonibus sancita in male ordinatos ab Episcopo non suo. Pariter Bonifacius VIII. in *cap. nullus 4.*, *et ult. eod. tit. in VI;* suspensum ad annum a collatione clericalis dumtaxat tonsurae edixit, qui eam alieno subdito illegitime contulerit, ut sic poena responderet culpae.

(2) Trid. *sess. 14. de ref. cap. 2.*, ibi: *Contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.* Consonat decretum *sess. 23. de ref. cap. 8.* Capitulum vero intra annum Sedis vacantis dans dimissorias non arctatis ad Ordines ipso iure subiecit ecclesiastico interdicto; ordinatos in sacris suspendit ad beneplacitum futuri Praelati; clericos in minoribus constitutos privilegio clericali privavit eadem Tridentina Synodus *sess. 7. de ref. cap. 10.*, tum *sess. 23. de ref. cap. 10.* huiusmodi sanctionem extendens ad Vicarios Capitulares, haec addit: *Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio, et beneficio per annum sint ipso iure suspensi.*

(3) Innoc. XII. in Bulla *Speculatores* §. *ult.* ita sanxit: *Si quid. . . secus fiat: ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae, nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.*

(4) Hinc evanuit diuturna dubitatio, quam acriorem efficiebant consuetae Episcoporum constitutiones, aut edictales leges anathema fulminantes in eos, qui furtive ad ordines suscipiendos accederent, aliquo impedimento irretiti, unde irregularitas Pontifici Summo reservata emergebat, ex Alexandri III. decretali in *cap. veniens 1. de eo, qui furt. ordin. suscep.*

(5) Quam tenet prae ceteris Fagnanus in *cap. vel non est compos num. 14.*, *et 15. de temp. ordinat.*

men contrariam utique tutiorem adprobat stylus S. Poenitentiariae apostolicae (1), eo etiam in casu largientis dispensationem super irregularitate. At exercens minores Ordines male promotus, non fit procul dubio irregularis ex eiusdem bullae Pianae sententia, quae huiusmodi poenam in sacris dumtaxat male susceptis Ordinibus infligit. Qui vero dum Sacerdotio male initiantur, Missam una cum Episcopo concelebrant, quamvis ipso iure iam suspensi, nullam quoque tunc contrahunt irregularitatem: ea enim concelebratio non praeteritam censuram violare, sed imminentem parere, aut perficere putatur, tamquam ritualis pars illicitae ordinationis eam tunc foetantis (2). Sunt praeterea qui Episcopos male ordinatos recte eximunt a poenis ipso iure per Pium II. latis, eosque censuris ferendae tantum sententiae antiquo iure sancitis obnoxios iudicant (3): propterea quod quoties novae leges poenales nominatim Episcopos non exprimunt, eos nullam ipso iure sententiam interdicti, vel suspensionis incurrere Concilium Lugdunense decrevit sub Innocentio IV. (4).

CXI. A *suspensione* absolvit male promotos dioecesanus Episcopus iure ordinario (5), quoties tamen ipse ea in re non deliquerit (6): nam particeps culpae si fuerit, ab Sede Apostolica oportet absolutionem tunc postulare (7), quum absurdum sit quemlibet suo in casu turpi cum aliis communi ius dicere, poenamque correis relaxare. Idcirco Sede vacante male promotos cum litteris Vicarii Capitularis absolvendos a suspensione novo Episcopum speciatim relinquit synodus tridentina (8): tametsi, *quamdiu proprio Ordinario videbitur*, eosdem ea illicita ordinatione suspensos declaravit (9). Haec porro verba sat innuunt Vicarium Capitularem ea culpa immunem posse vacante Sede suspensos eiusmodi absolvere, uti Praelatum Ordinarium iurisdictione episcopali fruentem, perinde ac si Episcopus viveret (10).

(1) Apud Marc. Leonem in *prax. sacr. Poenitent. par. 3. in form. a mala promot. ante aetat.*, et Card. Petra *tom. 5. in Const. Apost. pag. 284. n. 10.*

(2) Pyrhing. in *Ius Canon. lib. 1. tit. 11. sect. 1. num. 95.*, Engel. *lib. 1. Iuris Canon. t.* 14. §. 1. *n.* 10., Zypaeus in *analysi Iur. Pontif. de Ordin. num.* 8.

(3) Suarez de *censuris disp.* 31. *num.* 29., Alterius de *censur. to.* 2. *disp.* 10. *cap.* 1. *dub.* 3.

(4) Inn. IV. in Conc. Lugd. *cap. quia periculosum* 4. *de sent. excom. in VI.*

(5) Ex supradictis verbis Tridentini, et constitutionum Pii II., et Innocentii XII.

(6) Ex decretali Epistola Urbani II. ad Hugonem Lugdun. Archiep. in *can. Lugdunensis* 10., *et ult. C. IX. qu.* 2., ibi: *Lugdunensis parochiae clericos contra statuta canonum ab alterius parochiae Episcopis ordinatos . . . quos recipiendos moderatio tua arbitrata fuerit, iniuncta congrua poenitentia, in suo quemque honore recipies.* Consonant decretales in *cap. consultationi.* 16. *de temp. ordinat. cap. un. de cleric. per salt. prom.*, *et cap. fin. de ordinat. ab Ep. qui ren.*

(7) Ex *cit. cap. cum quidam* 8. *de temp. ordin.*, *et cap.* 1. *eodem tit. in VI.*

(8) Trid. *sess.* 7. *de reform. cap.* 10.

(9) Idem *sess.* 14. *cap.* 2., *et sess.* 23. *cap.* 23. *cap.* 8. *de ref.*

(10) Ex *cap. Episcopali sede un. de maior.*, *et obed. in VI.*

CXII. At dispensationem super quavis publica *irregularitate* Papa solum indulget, alius Episcoporum nemo (1) : ea nempe, quae aut *manifesta* sit, a certis puta personis eam certe scientibus promulgata; aut ex *notorio facto* plurimis ex certa itidem scientia pateat, aut ex *notorio iure*, sive *probato*, sive *praesumpto*, ubi scilicet in iudicio sit pluribus consciis testibus ostensa, aliisque probationibus rite detecta, aut per *famam* populi, vel viciniae vociferantis, incerto quamvis auctore promulgata. Publica dispensatio, nonnisi re cognita, auditoque loci Ordinario, solet per litteras apostolicas in forma Brevis, vel S. Congregationis Concilii obtineri : occulta vero per sacram Poenitentiariam reticito postulantis nomine, perpensis tamen ab eo expositis. Nam ex traditis a Benedicto XIV. (2), *super quacumque irregularitate, et inhabilitate ex quocumque defectu* potest *idem maior Poenitentiarius in casibus tamen occultis, et in foro conscientiae tantum, et praevia in gravioribus casibus matura discussione in Signatura Poenitentiariae agenda dispensare, et dispensari mandare tam cum laicis, quam cum ecclesiasticis saecularibus, et regularibus, cum quibus expediens videbitur : ad hoc ut Ordinibus initiari, vel respective in susceptis etiam sacris, et Presbyteratus Ordinibus ministrare, et ad superiores ascendere, ac dignitates etiam Cathedrales, ac Metropolitanas, et quaecumque beneficia ecclesiastica quandocumque ante dispensationem alioquin canonice obtentas, vel obtenta retinere, nec non ut huiusmodi beneficia, et dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis cathedralibus, et metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant.* Cumque idem Pontifex optimus iubilaeum universale indixisset sui Pontificatus initio (3) : *non intendimus*, ait, *per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae.* At pro anno sancto iubilaei facultatem dispensandi super irregularitate, quam clerici, et maiores, et minores incurrissent *ex violatione tantum censurae*, indulsit nedum Poenitentiariis Urbis, verum Confessariis etiam Regularibus respectu

(1) Ex supra dictis *num. XCIX. et C.* Benedictus XIV. in *const. ex pastoralis* 57. §. 7. *num.* 15. *to.* 1. *Bullar.* monet, *ut in Ordinibus per Episcopos schismaticos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate fuerit auctoritate Sedis Apostolicae dispensatum.* Additque in *seq. num.* 9., *et* 10. *Promoti ad primam tonsuram* Italo-graeci, *vel ad alium quemcumque Ordinem sine dimissoriis latini Ordinarii, suspensi sint, et si suspensi in sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares, sicut et Latini. Super huiusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a S. Sede Apostolica obtineri oportet.*

(2) Bened. XIV. *in const. pastor bonus* 95. §. 51. de facultatibus Maioris Poenitentiarii, edita 13. Aprilis 1744., *to.* 1. Bullarii.

(3) Idem in *const. laetiora* 1. *num.* 60., die 11. Nov. 1740. Iisdemque numero verbis usus est in alia Bulla iubilaei die 20. Novemb. 1744., quae incipit *in suprema* 120. §. 6. *cod. to.* 1. Bullarii.

Regularium, cunctisque aliis eligendis occasione iubilaei ad universum Orbem extensi (1).

CXIII. Vix autem in casibus tantum occultis pro foro interno facultatem nunc habent Episcopi cum irregularibus, non homicidis dispensandi (2). *Occulta* solet irregularitas multimodis iudicari. I., quoties vel unus, vel duo, ad summum tres eam scientes abscondant silentio (3). II, ubi ea in foro externo per accusationem, aut denunciationem delata non probetur (4). III, ex diversitate locorum, si nempe alio in loco, in quo dispensandus adest, ignoretur crimen alibi manifestum (5). IV, ex ignorata criminis causa in facto publico, dum scilicet obnoxius occultae suspensioni, ait aliis censuris missam, aliave sacra celebret coram populo censurae huiusmodi ignaro. In singulis hisce casibus occultis a suo quisque dioecesano Episcopo dispensationem procul dubio ratam, legitimamque obtinet. At ubi loci Ordinarius particeps illicitae promotionis fuerit, eam oportet ab apostolica S. Poenitentiaria postulare, quae solet insuper pontificiam dispensationem in foro solum interno iis etiam tacito semper ipsorum petentium nomine largiri, qui suum formidolosi vereantur Episcopum. Praeterea quoties longo annorum intervallo, puta viginti, aut amplius, publica irregularitatis fama ita non desiverit, ut ipsius memoria evanuisse videatur: solet quoque tunc S. Poenitentiaria dispensationem indulgere (6).

CXIV. Quaevis autem apostolica dispensatio, invito Episcopo nullius erit momenti. Synodus enim tridentina decretavit, ut *ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus; nulla contra ipsius Praelati voluntatem*

(1) Id. in *const. inter praeteritos* 21. de quaestionibus circa opera iubilaei, seu epistola encyclica ad Poenitentiarios Urbis pro anno sancto die 3. Dec. 1749., §. 4. *de facultatibus super dispensationibus to.* 3. Bullarii, et alia *const. Benedictus Deus* 27. super iubilaei extensione *n.* 4. *cod. to.* 3. declarat eo *censurae* verbo ad alias ex delicto, vel defectu obvenientes irregularitates dispensandi facultatem extendere noluisse.

(2) Ex iam recitato Tridentinae Synodi decreto *sess.* 24. *de reform. cap.* 6.

(3) Unius notitiam, perinde ac nullius, iura aestimant, *can. admonere* 8. *C. XXXIII. qu.* 2., *can. si testes* 3. §. *item unius C. IV. qu.* 3., *cap. veniens* 10., *et cap. licet* 23. *de testibus.* Privata vero duorum, vel trium notitia extra iudicium silens, quoad in forum delata non sit crimen interea in occulto latere sinit, ex recepta sententia glossae in *can. manifesta* 15. *C.* 2. *qu.*, et *cap. vestra* 7. *de cohabit. cleric., et mul.*, quam probat et sequitur Marcus Paulus Leo *par.* 2. *prax. Poenitent.* §. *quotuplex sit occultum.*

(4) Glossa in *can. omnipotens* 4. *de accusat. verb. denunciatur*, occultum aestimat crimen in foro delatum, quod non sit elapso anno probatum, ex eo quod textus in *l. reus* 7. *D. de muner., et honor.* accusatum de homicidio deficientibus per annum probationibus ad honores admittit. Idque firmat P. M. Leo *loc. cit.*

(5) Ex traditis a Panormitano in *cap. olim.* 7. *de iniur. n.* 5. Hunc occulti casum in S. Poenitentiaria admitti etiam consuevisse fert idem Leo *loc. cit.*

(6) Sicuti observat *ibidem* saepedictus P. M. Leo.

concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, et dignitates, sive honores restitutio suffragetur (1). Hoc decreto abrogatae videntur decretales pontificiae, quae occulto criminoso Episcopum non posse promotionem prohibere censuerant (2).

CXV. Ex iterato quoque Baptismo (3), vel Ordine (4) fiunt irregulares : nec non ex matrimonio, quum scilicet qui secundis nuptiis benedictionem sacerdotalem impertiantur (5), tum qui secundas ipsi nuptias, vel primas cum corrupta iniverint (6). Ex parentum quoque crimine multoties in filios propagatur irregularitas. Nam paterna haeresis, aut haereticorum defensio filios, nepotesque ad secundum usque gradum, materna filios primae tantum generationis efficit irregulares, inhabilesque ad beneficia, et officia ecclesiastica, quoties ad orthodoxam fidem parentes non rediverint (7). Eademque poena tenentur eius etiam filii, et nepotes ex virili tantum sexu, qui Cardinales Romanae Ecclesiae sit hostiliter insecutus, vel percusserit, aut coeperit (8). Insuper filii eius, qui pontificios Marchiae Anchonitanae Rectores, Officialesque offenderit (9).

(1) Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 1.

(2) Alex. III. in *cap. ex tenore* 4., et Greg. IX. in *cap. quaesitum* 17., *et ult. de temp. ordinat.*

(3) Ex *can.* 46. vulgo Apostol. *Episcopus, aut presbyter si eum, qui verum Baptismum habeat, iterum baptizaverit, deponitur.* Ex decretali Alexandri III. in *cap. ex litterarum* 2. *de apostatis ; et reiterantibus baptisma.* Eamdem poenam incurrit etiam rebaptizatus, *can. eos quos* 118. *cum concord. de consecr. dist. 4. can. confirmandum* 65. *dist.* 50.

(4) *Can.* 67. vulgo Apost. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus secundam ab aliquo ordinationem susceperit, deponitur tam ipse, quam qui ipsum ordinavit.*

(5) Ex iterata benedictione in secundis nuptiis celebrata officio, et beneficio suspensum, reservata Sedi Apostolicae dispensatione, declaravit Alexander III. in *cap. Capellanum* 1. *de secundis nuptiis.* Hanc decretalem multa edisserit eruditione vir canonum peritissimus Carolus Blascus *diatriba* 5.

(6) Ex vulgatissimo eo Apostoli effato : *unius uxoris virum.* Praeterea ex *can.* 16. 17., et 18. vulgo Apost.

(7) Bonif. VIII. in *cap. statutum* 15. *de haereticis in VI.* Ea igitur Iuris regula, quod *nullius crimen maculat nescientem.* (*Quis enim locus innocentiae relinquitur, si alienum crimen maculat nescientem ?* ex S. Augustini sententia in *can. nullius, et can. quis locus I. qu. 4.*) loquitur de culpae reatu, non de poena, quae innoxios aliquando percutit. Ex mosayca lege *Ammonitae, et Moabitae etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini . . . Qui* vero *nati fuerint* ex Idumaeis, vel Ægyptiis, *tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini.* Deuteronomii *cap.* 23. *v.* 3., *et seq.*

(8) Bonif. VII. in *cap. felicis* 5. *de poenis in VI.* Consonat Arcadii, et Honorii lex in *can. si quis cum militibus* 22. *C. VI. qu.* 1.

(9) Ioann. XXII., in Extravag. *un. de poenis.* Quoniam haec sanctio filios tantum exprimit, idcirco ad nepotes non extenditur, neque ad eos filios, ex patre innocente, et matre solum facinorosa progenitos, ex *cap. ubicumque* 4. *de poenis in VI.* Ubi Bonifacius VIII. declarat, quod posteros masculinae tantum lineae afficiat quaevis lex, aut sententia eos etiam puniens, nisi utramque lineam apertis verbis exprimat.

CXVI. Illegitimos quoque natos extra matrimonium ex fornicatione parentum sacris ab ordinibus, nisi monachi fiant, eliminant canones recentiores (1). Adulterium vero matris occultum filio exinde concepto non nocet (2): at publicum secus (3). Antiqui Patres quum graeci (4), tum latini maculas eiusmodi natalium in sacris ordinationibus nihil habuere (5) usque ad saeculum VII., quo Toletana Synodus IX. usum connubiorum Subdiaconis, ceterisque sacris ministris a B. Leone M. iamdiu interdictum censuit poenis acerbioribus cohibere (6). Tum ite-

(1) Huc spectat illud Sapientiae *cap. 3. vers.* 16., *et* 19. *Filii adulterorum in consummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longae vitae erunt, in nihilo computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum.* Illud etiam Deuteronomii *cap. 23. vers. 2. Non ingredietur mamzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini usque ad decimam generationem.* At prisci canones promotionem illegitimorum non respuebant. Prima omnium synodus Toletana IX. anno 655. in *can. cum multae 3. C. XV. qu. 8.*, proles ex sacrilego presbyterorum concubitu natas in servilem abiici statum decrevit. Saeculo XI. Concilium Pictaviense anno 1078. relatum in *cap. 1. de filiis presbyter.* sanxit, *ut filii presbyterorum, et ceteri ex fornicatione nati ad sacros Ordines non promoveantur: nisi aut monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viventes. Praelationem vero nullatenus habeant.* Paulo post eodem saeculo Urbanus II. presbyterorum filios illegitimos a sacris ministeriis arcet, praeterquam in caenobiis, aut canoniis religiose probatos, *can. presbyterorum 1. dist. 56.* Dein recentioribus decretalibus Alexandri III., et successorum Pontificum in *cap. 2. usque ad 18., et ult. eod. tit. de filiis presbyterorum, et cap. consuluit 5. de servis non ordinand.* constitutum apertius non posse natos extra legitimum coniugium, neque ad Ordines, neque ad beneficia sine dispensatione apostolica promoveri.

(2) *Cap. ex tenore 14. qui filii sine legitimi.*

(3) Alex. III. in *cap. casum 4. eod. tit.*

(4) Graeci vulgo Apostolorum canones nullum omnino verbum habent de illegitimorum ordinatione. B. Chrysostomus in can. *nunquam 4. dist. 56.* virtutem cuiusque propriam commendat, nullam de vitiis, nec de virtutibus parentum ut alienis rationem habet, inquiens: *ex meretrice natus, et adultera, si propria virtute decoretur, parentum suorum non de dedecoratur opprobriis.*

(5) SS. Hieronymus, et Augustinus, et Gregorius M. apud Gratianum in *can. 3. usque ad 9. eod. dist. 56. Nasci de adulterio non est eius culpa, qui nascitur: sed illius, qui generat,* inquit Hieronymus *can. 5. Undecumque homines nascantur, si parentum vitia non sectentur, et Deum recte colant; honesti, et salvi erunt. . . . Sicut autem boni filii adulterorum, nulla est defensio adulterii: sic mali filii coniugatorum nullum est crimen nuptiarum,* ait Augustinus in *can. 3.* Idemque addit *can. 6.* Christus *nasci etiam voluit de bonis, et malis: exemplo discant fideles parentum suorum iniquitates filiis obesse non posse.* Mox B. Gregorius ad rem aptius nostram rescripsit in *can. 7. Satis perversum, et contra ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa, vel facinus* ab officii, *quo fungitur, gradu non deiicit.*

(6) In *cit. can. cum multa 3. C. XV. qu. 8. Cum multae* (ait) *super incontinentia ordinis clericorum hactenus emanaverint sententiae Patrum, et nullatenus ipsorum reformari quiverit correctio morum . . . quilibet ab Episcopo usque ad Subdiaconum deinceps, qui vel ex ancillae, vel ex ingenuae detestando connubio in honore constituti filios procreaverint: illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur. Proles autem aliena*

ratae sanctiones pontificiae filios quoslibet, nedum presbyterorum, sed laicorum etiam illegitimos a sacris Ordinibus, et beneficiis extruderunt (1). At matrimonii favor in causa est, ut naturales antea progeniti per subsequens coniugium legitimi habeantur: sed spurii nequaquam (2). Inter legitimos quoque adnumerantur ex nuptiis in faciem Ecclesiae celebratis, quantumvis irritis, nati, vel concepti ante sententiam iudicis eas dissolventis (3); aut ex clandestinis postmodum ab Ecclesia probatis (4); aut ex secundis bona fide, riteque initis primo adhuc vivo coniuge (5). Secus iudicatur de natis ex matrimonio, spreta publicae honestatis iustitia, contracto, quod nulla possit vel Ecclesiae permissione, aut parentum ignorantia excusari (6). Dispensationem debet illegitimus quisque ab apostolica tantum Sede postulare (7): infamatus autem super defectu natalium, quoties in iudicio liquidari nequibit, infamiam cogitur, antequam Ordines accipiat, canonica purgatione diluere (8), contrariis puta probationibus, et iureiurando. De proiectis, expositisque infantibus merito dubitatur, quum alii eorum ad occultandos plerumque nefarios concubitus impie consuescant exponi; aliquot vel pauci ab egenis coniugibus ob inopiam alimentorum. Eos autem omnes, quia liberos, et ingenuos esse imperavit Iustinianus (9): possumus et nos potius legitimos in dubio praesumere, minimeque irregulares, dum nullus in eos canon hanc poenam expresse protulerit (10).

pollutione nata non solum hereditatem numquam accipiet, sed etiam in servitutem eius Ecclesia, de cuius Sacerdotis, vel ministri ignominia nati sunt, iure perenni manebunt. Mox VIII. saeculo S. Bonifacius martyr Moguntinus Archiepiscopus, apostolicus Zachariae ad Gallias Legatus sua ad Echeldobaldum regem Anglorum epistola eum commonuit, in Anglia *spretis legalibus connubiis de commixtione meretricum degeneres populos, et ignobiles, et universam plebem. . . nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam, can. si gens Anglorum 10. dist. 56.*

(1) Ex *cit. cap. 5.*, *totoque* Decretal. *tit. de filiis presbyterorum.* Legitimi autem presbyterorum filii ex iustis nuptiis ante Sacerdotium Latinum, aut ex uxore ante Diaconum a Graecis rite desponsata progeniti, nullo quidem impedimento ad Ordines detinentur, ex *cap. adhaec 12. de filiis presbyteror.* S. Damasus in *can. Osius 2. dist. 56.* multos ad summum Pontificatum evectos presbyterorum filios enarrat, quos nonnisi legitimos fuisse puto.

(2) Alex. III. in *c. conquestus 1.*, et *c. tanta est 6. qui filii sint legitimi.*

(3) Idem in *cap. cum inter 2. eod. tit.* — (4) *Cap. quod nobis, eodem tit.*

(5) *Cap. perlatum 8.*, *et cap. ex tenore 14. eod. tit.*

(6) *Cap. referente 10. eod. tit.*

(7) Alexand. II. in *can. Apostolica 12. dist. 56.*, et Urban. II. in *can. Coenomanenses eleetum 13.*, et *can. quia simpliciter 14.*, *et ult. eadem dist.* Dispensationes eiusmodi illegitimis indulsere Alex. III. in *cap. ad praesentiam et cap. ex tua nobis 9.*, Clemens III. in *cap. litteras 14.*, et Greg. IX. in *cap. nimis 18. de fil. presbyter.* Ob utilitatis publicae causam probat dispensationem super impedimentis eiusmodi Gelasius in *can. si qui 12.*, *can. tali coniugio 17.*, *et can. exigunt 18. C. I. qu. 7.*

(8) Innoc. III. in *cap. accedens 14. de purgat. canonic.*

(9) Iustin. in *l. sancimus 3.*, *et 4. C. de infantib. exposit.*

(10) Ex regula *cap. is, qui 18. de sent. excom. in VI.* Hanc sententiam sequitur M. P. Leone *loc. cit. pag. 367.*

CXVII. Vitia corporis, vel animi quamvis naturalia plures insuper sua sine culpa irregulares faciunt. *Loquere ad Aaron,* inssit Moysi Dominus (1): *Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si coecus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel hernio-sus.* Antiqui Ecclesiae canones eos, qui sibi quamlibet partem corporis ultro abscinderent sine causa, ab altaris ministerio excludebant, velut sui homicidam: non alios a medicis, vel hominum insidiis, vel casu mutilationem, debilitationemque passos (2); nec natura mancos, aut deformatos, quoties munia Ordinum defectus non impediret. Haec enim habent canones vulgo Apostolorum (3): *Si quis oculo defectus, aut obtuso crure existat, et dignus sit, Episcopus efficitor: non enim mutilatio corporis ipsum polluit, sed inquinatio animae. Qui vero mutus, surdusve, et coecus est, Episcopus non efficitor: non quia oblaeso corpore est, sed ne ecclesiastica impediantur munia.* At quinto abhinc saeculo pontificiis epistolis, vel declaratum, vel constitutum non licere defectiva generatim corpora ad Ordines admittere. Gelasius enim vetuit *corpore vitiatum ad clericale munus* accedere (4). Tum rescripsit ordinatos, dum erant integri, non amittere ministerium ex subsecuta corporis debilitatione, aut quavis macula enormi, simul adfirmans, quod *praecepta canonum* (nescio quos) *ad Sacerdotium debiles corpore non patiantur venire* (5), vel potius quia *corpore sauciatum fortassis, aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina* (scilicet Mosayca) *permisit* (6). B. Gregorius M. Episcopo Squillatino praecepit, ne umquam *in qualibet parte corporis vitiatum* praesumeret *ad sacros Ordines* promovere (7). A posterioribus inde Pontificibus plura super corporeis defectibus data ad Episcopos responsa. Alexander III. presbytero Campaniae, qui partem digiti in duello amiserat, indulsit peracta poenitentia ministrare suo in ordine (8). Et macula oculi, an electo Cisterciensi ordinationem ex deformitate impediret, dispensandum arbitrio

(1) Levitici *cap. 21. vers. 17.*, *et seqq.* Item Deuteronomii *cap. 23. vers. 1. Non intrabit eunuchus attritis, vel amputatis testiculis, et abscisso veretro Ecclesiam Domini.*

(2) Ex Conc. Nicaen. I. in *can. si quis a medicis 7. dist. 55.*, ex *can. 20. ad 23.* vulgo Apostolorum, pluribus Synodorum decretis, Patrumque sententiis apud Gratianum tota *dist. 55.*

(3) Ex *can. 76.*, et *77.* vulgo Apostolorum.

(4) Gelas. *ep.* ad Episcopos Lucanos, et Brutios in *can. priscis 1. dist. 1.*

(5) Idem Palladio Episc. in *can. praecepta canonum 12. eod. dist.*, aliique Patres *can. 1., et seq. C. VII. qu. 1.*

(6) Verba sunt eiusdem Gelasii in *can. usque adeo 5. dist. 33.*

(7) S. Gregor. in *can. praecipimus 10. dist. 34.*

(8) Alex. III. in *cap. 1. de corpore vitiatis.* Eugenius autem Papa in *cap. presbyterorum 2. de clerico aegrotante, vel debilitato*, non indulsit presbytero, cui duos digitos, mediamque palmam praedones absciderant, Missam celebrare; at ceteris officiis sacerdotalibus fungi minime prohibuit.

Cantuariensis Archiepiscopi cum consilio Suffraganeorum remisit (1). Mox Clemens III. (2), et Innocentius III. (3) eum, cui vel in cunabulis, vel urgente morbo amputata virilia essent, nulla indigere dispensatione: secus qui sine causa, etiamsi ut obsequium praestare Deo posset, ea sibi absciderit, vel abscindi consenserit. Mutilatum manu ad sacros Ordines promoveri non posse, promotumque fore deponendum idem Innocentius rescripsit (4). Ungula pollicis carentem, si pollex Eucharistiae frangendae vim haberet, ab Sacerdotio non arcendum censuit Gregorius IX. (5). Praeterea Lucius III lepra maculatos rescripsit non posse altari servire: at eis ab officio parochiali depositis, congruam ex redditibus Ecclesiae debere portionem subministrari (6). Ex hactenus dictis colligitur eos corporis defectus ex Levitico iam enumeratos, qui enormes sint, dispensatione apostolica indigere: alios leves arbitrio Episcoporum dimitti. Ex coecis sine culpa irregularibus neminem impedimento eiusmodi solvere Apostolica Sedes consuevit. Et S. Congregatio Concilii decrevit, neque ad primam tonsuram coecum admitti, ut per illa possit beneficia obtinere ecclesiastica (7). Qui vero sanis oculis Ordines acceperunt, dein coecutientes ex deminuto oculorum lumine fiant, iis non omnino coecis solet S. Congregatio indulgere, ut diebus festis, ac duplicibus Missam votivam de B. Virgine, diebus autem profestis Missam pro defunctis celebrent, hac adiecta clausula: dummodo non sit omnino coecus, nec recitet memoriter. Uni tantum Parocho Florentino oculis penitus orbato indultum per S. Congregationem fert Benedictus XIV. die 2 Augusti 1727, ut Missam de B. V., et pro defunctis celebraret cum assistentia alterius Sacerdotis: quia retulerat Archiepiscopus nullam fore suspicionem, ne quid is contra dignitatem Sacrificii admitteret in sacro faciendo diligentissimus, et nihil ei aliud, nisi Missae stipendium pro vita sustentanda superesse (8).

CXVIII. Sunt vero alii naturales defectus, quos nulla valet dispensatio amovere, donec vigeant, sacrum reapse ministerium impedientes: puta furor, dementia, morbus caducus, et epilepticus, daemoniaca obsessio (9). Ordinatis, qui morbo eiusmodi saepe tangantur, sacra

(1) Idem Alex. in *cap. cum de tua electione 2. de corp. vitiat. Canones aliquem casum in amissione oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impediret, suis non excepisse regulis*, dudum rescripserat Episcopo Rufino Gelasius in *can. si evangelica 13., et ult. dist. 55.*

(2) Clemens III. in *cap. 3., et 4. eodem tit. de corp. vit.*

(3) Innoc. III. in *cap. ex parte 5. ibidem.*

(4) Idem in *cap. exposuisti 6. eod. tit.*

(5) Greg. IX. in *cap. Thomas monachus 7., et ult. eod. tit.*

(6) Luc. III. in *cap. de rectoribus 3.*, Clem. III. in *seq. cap. tua nos 4. de clerico aegrot., vel debilit.*

(7) Ex traditis a Benedicto XIV. *instit.* 34. §. 2., edit. latinae.

(8) Idem Pontifex *ibidem.*

(9) Ex *can. 78.* vulgo Apost. ex *can. maritum duarum 2. dist. 23.*, quem canonem B. Gregorio Gratianus inscribit, Correctores Romani vel Alcuino, vel Isidoro, vel Gennadio; ex Nic. I. in *can. clerici 4. eod. dist.* Alex. II. in *can. in tuis litteris 1.*, et Gelasius in *can. nuper 2. C. VII. qu. 2.*

facere prohibent canones (1). Qui raro, eis indulget synodus Toletana XI. celebrationem una cum alio, qui prope adsit, presbytero vicem infirmi, ubi opus erit suppleturo (2). Ubi prorsus exinde convaluerint, rite ordinatis, nec sacrificare, nec alia obire munia iidem canones interdicunt.

CXIX. Quos insuper vel naturalis hebetudo ingenii, vel socordia facit omnis litteraturae expertes, ii etiam sunt irregulares. *Si quis ignorat, ignorabitur*, monet Apostolus (3). Si *in laicis vix tolerabilis videtur inscitia : quanto magis in iis, qui praesunt, nec excusatione digna est, nec venia?*, ait S. Leo (4). *Illitteratos* aequa lance, ut corpore vitiatos, Gelasius aestimat (5), et *inscios litterarum* synodus Toletana (6). Haec verba sat innuunt ignaros penitus litterarum nullo pacto Ordinibus idoneos, secus mediocri scientia praeditos (7). Quantam qualemque in singulis Ordinum gradibus debeant Episcopi scientiam exquirere, synodus Tridentina scite definit (8).

CXX. Fortunae defectus denique nonnullis haud raro impedit ordinationem ; servis praesertim (9), quoties domini non consentiant, et Regiae Curiae obnoxiis, vel publicae cuicumque functioni laicorum (10), ut ne iura dominorum, aut regius famulatus, aut respublica defraudarentur. Divus Paulus Onesium Philemonis servum noluit sine consilio, et voluntate Philemonis secum retinere ministraturum in vinculis Evangelii, quem suum ipse filium in vinculis genitum appel-

(1) Alexand. II., et Gelasius in *cit. can. 1., et 2. C. VII. qu. 2.*

(2) Syn. Tolet. XI. in *can. illud divini oraculi 15. C. VII. qu. 1.* Pio Papae Gratianus inscribit *can. communiter diffinimus 3. dist. 33.*, quo cautum ut obsessis, et epilepticis post unius anni experimentum convalescentiae valeat Episcopi discretio removere suspensionem ab ordinibus, et officiis morbo illatam. Sed ex apocrypha pseudo-Isidori officina canon hic prodiit.

(3) *Ep. 1.* ad Corinth., *cap. 14. vers. 39.*

(4) S. Leo M. in *can. si in laicis 3. dist. 38.* Totus in hac eadem distinctione Gratianus est, ut necessitatem scientiae sacrarum litterarum, et canonum ostendat. In praecedenti *dist. 37.* an saecularium rerum peritia in clericis sit commendanda, pluribus disputat.

(5) Gelas. in *can. illiteratos 1. dist. 36.*

(6) Syn. Tolet. IV. in *can. qui in aliquo 5. dist. 51.*

(7) Innoc. III. Subdiaconum litteratura non eminenti, sed convenienti indutum ab electione Ecclesiae Capuanae non excludendum ex defectu scientiae censuit, *cap. cum nobis olim 19. de elect.*

(8) Trid. *sess. 22. c. 2., et sess. 23., c. 4. 11. 13., et sequent. de reformat.*

(9) Ex *can.* 81. vulgo Apostolor. ex tota Gratiani *dist. 54.*, *et* Decretal. *tit. de servis non ordinandis.*

(10) S. Greg. M. Episcopis Siciliae nunciavit legem a Mauritio Augusto latam, ut ne militiae, rationibusque publicis obligati, qui suarum pericula causarum fugiunt, ad ecclesiasticos Ordines, vel religiosum habitum admittantur, *can. 1. dist. 53.* Id quod ante iam rescripserat Innoc. I. Felici Episcopo Nuceriano in *can. designata 2., et can. praeterea 3. dist. 51.*, propter tribulationem Ecclesiae saepe obvenientem, ubi clerici curialibus functionibus antea obnoxii a Curia repetentur.

lat (1). Hinc servi ad Clericatum, invito domino promoti redhibitionem dabant prisci Ecclesiae mores, et canones (2), tum leges quoque Principum ea de re latae (3).

CXXI. Hoc in Regno synodus Melphiensis anno 1090. sub Urbano II. celebrata constituit, *ne servilis conditionis, aut curialium officiorum obnoxii ab Episcopis promoverentur in Clerum* (4). Rogerius I. Rex in comitiis Arianensibus anno 1140. inter alia edixit eos tantum-

(1) Apostolus *ep.* ad Philemonem.

(2) Ex *can. 81.* vulgo Apost., Synodus Eliberit. anno 305. *can. 80.* prohibuit libertorum quoque ordinationem, viventibus, invitisque patronis. Plures ea de re epistolas dedit Gelasius V. saeculo exeunte in *can. 9. ad 12. dist. 54.* Prima Synodus Aurelianensis anno 511., *can. 6.*, ut nullus saecularium ad Clericatus officium praesumat accedere, nisi aut cum Regis iussione, aut cum Iudicis voluntate.

(3) Leo, et Anthemius Imperatores saeculo V. rescripserunt, adscriptitios nonnisi consentientibus dominis possessionum ordinandos; servos autem, nonnisi post manumissionem, *l. iubemus 37. C. de Episc., et Cler.* At Iustinianus *Nov. 123. cap. 17.* imperavit posse adscriptitios, invito etiam domino Clericos fieri, dummodo per alios adimpleant post Clericatum onus agriculturae; servos vero scientibus, et non contradicentibus dominis, clericali charactere initiatos statim evadere ingenuos, et liberos. Tum eodem VI. saeculo exeunte Mauritius Imperator legem tulit, ne curiales, aut publicis rationibus obnoxii ad Clericatum, vel monasticam professionem transirent, iura fisci, et reipublicae fraudantes: quam legem S. Greg. M. publicavit, notamque fecit Episcopis, praesertim Siculis in *can. legem 1. dist. 53.* At idem Pontifex eam aegre ferens haec ad Mauritium scripsit *epist. 52. lib. 2. Ego Sacerdotes meos tuae manui commisi, et tu a meo servitio milites tuos subtrahis. Ego quidem eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci: et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per sugestionis meae paginam serenissimis Dominis nunciavi. Utrobique ergo, quod debui, exolvi: qui et Imperatori obedientiam praebui, et pro Deo, quod sensi, minime tacui.* Longobardorum etiam leges servum invito domino ad clericalem Ordinem promotum regredi servitutem iubebant, *lib. 1. leg. Longobar. tit. 33. cap. 1*, de qua Cironius in paratitlo *de servis non ordin.* Carolus M. capitular. *lib. 1. cap. 120.* liberis hominibus ad servitium Dei transitum, antequam a Rege licentiam postularent, ideo vetuit: *quia audivimus*, ait, *aliquos ex illis non tam causa devotionis, quam pro exercitu, seu alia functione reali fugienda hoc agere;* quosdam vero cupiditatis causa, regias exinde litteras pro initiandis clericatu, quas *praeccpta de clericatu* nuncupant, habet Marculfus *lib. 1. form. cap. 16*, ibique Bignonius, memorantque Cironius *ad paratit. de cleric. peregr.* circa finem, et Emman. Gonzal. in *cap. 1. de filiis presbyt. num. 11.*

(4) Roger. I. in *const. errores tit. 3.* de his, qui debent accedere ad Ordinem clericatus *lib. 3. const.* regni. *Errores eorum*, ait, *qui villanos quoslibet sine licentia dominorum ad Ordinem clericalem accedere regia constitutione dicunt esse prohibitum, interpretatione benevola corrigentes decernimus, eos tantum villanos praedicta constitutione fore prohibitos clericari, qui personaliter, intuitu personae suae scilicet, servire tenentur, sicut sunt adscriptitii, et servi glaebae, et huiusmodi alii. Qui vero respectu tenimenti, vel alicuius beneficii servire debent, si voluerint ad Ordinem Clericatus accedere, liceat eis sine voluntate etiam dominorum, prius tamen his, quae tenent a Dominis suis, in eorum manibus resignatis.*

modo villanos a clericatu prohiberi, qui vel ad personalia servitia essent in perpetuum mancipati, vel glebae adscripti. Qui vero ad annuam praestationem rerum, vel ad aliquod personale servitium intuitu feudi, vel terrae in fundum acceptae obstringerentur: eos renunciata domino terra, feudoque, posse ad clericatum, invito etiam domino transire (1). Ex ista constitutione Rogeriana videtur mos regni manasse, quo feudatarii, seu barones feuda possidentes, eorumque filii ad paterna feuda successuri clericalem rite si acceperint tonsuram, feuda, et ius omne in eis quaesitum, vel quaerendum ipso facto amittunt: nisi Rex iis dispensationem indulserit retinendi feuda in statu etiam clericali (2). Nam clerici saeculares, quemadmodum et professi ordinum Regularium servitia quum ordinaria, tum extraordinaria, directo feudorum domino Regi prohibentur armis bellicis exhibere. Et quamvis hoc in regno feudatarii *adoham*, annum nempe censum, Regi persolvunt pro servitio ordinario equitis armati: nihilominus servire adhuc personaliter in extraordinariis belli necessitatibus obstringuntur, et Regem dominum bello ab inimicis lacessitum armis et personali famulatu adiuvare. In Melphiensi tum conventu Fridericus II. anno 1231. vetuit, ne sine voluntate dominorum adscriptitii ad clericalem Ordinem adsumerentur, nisi quem alicubi ex praefixo Sacerdotum numero deficientem necessarius Ecclesiae famulatus postularet: alias ad suam pristinam redire conditionem cogerentur (3). Adscriptitios feudistae nostri alio vocabulo solent *angarios*, *et parangarios* nuncupare, qui nimirum feuda incolunt cum onere praestandi serviles domino feudi operas vel accepto pretio, si angarii tantum: vel gratis, dum parangarii quoque sint, ab *angendo* dicti. Insuper *capite censitos*, qui tributum foculare quotannis regiae Curiae persolvunt in suo quisque domicilio princeps cuiusque familiae.

CXXII. Dubitaveris, an hisce moribus, legibusque municipalibus adversetur decretum Tridentinum. *Docet porro sacrosancta synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et ceterorum Ordinum, nec populi, nec cuiusvis saecularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio: quin potius decernit eos, qui tantummodo a populo, aut saeculari potestate, ac magistratu vocati, et instituti ad haec ministeria exercenda accedunt, et qui ea propria temeritate sumunt; omnes non Ecclesiae ministros, sed fures, et latrones*

(1) Syn. Melphiens. *can. XI. in collect. Labbaeana*, et apud Thomass. *par. 2. lib. 3. cap. 107. num. 3.*

(2) Id quod ex generalibus etiam consuetudinibus, legibusque feudorum vigere monet Gloss. in *cap. 1. §. qui clericus sub tit. si de feudo defuncti, et in cap. un. de milite, qui arma bellica deposuit.*

(3) Frid. II. *lib. 3. const. tit. 2.* de vassal., alias de villanis non ordinandis. *Adscriptitios sine voluntate, et assensu eorum, quorum iuri subditi sunt, et potestati, nullus Episcoporum ordinare praesumat. Ili quorum adscriptitii sunt, si quod proemium ob licentiam ordinandi, vel consecrandi suscepisse convicti fuerint, ius adscriptitium perdant, et qui dederit pecuniam, ab Ordine*

per ostium non ingressos , habendos esse (1). At integra si mente consideremus in recitatis verbis illud *ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio* , illudque aliud *tantummodo :* fateamur oportet fidei doctrinam de charactere valide impresso ex sola episcopalium manuum impositione a sapientissimis Patribus definitam damnatis haereticorum ea in re erroribus : disciplinam vero mobilem de moribus , legibusque civilibus , quae nonnullis ordinationem impediunt , sacris etiam canonibus innixae, intactam eos reliquisse ex variis locorum consuetudinibus, statutisque vel probatis , vel toleratis. Eamque potius firmasse , quam abrogasse videtur eadem Synodus ipsa oecumenica , dum vetat palam, *ne prima tonsura initientur ii, de quibus probabilis coniectura non sit eos non saecularis iudicii fugiendi fraude , sed ut Deo fidelem cultum praestent , hoc vitae genus elegisse.*

CXXIII. Expendendum superest Concilii Romani sub Benedicto XIII. decretum, his verbis conceptum : *Non sunt insuper ullo modo ferenda, quae a Dominis quibusdam temporalibus iniuriosa noscimus contra ecclesiasticam libertatem inducta praeiudicia. Mittentes enim ipsi cum Ozia manus in sacra thuribula , in iuvenes nempe Deo consecrandos , eos , minis , ac metu incussis , ab Ecclesiae ineundo servitio retrahunt , qui clericali se militiae appetunt initiari. Supplices namque ab his praesumunt sibi offerri libellos , et dum placet , aut voce , aut scripto , ut ad Episcopos se conferant ordinandos , licentiam impertiuntur. Huiusmodi nos volentes audaciam cohibere , excommunicationis poenam ferimus latae sententiae , Episcopis respective reservatam , tam contra Dominos temporales ipsos , qui directe , vel indirecte , mediate , vel immediate praedicta adhuc praesumpserint attentare , quam contra laicos promovendos , vel eorum consanguineos , si per se , vel per alios licentiam ipsam in posterum umquam audeant impetrare* (2).

CXXIV. Procul habens partium studia, ingenue aio Benedictum XIII. cohibere immodica dumtaxat obstacula , quae Barones , temporalesque domini ultra fines iam dictis canonibus , et legibus constitutos ordinationibus interiiciant per abusum, nempe subditis citra ullam tributi focularis , et laici fori , regiaeve Curiae fraudem ad militiam clericalem transeuntibus : non alia moderata , et legitima in fraudolentis ordinationibus. Traditur enim Episcopos regnicolas saepe commonitos litteris fuisse tum a Sacra Congregatione Concilii , tum a Delegato Regalis

motus fisco nostro cum rebus omnibus iure vindicetur. Ne tamen sinistrum aliquod aliquando possit nostris constitutionibus obviare, si forte in rure , vel in vico Ecclesia constituta assignatos habuerit Sacerdotes , quibus decedentibus sunt aliqui subrogandi , et pertinaces Domini ruris , vel vici super adscriptitiis fieri subrogationem negaverint: praesertim cum ex ipsis adscriptitiis persona idonea Sacerdotio ab Episcopo expetatur : dignum clementiae nostrae videtur , atque iustissimum ad iustam petitionem Ecclesiae adscriptitiorum dominum iure cogendum. Filii adscriptitii redeant ordinati ad ascriptiorum conditionem , omni occasione remota.

(1) Trid. *sess. 23. de sacram. Ord. cap. quoniam vero 4.*

(2) Conc. Roman. *tit. 28. de immunitate cap. 3.*

Iurisdictionis, ut ne unicos familiarum superstites, aut capita domorum clericali tonsura initiarent. Praeterea, quoties integrum sit regni Baronibus, et Communitatibus regias postulare litteras, Episcopis vetituras ordinationem unicorum, capitumque familiarum ex inveteratis regni monibus: nil aliud obstat, quin suam sortiatur executionem istud Concilii Romani decretum. Ratio hinc liquet, cur obnoxii tributo foculari, et quibuslibet functionibus fiscalibus, Curiaeque Regiae oneribus necesse habeant ab Rege postulare licentiam, quae nonnisi re cognita, et consentiente loci Communitate, et ubi Ecclesiae necessitas, vel utilitas urgeat, solet raro indulgeri. Ad evitandas vero fraudes legum eiusmodi, et morum, cuiusque ordinationi praemittuntur in parochiali Ecclesia publicationes nominis, et desiderii singulorum promovendorum (1), quae locum dat Communitatibus, et concivibus, et Baronibus obiiciendi fraudes, ubi contigerint, legibus, moribusque prohibitas.

TIT. XI.

De Sacramento Matrimonii.

I. Perpetuam humani generis propagationem in duplici sexu ad id creato, iugatoque D. O. M. instituit.

II. In sancta progenie Patriarcharum nuptias consanguineorum probas efficiebat paterna benedictio, praesignans accessuram eis benedictionem sacramentalem.

III. Unius cum una coniugium prima lex divina statuit, violata primum a bigamo Lamech. Mysterio fidei ancillam ab uxore sterili oblatam superduxit Abraham, dein poligamiam Patriarchae inculpatam, hebraeique, indulgente Moyse, usurparunt.

IV. Christus, monogamia restituta, Sacramentum instituit in legitima coniunctione individua maris, et foeminae.

V. In multos, et varios de matrimonio errores cum idolatris prolapsi Nicolaitae, Marcionitae, aliique haeretici sunt.

VI. Sacramenti naturam in matrimonio fidelium commonstrant divina institutio, benedictio sacerdotalis, et gratia spiritalis.

VII. Ritum nuptialis benedictionis Apostolo duce Patres ore uno tradunt.

VIII. Plures olim caeremoniae ad sacerdotalem benedictionem accedebant, nunc nuptialis fidei annulo complentur.

IX. Formam Sacramenti exhibent verba Parochi sponsos benedicentis mutuo utriusque consensu audito.

(1) Ex decreto S. Congr. Card. negotiis iurisdictionalibus Regni Neapolitani praeposita, lato kalendis Iulii 1623., quod speciali oraculo, vivaque voce Greg. XV. id iussit Regni Archiepiscopis, Episcopis, et inferioribus Praelatis, quodque innovant Concordata initio *cap. 4.*

X. Posterior alterutrius contrahentium consensus vim formae sacramentalis nequit plane habere.

XI. Mutuus sponsorum consensus materiam proximam, eorumque personae remotam suppeditant Sacramento.

XII. Negantes matrimonium Sacramentum esse a Christo institutum anathematizat synodus Tridentina.

XIII. Ab Eugenio IV. causa efficiens quoque dictus est mutuus sponsorum consensus.

XIV. Duplici matrimonium vinculo constat, legitimo, seu profano consensus mutui, et rato, seu sacro parochialis benedictionis.

XV. Usum coniugii legitimi cum coniuge infideli fas est fidelibus post Baptismum retinere, aut dissolvere.

XVI. Legitimum coniugium, quod parochiali benedictione non fiat ratum, et sacrum, dissolvi utique potest.

XVII. Indita ei natura contractus mutuum, et liberum utriusque consensum, ut valeat, omnino postulat.

XVIII. Clandestina hinc olim coniugia solus coniugum consensus firmabat.

XIX. Ut nonnisi publicae valeant desponsationes, conspirarunt quum Ecclesiae, tum Principum leges.

XX. Usque ad comitia Tridentina clandestinas nuptias mutuo consensu initas valere, quamvis illicitas censuit Ecclesia.

XXI. Praesumptum quoque matrimonium ex unione corporum, et usu coniugali probabat.

XXII. Concubinatum probrosum detestata semper est.

XXIII. Legitimas tamen uxores affectu coniugali ductas appellare concubinas prisci Patres consueverunt.

XXIV. Constantinus M., et subsecuti Principes concubinatum vertere in matrimonium probe studuerunt.

XXV. Exinde vocabulum concubinae male sensim sonuit.

XXVI. Tandem lex Tridentina praesentiam Parochi, et testium sanxit in publicis desponsationibus sub poena nullitatis.

XXVII. Parochus inde primarium testem agit contractus coniugalis, et ministrum simul Sacramenti.

XXVIII. Praesentia Parochi, et testium humano modo, qui scilicet videant, et intelligant, ad matrimonii valorem sufficit, quamvis inviti adfuerint: secus si non intelligant, nec videant.

XXIX. Parochus proprius is est, in cuius parochia, vel alteruter, vel uterque sponsorum actu domicilium habent.

XXX. Post comitia Tridentina matrimonium fit legitimum *ex consensu explicito coram Parocho, et testibus,* ratum *ex accessione parochialis benedictionis, quae rite impertienda est.*

XXXI. Qui omissis solemnitatibus tridentinis coram invito, aut

per vim, dolumque adscito Parocho matrimonium contrahunt, quod clandestinum improprie dicitur: in utroque foro ecclesiastico, et laico puniuntur.

XXXII. Matrimonia item conscientiae, *seu occulta quandoque omissis ritibus publicis ex apostolica dispensatione valent.*

XXXIII. Haec tamen ut proba fiant, nullamque cuilibet iniuriam, vel fraudem iuri faciant, plura cavit Benedictus XIV.

XXXIV. In regionibus reformationem Tridentinam non amplexis nuptias clandestino sponsorum consensu legitimas tolerare suevit Ecclesia.

XXXV. Sponsorum consensu, nonnisi verbis de praesenti apertissimis, aut mutorum signis certis explicari oportet.

XXXVI. Perfecta sexuum coniunctio consummatum *efficit, ac indissolubile matrimonium: quod ante consummationem dissolvere quandoque fas est.*

XXXVII. Nullam omnino patitur dissolutionem foedus matrimonii ex causa etiam adulterii.

§ I. De divortio.

XXXVIII. Matrimonii, et foederis coniugalis vinculum ex divortio thori, quantumvis legitimo dissolvi nunquam potest, etiam ex causa fornicationis.

XXXIX. Secundas post divortium nuptias ex miseratione aliqui Patrum tolerarunt, nonnumquam probavit nemo.

XL. Civiles Principum leges divortium ex adulterii causa probantes ad tolerandas secundas nuptias, vivente adultera dimissa impellebant.

XLI. Iis at legibus evangelicam obiicere veritatem Patres Ecclesiae sanctiores non omiserunt.

XLII. Secundas ideo nuptias eiusmodi, ut improbas, et illicitas in foro interno Ecclesia semper damnavit.

XLIII. Erroneam hac in re opinionem Graecorum corrigere Eugenius IV. studuit.

XLIV. Validum, an non sit matrimonium huius cum illa: ecclesiasticus iudex tantum cognoscit, ac definit.

XLV. Idemque ex causis legitimis praesertim fractae fidei coniugalis divortium thori permittit, vel sine causa digressos ad obsequia coniugalia cogit censuris.

XLVI. Causa divortii probanda rite in foro ecclesiastico est, antequam liceat coniugem dimittere.

XLVII. Haeresis, vel apostasia iustam dat divortio causam.

XLVIII. Haud facile indulgendum est divortium ex asperis moribus citra thori violationem, et fidei.

*

XLIX. Saevitia, insidiaeque ad necem locum saepius dant divortio.

L. Vinculum matrimonii perpetuum sola mors naturalis divino iure dirimit: civilis non item.

LI. Ut Graeci etiam a divortio foederis abstineant, Ordinarii locorum satagant.

LII. Iudaeis etiam nefas nunc est dare libellum repudii, coniugiique foedus dissolvere, mosaycis ritibus Evangelio abrogatis.

§ II. De secundis nuptiis.

LIII. Secundas cuique nuptias, et ulteriores mortuo coniuge Lex divina permittit.

LIV. Montanistae eas criminabantur.

LV. Monogamiam nihilominus, bigamia, perinde ac virginitatem matrimonio, laudabiliorem aestimat Ecclesia.

LVI. Intra luctus annum nubentes Ius civile variis poenis coerceat.

LVII. Infamiae tantum poena iis ex Iure sacro decretalium deleta est.

LVIII. Ceterae viduarum poenae aequo citius nubentium adhuc vigent.

§ III. De sponsalibus.

LIX. Coniugalem societatem conciliant sponsalia, mutua scilicet promissio futurarum nuptiarum.

LX. Ea in iudicio plene probantur vel dotali instrumento, vel testimonio Parochi, aut testium idoneorum.

LXI. Neutri sponsorum licet, invito altero, a data fide resilire, quam implere coniugio praesenti cogitur vir contumax, mulier autem monenda, non cogenda est.

LXII. Irrita, vel rescindenda ob causam sunt sponsalia. Ea faciunt irritae causae permultae.

LXIII. Plures aliae dissolvunt, ac rescindunt.

LXIV. Quae datam fidem secundis sponsalibus fregerit semel, virum a pactione, non seipsam liberat. Priora tamen sponsalia fere praepollent posterioribus.

LXV. Vix matrimonium cum secunda de praesenti initum priora dissolvit sponsalia.

LXVI. Iustus parentum dissensus locum quoque dat rescissioni sponsalium, praesertim inter personas imparis conditionis.

§ IV. De impedimentis.

LXVII. Ex triplici iure profluunt impedimenta matrimonii, scilicet naturale, civile, et ecclesiastico.

LXVIII. Dirimentia septemdecim ex causis quatuor, scilicet defectu consensus, *invalida* natura, *respectu* sanguinis, *sanctitate* religionis *obvenientia novis sex versiculis clauduntur.*

LXIX. In primis error *circa* personam, *vel* statum *dirimit matrimonium, secus circa nomen, aut qualitatem.*

LXX. Servilis autem status ineunti nuptias notus non obstat.

LXXI. Si defecerit conditio, *item dirimit.*

LXXII. Si deficiat conditio, *vel* honesta, *vel coniugii substantiam* destruens, *ea illud dirimit: turpis, et impossibilis non item.*

LXXIII. Simulatio *dirimens quoque impedimentum est.*

LXXIV. Quemadmodum et dementia, *seu furor.*

LXXV. Vis, *et metus gravis virum constantem terrefaciens.*

LXXVI. Raptus *quoque ad primi generis impedimenta pertinent.*

LXXVII. In secundo dirimentium genere natura invalida *est, seu corporis habitudo ad perfectam commixtionem sexuum inepta.*

LXXVIII. Simul et impubertas.

LXXIX. In tertio consanguinitas *ad quartum usque gradum.*

LXXX. Nedum carnalis, sed etiam spiritualis *ex Baptismo, et Confirmatione obveniens.*

LXXXI. Necnon legalis.

LXXXII. Affinitas *etium primi dumtaxat generis.*

LXXXIII. Honestas *publica ex sponsalibus de futuro, et matrimonio rato consanguineorum.*

LXXXIV. In quarto genere est cultus disparitas.

LXXXV. Ordo sacer *subdiaconatus Latinorum, aut diaconatus Graecorum.*

LXXXVI. Professio *solemnis votorum regularium.*

LXXXVII. Foedus stans, *seu vinculum prioris matrimonii non dissolutum.*

LXXXVIII. Clandestina *desponsatio contra formam Tridentinam.*

LXXXIX. Crimina *dupla*, homicidium *coniugis nuptias cum superstite ineundi studio, et* adulterium, *aut cum coniugii futuri promissione, aut cum machinatione coniugem interimendi.*

XC. Dirimentia impedimenta statuit Ecclesia.

XCI. Simplicia non dirimentia ex Iure ecclesiastico obveniunt.

XCII. Ex Civili etiam Iure communi, et municipali.

XCIII. Neapolitani Principes feudatariis, et proditorum filiis coniugia interdixerunt, nec non militibus.

§. V. De dispensationibus.

XCIV. Simplicia impedimenta amovet Episcopi dispensatio, excepto iure sponsalium praecedentium, et voto perpetuae castitatis, aut religionis pontificiam dispensationem postulante.

XCV. Dirimentia tam ex defectivo consensu, quam Iure divino, ac naturali nullam ferunt dispensationem, cetera Iuris humani auctoritate Sedis Apostolicae tolluntur.

XCVI. Probus apostolicarum dispensationum usus pro coniugiis consanguineorum intra gradus prohibitos a Tridentina synodo definitus commendatur.

XCVII. Quam in ea Synodo oecumenica Pius IV. malebat dispensationem in quarto gradu Episcoporum arbitrio dimittere, Patres eam Apostolicae Sedi reservatam, et reservandam censuerunt.

XCVIII. Publicas dispensationes apostolicas largitur Dataria, vel Secretaria Brevium, occultas sacra Poenitentiaria.

XCIX. Pietas, necessitas, utilitas causam dant legitimis, et canonicis dispensationibus.

C. Super impedimentis quinque solet eas Dataria largiri, super aliis Secretaria Brevium rarissime, ac difficilius.

CI. Cancellariae Regula conditionalem adponi clausulam imperat in dispensationibus coniugalibus.

CII. Cultus disparis impedimentum quoque tollitur dispensatione Sedis Apostolicae.

CIII. Nec non Ordinis Sacri.

CIV. Quemadmodum et regularis, ac solemnis voti.

CV. Stans foedus matrimonii consummati nullam patitur dispensationem. Secus est de matrimonio tantum rato.

CVI. Clandestinum, spreta forma Tridentina, inire coniugium indulgetur nemini, nec super impedimento criminis ob secutam coniugis mortem, utroque, vel altero eam machinante.

CVII. Occultas dispensationes ad contrahendum, vel remanendum in matrimonio, nonnisi ex causis canonicis sacra Poenitentiaria largitur.

CVIII. Praeterquam in primo, et secundo gradu consanguinitatis, nisi post decennalem cohabitationem coniugum rite desponsatorum, sine scandalo ob occultum impedimentum.

CIX. Quandonam ea dispensat super occulta affinitate, tradit Benedictus XIV.

CX. Nec non super occulto criminis impedimento.

CXI. In rebus dubiis extraordinariam a Summo Pontifice facultatem petit, et obtinet S. Poenitentiaria.

CXII. Apostolica Sede vacante, perpetuum M. Poenitentiarii officium potentius viget.

CXIII. Clausulas conditionales in litteris S. Poenitentiariae adiectas impleri omnes oportet, ut suum eae sortiantur effectum.

CXIV. Quae in casibus tantum occultis vim habent in foro conscientiae.

CXV. Iisque litteris ab Episcopo ignoratis, ipse, detecto impedimento, in coniuges recte animadvertit separatione thori, et censuris ecclesiasticis.

CXVI. Dioecesanis etiam Episcopis ius est dispensandi quandoque super occultis dirimentibus, ubi sex rerum adiuncta simul concurrerint.

CXVII. Apostolicae dispensationes quum Datariae, tum S. Poenitentiariae prolem natam, et nascituram insimul declarant legitimam.

CXVIII. Eaeque proli propterea suffragantur, etiamsi ante ipsarum executionem intercesserit mors alterutrius coniugum.

§ VI. et ult. De iudicio vinculi coniugalis.

CXIX. Causae de impedimentis matrimonia dirimentibus in foro tantum ecclesiastico, et ritu ordinario aguntur.

CXX. Formam iudicii in eiusmodi causis de nullitate matrimonii observandam, et qualitates iudicum edixit Benedictus XIV,

CXXI. In gradu appellationis eas extra Curiam Romanam fore, nonnisi Episcopo viciniori, vel Metropolitano, vel iudicibus synodalibus delegandas iubet.

CXXII. Pactum non appellandi a prima sententia pro nullitate irritum facit, et proscribit.

CXXIII. Et defensorem validitatis matrimoniorum, aeque in primo, atque ulterioribus gradibus esse omnino audiendum praeterea statuit.

I. Coniugium humano generi propagando institutum a Deo, ignorat nemo. Dum initio mundi *creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum, et foeminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: crescite, et multiplicamini* (1). Idemque mulierem ex Adae costa aedificatam *adduxit* ad eum, qui divino instinctu societatem coniugii arctissimam explicuit, aiens: *adhaerebit homo uxori suae, et erunt duo in carne una* (2). Mox, diluvio imminente, suum Dominus dans foedus Noe viro iusto, perfectoque, *ingredieris*, inquit, *arcam tu, et filii*

(1) Genesis *cap. 1. vers. 28., et cap. 5. vers. 2.*
(2) Ibidem *c. 2. v. 23.*

tui, *uxor tua*, *et uxores filiorum tuorum tecum, et ex cunctis animantibus, bina induces in arcam, ut vivant tecum, masculini sexus, et foeminini* (1). Tum ex arca post diluvium egressis, *benedixit Deus Noe, et filiis eius, et dixit ad eos: crescite, et multiplicamini* (2). Qui acceptam semel uxorem despiceret, iustam in re vindictam irati Domini promeruisse nunciatur a Prophetis. *Disperdet Dominus virum, qui fecit hoc*, Malachias ait (3), *quia Dominus testificatus est inter te, et uxorem pubertatis tuae, quam tu despexisti: et haec particeps tua, et uxor foederis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus eius est? Et quid unus quaerit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, et uxorem adolescentiae tuae noli despicere.*

II. Sacri etiam coniugii sanctitas, et dignitas in utroque Testamento commendatur, quod nuptias cuiusque Deum timentis divina quum benedictione auctas ostendit, tum lege imperatas, probatasque (4). Ætas mundi prima post lapsum Adae duas quum stirpes haberet; alteram sanctam filiorum Dei, quos ita sacer textus appellat progenitos de sanguine Seth Deum timentes, improbam alteram filiorum hominum ex Caino: sacrae Litterae iratum exin continuo Deum ferunt, quod filii Dei filias hominum accepissent sibi uxores (5). Statuto post foedere cum Abraham fidelissimo Deus O M. quum in semine illius fore omnes gentes terrae benedicendas spopondisset (6), eiusque stirpem sanctam cultui destinasset suo: ea ut ipsa coniugibus unius, eiusdemque cognationis propagaretur, iussit, alienigenis foeminis procul habitis. Nam suo ipse Abrahamus filio Isaaco uxorem, non de filiabus Chananaeis, inter quas habitabat, sed sua de cognatione adscivit (7). Mox pater hic Isaac filio suo Iacob benedicens praecepit, ne coniugem acciperet de genere Chanaan, sed de filiabus Labani avunculi sui: *ut Deus det tibi*, ait, *benedictiones Abrahae, et semini tuo post te* (8). Lex inde mosayca quum nuptias inter contribules, cognatosque imperasset generatim (9): Raguel, ut legi obtemperaret, filiam suam adolescentulo

(1) Ibidem *cap. 6. vers. 18., et 19.* — (2) Ibidem *cap. 9. vers. 1., et 7.*

(3) Malach. *cap. 2. vers. 12., 14., et seqq.*

(4) Numeror. *cap. 36. vers.* 7. *Omnes viri ducent uxores de tribu, et cognatione sua, et cunctae foeminae de eadem tribu maritos accipient: ut hereditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur tribus.* Dein Deuteron. *cap. 25. vers. 6., et 7. Uxor* fratris absque liberis defuncti *non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, et suscitabit semen fratris sui, et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Israel.*

(5) Genesi *cap. 6.* Ante diluvium ab imperata generis multiplicatione abstinuisse neminem reperiri, S. Augustinus monet *lib. 15. de Civ. Dei cap. 20.*

(6) Genes. *cap. 12. vers. 3. et 18., cap. 18. v.* 22.

(7) Genes. *cap. 24.* — (8) Genes. *cap. 28.*

(9) Numeror. *cit. cap. 36.*, et Deuter. *cap. 25.* Auctor *quaest.*, *et resp. ad orthodoxos*, sub S. Iustini nomine latens, *qui 90. Si pia ratione*, inquit, *permoti Patriarchae, et sibi ipsis, et liberis suis uxores ex propria cognatione acceperunt: quomodo non praeter pium progenitorum propositum Ioseph, et Moyses fecerunt, hic Ægyptiam, iste Madianitidem uxorem ducendo?* Respondent: *Si veriti Patriarchae ne filii a pietate avocarentur, minime eis permi-*

Tobiae consanguineo suo dedit nuptui, et *apprehendens filiae suae dexteram, dexterae Tobiae tradidit*, dicens: *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob vobiscum sit, et ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis* (1). Sponsum at Raphael Angelus Domini ita praemonuit: *Accipies virginem cum timore Domini amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahae benedictionem in filiis consequaris.* Vir etiam Booz rite suas cum Ruth nuptias a benedictione auspicatus invenitur (2). Divina eiusmodi legitimarum nuptiarum institutio, et ritualis parentum benedictio in veteri Testamento futuram divinae benedictionis gratiam praesignavit sacramentalem novi Testamenti. Nam Christus tandem praesentia sua sanctificante, primoque signo in Cana Galileae adesse nuptiis dignatus est (3), iam iam Sacramenti gratiam largiturus: dein Pharisaeis disputantibus divinam indissolubilis coniugii institutionem ore promulgavit suo (4).

III. Unius cum una societatem coniugalem ea lex prima indixit. Sed eam ipsam primus omnium violavit vir maledictus Lamech, e sanguine Caini progenitus quinto gradu, *qui accepit duas uxores* (5). *Si mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (6): iustitia naturalis non patitur ius istud in bina corpora mutuum alienari, neque in plura distrahi, quae suum cuique reddendum iubet. Mysterium fidei, ad quam praedestinati a Deo fuere non modo liberae, sed ancillae quoque filii (7), tam scilicet hebraei, quam cuncti gentium po-

serunt, ut ex gentibus uxores ducerent: Moses autem, et Ioseph hoc metu superiores erant.... nam illos non modo uxores a pietate non averterunt, sed etiam suas ipsi uxores ad propriam transtulerunt pietatem.

(1) Tobiae *cap. 6. vers. 22., et cap. 7. vers. 15.*

(2) Ruth *cap. 4. vers. 11., et seq. Respondit omnis populus, et maiores natu, nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quae ingreditur domum tuam, sicut Rachel, et Liam, quae aedificaverunt domum Israel. . . . fiatque domus tua, sicut domus Phares, quem Tamar peperit Iudae, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella.*

(3) Ioannis *cap. 2. Nuptiae factae sunt in Cana Galileae, et erat Mater Iesu ibi: vocatus est autem Iesus, et discipuli eius ad nuptias.... fecit initium signorum Iesus in Cana Galileae, et manifestavit gloriam suam.*

(4) Matthaei *cap. 19.*

(5) Ex Genesi *cap. 4. vers. 29.* De eo loquens Tertull. *lib. de monogamia cap. 5., vim passa est*, inquit, *institutio Dei per Lamech.* Idemque *lib. de exhort. castit. cap. 6.* addit: *Numerus matrimonii a maledicto viro coepit; primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.* S. Hieronymus *lib. 1. adv. Iovinian. cap. 8.*, in *can. quomodo virginibus 10. C. 31. qu. 1. Una costa a principio in unam uxorem versa est, et erunt duo in carne una, non tres, neque quatuor: alioquin non iam duo, sed plures. Primus Lamech sanguinarius, et homicida unam carnem in duas divisit uxores: homicidium, et bigamiam eadem cataclismi poena delevit.*

(6) Uti docet Apostolus *ep. 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 4.*

(7) Idem Paulus *ep.* ad Galatas *cap. 4. vers. 22. Scriptum est enim*, ait, *quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem: quae sunt per allegoriam dicta. Haec enim sunt duo te-*

puli uno utriusque Testamenti foedere in una, eademque Christi Ecclesia coniungendi ; mysterium id inquam in causa fuit, ut fidelissimus Deo Abraham, divino instinctu ancillam a sterili coniuge Sara oblatam superduxerit uxorem (1) ; dein Iacob, aliique Patriarchae sanctissimi, absque ulla probatae innocentiae labe, plures quoque acceperint uxores (2) ; tum Moyses censuerit nulla poligamiam lege prohibere, dum repudium ob duritiam cordis permisit hebraeis (3).

stamenta.... Itaque fratres non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit. S. Iustinus in *dialogo* cum Tryphone Iudaeo *n. 141.* scribit *Patriarchas, non ut moecharentur, plures uxores habuisse: sed dispensationem quamdam, et mysteria omnia per eos fuisse peracta.* Inn. III. in *can. 8. de divort.*

(1) Genesis *cap. 16. vers. 1., et seq. Igitur Sarai uxor Abram non genuerat liberos : sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit marito suo: ecce conclusit me Dominus, ne parerem : ingredere ad ancillam meam, si forte ex illa suscipiam filios : cumque ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos decem, quam habitare coeperat in terra Chanaan : et dedit eam viro suo uxorem, qui ingressus est ad eam.* S. Augustinus *de Civ. Dei lib. 16. cap. 25.*, *nulla hic*, docet, *cupido lasciviae, nulla nequitiae turpitudo. Ab uxore causa prolis ancilla marito traditur, a marito causa prolis accipitur, ab utroque non culpae luxus, sed naturae fructus exquiritur.* Alibi *lib. 22. contra Faustum* Manichaeum (qui Abraham insanae libidinis, et incredulitatis ausus est criminari) *cap. 32.* haec idem sanctus Doctor explicat : *Recenseant Scripturae superiora testimonia, inveniant semini Abraham iam fuisse promissam terram* (Genes. *cap. 12. v. 9.*), *nondum tamen fuisse patefactum, quomodo illius seminis esset futura propagatio; utrum, ex carne Abrahae, si de se ipse generaret, an ex voluntate, si aliquem forte adoptaret. Deinde si ex carne ipsius ; utrum ex Sara, an ex alia, prorsus nondum manifestum fuit. Abraham cum sibi videret non nasci filios, et tamen semini suo factam promissionem teneret, primo de adoptione cogitabat vernaculi sui, dum ait :* hic haeres meus *erit.... Tunc ergo Abraham audivit a Domino* : non erit hic haeres tuus, sed qui exibit de utero tuo, ipse erit haeres tuus, Gen. 15. *Iam tunc adoptionis cogitatione sublata, cum de seipso speraret semen, restabat incertum, utrum ex Sara, an ex alia, quod illi Deus occultare voluit, donec prius ex ancilla vetus Testamentum figuraretur.*

(2) Iacob quatuor habuit uxores, Liam, et Rachelem, duasque ambarum ancillas Zelpham, et Balam, Genes. 29., et 30. De illo sic Augustinus *lib. 16. de Civ. Dei cap. 33. n. 3. Unde autem illi acciderit quatuor habere foeminas, cum earum nullam concupisset illicite, divina Scriptura indicat.. Ad unam quippe accipiendam venerat, sed cum illi altera pro altera supposita fuisset, nec ipsam dimisit, qua nesciens usus fuerat in nocte, ne ludibrio eam videretur habuisse, et eo tempore, quando multiplicandae posteritatis causa plures uxores lex nulla prohibeat, accepit etiam illam, cui unî iam coniugii fidem fecerat. Quae cum esset sterilis, ancillam suam, de qua filios ipse susciperet, marito dedit : quod etiam maior soror eius, quamvis peperisset, imitata, quoniam multiplicare prolem cupiebat, effecit. Nullam Iacob legitur petiisse, praeter unam, nec usus plurimis, nisi gignendae prolis officio, coniugali iure servato, ut neque hoc faceret, nisi uxores eius id fieri flagitassent, quae corporis viri sui habebant legitimam potestatem. Genuit ergo duodecim filios, et unam filiam ex quatuor mulieribus.* Idque, ut promissionem sibi a Deo factam impleret, Genes. 28., ibi : *Erit semen tuum, sicut arena terrae, et benedicentur in te omnes tribus terrae, et in semine tuo.*

(3) Deuteronomii *cap. 24.* Antea edixerat Moyses Deuter. *cap. 21. vers. 15.*,

IV. Lex demum evangelica obfirmato iam foedere omnium unius, eiusdemque fidei gentium cum filiis Abraham, abrupto velo sanctuarii, revelatoque simul mysterio, societatem coniugalem duorum in carne una restituit, reduxitque ad primam Naturae legem. Nam ubi ad Christum *accesserunt Pharisaei tentantes eum, et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex caussa? Qui respondens ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, et foeminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet. Dicunt illi. Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? ait illis: quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur* (1). Mox Apostolus hanc ipsam legem explicans addit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et in Ecclesia. Verumtatem et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum suum* (2). Itaque matrimonium in Ecclesia *est Sacramentum masculum, et foeminam mutuo consentientes rite coniungens ad individuam vitae consuetudinem.*

V. Extra Ecclesiam philosophos gentium obcoecans idolatria, in multiplices abduxit errores. Democritus, et Epicurus coniugium reprobabant, ut sollicitudinum, et tristitiae fontem uberiorem. Stoici, ut rem indifferentem habuere, nec bonam, nec malam: vix Peripateticis probum, et bonum illud esse contendentibus (3). Alii *ex illa credo*, addit Tertullianus (4), *maiorum, et sapientissimorum disciplina Graeci*

et seq. Si habuerit homo duas uxores, unam dilectam, et alteram odiosam, genueritque ex ea liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae.

(1) Matthaei *cap. 19. vers. 4.*, *et seq.* Marci *cap. 10.*, Apost. ad Ephes. *cap. 5. et 1.* ad Corinth. *cap. 6.* B. Chrysostomus in *can. hac ratione 9. C. 31. qu. 1.* haec habet: *Bene dixit, quia Moyses hoc permisit, non praecepit. Quod enim permittimus, nolentes praecipimus: quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus.*

(2) *Ep.* ad Ephesios *cap. 5. vers. 32.*

(3) Varias eiusmodi Philosophorum opiniones de Matrimonio refellit Clemens Alexandrinus *lib. 2. stromatum*, memoratque Fleury *lib. 4. histor. n. 39.*

(4) Tertullian. in *apologetico cap. 4.* Martiam Catonis minoris uxorem Philippus pater Hortensio despondit, praesente Catone, ac sponsalia comprobante. Theophilus Ep. Antioch. *lib. 3. ad Autolycum num. 6.* (post opera S. Iustini) scribit: *Primus quidem Plato, nominatim in primo de Republ. libro sancit, veluti quidam legislator communes esse omnium uxores, auctore utens Iovis filio, et Cretensium legislatore: quamvis ea res legibus prohiberetur*, praesertim Solonis adulterium cohibentis. Strabo *lib. 11.* etiam tradit Romanos habuisse morem suas aliis viris uxores elocandi, quum duos, tresve filios suscepissent ab illis.

Socratis, *et Romani Catonis uxores suas amicis concedebant, quas in matrimonium duxerant, liberorum causa.* Matronae simul Romanae consueverant in sacris Parrhasiae, seu Carmentae Deae tertio die post idus Ianuarii viros repudiare, ac novare (1). Indorum *Gymnosophistas*, qui nudi perhibentur philosophari in solitudinibus Indiae, a generando se cohibere scribit S. Augustinus (2). In eiusmodi errores, tam Naturae iniurios prolapsi turpius post Evangelium sunt haeretici, quos praevidens Apostolus ait (3): *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis daemoniorum, in hypocrisi loquentes mendacium, et cauteriatam habentes suam conscientiam, prohibentium nubere.* Nicolaitae, discipulique Carpocratis, et Epiphanis communes aeque mulieres, ac bona cetera malebant. Marcionitae nuptiis in odium Creatoris abstinebant, ut ne urbem replerent, quem non pro hominibus, sed pro ipsomet Conditore Deo factum delirabant. Tatianus, et Iulius Cassianus Valentini discipulus nuptias ideo damnabant, quod hominem ab oratione distraherent. Alii tandem quamlibet duorum sexuum unionem criminabantur, velut foedam et improbam, qui se imitatores Christi iactabant (4).

VI. Cuncta isthae fallentium hominum mendacia iam penitus diluit patens veritas Legis evangelicae (5), dum Sacramenti naturam plane attribuit Matrimonio fidelium. Quid enim? Divina institutio sacris utriusque Testamenti litteris exploratissima, ritusque sacrae benedictionis a filiis Abrahae olim, deinde in Ecclesia fidelium semper ministerio sacerdotali adhibitus ex apostolica Traditione, praeterea signum sensibile, et effectus gratiae sanctificantis palam id Sacramentum esse commonstrant.

VII. Benedictionis nuptialis ritum sacrum Apostolus procul dubio primus tradidit, ubi *Sacramentum hoc esse magnum*, ait, *in Christo, et in Ecclesia*, utque mulier libera, *cui vult, nubat, tantum in Domino* (6). In utraque porro Ecclesia quum Latina, tum Graeca Patres perpetuo, et unanimi testimonio benedictas a Sacerdote inter Missarum solemnia nuptias fidelium ferunt aevo abhinc martyrum, canonesque multos ea de re condiderunt pro locorum, et temporum necessitatibus. Tertullianus inter Latinos, *unde sufficiam*, inquit, *ad enarrandam felicitatem huius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignatum Angeli renunciant* (7). *Si Creatoris magna*

(1) Qua de re canit Ovidius *lib. 1. fastor. Mox honor exigitur, matronaque destinat omnis Ingratos nulla prole novare viros.*

(2) S. August. *de Civ. Dei lib. 15. cap. 20.*

(3) *Ep. 1.* ad Timoth. *cap. 4.*

(4) Eos cunctos carpit, contunditque Clemens Alexandrinus *lib. 3. stromat.*

(5) *Si acceperis uxorem*, docet Apostolus, *non peccasti. . . qui matrimonio iungit, bene facit*, 1. ad Corinth. *cap. 7. vers. 28., et 39.*

(6) I. ad Corinthios *cap. 7. vers. 39.*

(7) Tertullian. *lib. 2. ad uxorem cap. ult.* Idemque *de pudicitia cap. 4.* addit: *Penes nos occultae coniunctiones, non prius apud Ecclesiam professae, iuxta moechiam, et fornicationem periclitari iudicantur.*

sunt apud Apostolum Sacramenta : ego autem dico, *inquit*, in Christo, et in Ecclesia : *habet interpretationem, non separationem Sacramenti, ostendit fidem Sacramenti ab eo praeministratam, cuius erat utique Sacramentum.* S. Paulinus (1) : *Ille iugans capita amborum sub pace iugali — Velat eos dextera, quos prece sanctificat.* S. Ambrosius (2) : *Cum ipsum coniugium velamine sacerdotali, et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia ?* S. Siricius Papa (3) : *Illa benedictio, quam nupturae Sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.* Synodus Carthaginensis IV. (4): *Sponsus, et sponsa cum benedicendi sunt a Sacerdote, a parentibus, vel paranymphis offerantur, qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia benedictionis in virginitate permaneant,* S. Innocentius I. (5) : *Cum benedictio, quae per Sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutae doceatur.* S. Hormisdas (6) : *nullus fidelis, cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat : sed benedictione a Sacerdote accepta, publice nubat in Domino.* Nicolaus I. (7) : *Et primum quidem in Ecclesia Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manus statuuntur, sicque demum benedictionem, et velamen coeleste suscipiunt.* Idemque Gualdadam Lotharii non legitimam uxorem fuisse, *neque nuptiis secundum morem celebratis per benedictionem Sacerdotis Lothario* Imperatore Lotharii filio, *extitisse coniunctam.* Ceteri passim recentiores (8). Ex Graecis S. Basilius (9) matrimonium scite nuncupa-

(1) S. Paulin. *in epitalamio circa fin.* — (2) S. Ambros. *ep. 19.*, alias 23.

(3) S. Siricius *ep.* ad Himer. Tarracon. in *can. de coniugali 30. C. 27. qu. 2.* Ante Siricianas omitto, quia apocryphas hac etiam in re decretales SS. Evaristi, et Calisti apud Gratianum in *can. aliter legitimum 1. C. 30. qu. 5.*, *et can. consanguineorum 4. C 3. qu. 4.*

(4) Syn. Carthag. IV. in *can. sponsus 5. C. 30. qu. 5.* Ex more antiquo Romanorum nuptiis interponi auspices consuevisse, in sacellum omnis capiendi causa adeuntes, ferunt Cicero *lib. 1. de divinat.* et Valer. Max. *lib. 2. cap. 1. de nupt.*

(5) S. Innocent. I. *ep.* ad Victricium. Hanc sententiam mutatus S. Isidorus *lib. 2. de officiis cap. 19.*, ait: *Quod in ipsa coniunctione connubii a Sacerdote benedicuntur, hoc est a Deo in ipsa prima coniunctione hominis factum . . . Hac ergo similitudine fit nunc in Ecclesia, quod tunc factum est in paradiso.* S. Ildephonsus *lib. de haeresibus*, quem saec. VII. conscripsit, *haer. 9. Si malae sunt nuptiae*, inquit, *emendate Ecclesiae regulam : damnate, qui in toto orbe sunt, Sacerdotes nuptiarum initia benedicentes, et in Dei mysteriis sociantes.* — (6) Hormisd. in *can. nullus fidelis 2. C. 30. qu. 5.*

(7) Nicolaus I. ad consulta Bulgaror. in *can. nostrates 3. ead. C.*, *et qu. et can. Lotharius 4. C. 31. qu. 2.*

(8) Alexander III. *ep.* 22. ad Episcopum Hispalensem conqueritur *fideles* in eius dioecesi *non Christiano more absque sacerdotali benedictione, et Missa matrimonium contrahere.* Innoc. III. in Conc. Later. IV. *cap. cum inhibitio 3. §. tam si parochialis Sacerdos de cland. despons.* Honor. III. in *cap. consultationi 28.*, et Greg. IX. in *cap. is qui fidem 30. de sponsal, et matr.*

(9) S. Basil. *hom. 7. in hexamer.*

naturae vinculum, *iugum per benedictionem impositum*. B. Chrysostomus (1) : *et Sacerdotes vocare*, *et precibus*, *et benedictionibus concordiam coniugii constringere*. S. Cyrillus Alexandrinus (2): *nascituris gratia praeparatur*, *quando matrimonium*, *quod est aditus ad hanc vitam*, *benedicitur*. S. Gregorius Nazianzenus (3) : *animo*, *et voluntate adsum*, ait, *simulque festum celebro*, *iuvenilisque dexteras inter se iungo*, *atque utraque Dei manu*.

VIII. Ad immotam sacrae benedictionis substantiam accesserunt per accidens antiquae caeremoniae velaminis, vittae candidae, ac purpureae, annuli, et coronae. S. Ambrosius dictas inde nuptias monet, quod pudoris gratia se puellae obnuberent exemplo Rebeccae, velato capite ad sponsum Isaac progressae (4). Addit S. Isidorus ideo velari sponsas, ut se noscant subditas viris suis, et humiles, mox nubentes post benedictionem uno vittae vinculo copulari ad coniugalem ostendendam unitatem, simul annulum a sponso inseri quarto digito sponsae in mutuae fidei signum (5). *Coronant et nuptiae sponsos*, ex prisco Tertulliani testimonio (6). Cur ?, inquies ? B. Chrysostomus (7), *coronis sponsorum capita redimuntur*, ait, *in signum victoriae*: *quia libidini insuperabiles redditi*, *sic ad thalamum accedunt*, *ut voluptate vinci non debeant*. A Graecis propterea nuptiae στεφανωμα, idest coronatio, sponsique στεφανιται, hoc est coronati appellari consueverunt. *Peccatum autem esse*, *si haec cuncta innuptiali foedere non interveniant*, *non dicimus*, Nicolaus I. ad Bulgaros inquit (8), *quemadmodum Graecos adstruere vos dicitis*. Ex Rituale Romano solum fidei nuptialis annulum post Parochi benedictionem sponsa nunc etiam accipit a viro suo.

IX. Ex hucusque dictis necessario consequitur, *formam* huiusce Sa-

(1) Chrysostom. *in Genes. hom. 18.*

(2) S. Cyrill. *lib. 11. in Ioannem.* Graecus Imperator Leo Philosophus *const. 89.* irrita fore sine sacerdotali benedictione coniugia sanxit. *Sic sane etiam sacrae benedictionis testimonio matrimonia confirmari iubemus* (ait), *adeo ut si qui citra eam matrimonium ineant*, *id ne ab initio ita dici*, *nec illos in vitae illa consuetudine matrimonii iure potiri velimus.*

(3) S. Greg. Nazianz. *ep.* 57. ad Anysium, quia infirmus nequivit illius filiae nuptiis benedicendis adesse, haec roganti rescripsit. Synesius patria Cyrenensis, qui fuit Episcopus Ptolemaidis a Theophilo Alexandrino consecratus saec. V. ad fratrem suum haec inter alia scribit *ep. 105. Mihi Deus et lex*, *et sacra Theophili manus uxorem dedit.*

(4) S. Ambros. in *can. nec illud 8. C. 30. qu. 5.* Idem in *exhort. virgin. cap. 6.*, *nubes itaque sunt*, ait, *et graves nubes*, *quae nupserunt. Nam a* nubibus *verbum* nubentium *tractum arbitror. Denique aperiuntur ut nubes*, *cum acceperint nupturae velamina.*

(5) S. Isidor. in *can. foeminae 7. ead. C.*, *et qu.*

(6) Tertullian. *de corona militis cap. 13.*

(7) Chrysost. *hom. 3. in ep. ad Timoth.* Eum in Occidentali Ecclesia morem non viguisse apud Bulgaros rescripsit Nicolaus I. in *cit. can. nostrates 3.*, inquiens : *nostrates tam mares*, *quam foeminae non ligaturam auream*, *vel argenteam*, *aut ex quolibet metallo compositam*, *quando nuptialia foedera contrahunt*, *in capitibus deferunt.*

(8) Nicol. I. in eiusdem canonis fine.

cramenti non aliam esse, nisi benedictionem sacerdotalem, ea scilicet verba, quae Parochus, explorato sponsi, sponsaeque praesentium consensu mutuo profert, ritu Latino inquiens: *Ego coniungo vos in matrimonium in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti* (1). Apud Graecos: *Domine Deus noster, qui Ecclesiam virginem castam tibi desponsisti, benedic et sponsalibus istis, et coniunge, et conserva servos tuos istos in pace, et concordia.* Quod *benedictio per Sacerdotem super nubentes* contineat *formam legis a Deo institutae*, ab Innocentio I. iam audivimus. S. Leo M. in ea *nuptiale mysterium*, *et coniunctionis Christi*, *et Ecclesiae Sacramentum* esse adfirmat (2). S. Ivo Carnotensis de mulctando scribit presbytero, *qui verba divina* Sacramenti, *et insignia sacerdotalis officii in coniugali* benedictione *cuiusdam virginis illusorie immutavit* (3). Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. *benedictiones* nubentium *aliis Sacramentis* aequiparat (4). Instar omnium S. Thomas in matrimonio rationem Sacramenti adstruit ex benedictione per ministros Ecclesiae adhibita (5).

X. Qui sacramentalis formae vim in posteriori consensu alterutrius connubentis posuere, sic dantes marte suo sponsis ministerium Sacramenti ordinarium, non uni, ut in ceteris Sacramentis ministro, sed ambobus, non viro soli, sed et foeminae: quot in uno absurda! ipsos, aut desipuisse, aut dormitasse non dubito. Nam si ordinarios cuiuslibet Sacramenti ministros, et dispensatores mysteriorum Dei solummodo Sacerdotes Christi lex deputavit, vix laicis extra ordinem indulgens, deficiente presbytero, baptizare, ut cuiusque salus aeterna in tuto semper fit: quonam iure ordinario, et quam ob necessitatem fas erit connubentibus laicis hoc sibimetipsis divinum conferre Sacramentum? *Nullius Sacramenti dispensatio laicis ex officio competit*, inquam cum S. Thoma (6),

(1) Ex Rituale Romano *hoc. tit.* Alias eiusdem benedictionis formulas videsis apud Menardum in Sacramentario B. Gregorii, et P. Martenium ex antiquis, et variis Ecclesiarum Ordinibus depromptas, quae ad hanc uno ferme sensu plerumque redeunt: *Deus Abraham*, *Deus Isaac*, *Deus Iacob sit vobiscum*, *et ipse vos coniungat*, *impleatque benedictionem suam in vobis.*

(2) S. Leo *ep. 90.*, alias *92. ad Rusticum cap. 4.* haec scribit. *Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi, et Ecclesiae* Sacramentum *: dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse* mysterium. Gratianus in *can. cum societas 17. C. 27. qu. 2.*, hanc Leonis sententiam bis corrupit, exscribens *ministerium* pro *mysterium*, et negans verbum *non habeant* pro affirmante verbo *haberet.* Id quod inibi monet Romana correctio.

(3) S. Ivo *epist. 23. ad Gualherum.*

(4) Conc. Later. in *cap. cum in Ecclesiae 9. de simonia*, vetans, ne *pro benedictionibus nubentium*, *seu aliis Sacramentis aliquid requiratur.*

(5) S. Thomas *lib. 4.* contra Gent. *cap. 77. Ea*, inquit, *quae populo per ministros Ecclesiae dispensantur*, *Sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundum quod consistit in coniunctione maris, et foeminae intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare*, *est Ecclesiae* Sacramentum: *unde et quaedam* benedictio *nubentibus per* ministros *Ecclesiae adhibetur.*

(6) S. Thom. in *supplem. qu. 3. art. 1.*

nullius omnino. Volentes itaque nubere *tantum in Domino*, et Sacramentum hoc suscipere *in Christo, et Ecclesia*, ex divino Pauli oraculo, opus habent ministro Domini, et Ecclesiae ad benedictionem nuptialem rite accipiendam: quae sit ratio discriminis praecipua, et unica inter sacramentales fidelium, et profanas infidelium nuptias.

XI. Mutuus quidem viri, et foeminae consensus *materiam* huic Sacramento *proximam* exhibet, praeparatque *remotam* utriusque personae materiam animo, et corpore simul coniugandae. Ad elementa corporum praesentium consensu mutuo sic praeparata, ubi accedant verba sacerdotalis benedictionis, fit continuo Sacramentum. Scilicet perficitur in Domino, et in Ecclesia signum sensibile coniunctionis viri, et foeminae a Christo institutum, et ab Apostolo traditum ad immaculatam, et individuam vitae consuetudinem, prolisque fidelis propagationem, quae sunt effectus praecipui gratiae sacramentalis. *Ut sit honorabile connubium, et thorus immaculatus*, inquit Apostolus (1). *Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt* (2). *Mulier si permanserit in fide, salvabitur per filiorum generationem* (3). *Mulieres* ab Apostolorum Principe commonentur, ut *subditae sint viris suis, considerantes in timore castam conversationem . . . viri* autem uxoribus *impertientes honorem, tamquam cohaeredibus gratiae vitae* (4). S. Iustinus *matrimonium non inimus*, ait, *nisi ad liberorum educationem* (5).

XII. Dum igitur in matrimonio fidelium cuncta, quae verum Sacramentum constituunt, inesse iam liquet, divinam institutionem, formam benedictionis, et materiam consensus mutui pro signo sensibili, effectumque gratiae pro foecunditate signi: Sacramentum in eo reapse commonstrant. *Si quis* autem *dixerit*, sanxit Tridentinum, *matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem Legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, anathema sit* (6).

XIII. Materiae vocabulum consensui tributum ne gravemini ex eo, quod Eugenius IV. Armenos instruens dixerit: *causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus*. Enimvero idem saepe sonat causa efficiens, ac materia, et vox utraque solet pro ea re accipi, ex qua fit aliquid. Alteram idcirco pro altera non absurde maluit sciens prudens Eugenius, ut opinor, usurpare. Is profecto conscius probae consuetudinis Graecorum in celebrandis nuptiis ministerio sacerdotali, rituque solemniori, nullamque ipsos hac in re cum Latinis habere controversiam; consultius reticere materiam, formamque Sacramenti, quam supervacaneis scholae verbis eas tradere, ubi nil opus erat, censuit. Consultius inquam, dum *legitimus* matrimonii contractus, unde fiat, simul paucis explicuit.

(1) Ad hebraeos *cap. 13. vers. 4.* — (2) I. ad Corinth. *cap. 7. vers. 14.* (3) I. ad Timot. *cap. 2. v. 15.* — (4) I. Petri *cap. 3. vers. 1. et seq.* (5) S. Iustinus martyr *apologia 1. num. 29.* S. Aug. *lib. 1. de nupt., et concup. cap. 24.* ostendit bonas in se nuptias non posse originali peccato, quod inde trahitur, accusari.

(6) Ex Trident. *sess. 24. can. 1.*

XIV. Sane duplex in matrimonio vinculum est, *legitimum* scilicet, seu *profanum*, *et ratum*, seu *sacrum*. Solo viri, et mulieris consensu fit *legitimum* perinde a fidelibus, atque a paganis extra Ecclesiam (1), quod postea *ratum* inter fideles tantum efficit sacerdotalis benedictio, explicitum utriusque fidelis consensum in faciem Ecclesiae sacro etiam foedere obstringens.

XV. Legitimum non sacrum matrimonium conversis ad fidem indulget ex consilio, non iubens Apostolus (2). *Ceteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi: in pace autem vocavit nos Deus. Unde enim scis mulier, si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvam facies?* Hunc locum S. Augustinus explicans, inquit (3): *non enim propter vinculum cum talibus coniugale servandum, sed ut adquirantur Christo, recedi ab infidelibus coniugalibus Apostolus vetat. Multa sunt enim facienda non iubente lege, sed libera charitate . . . Sic enim recedere ab infidelibus uxoribus, vel maritis fideles viri, vel foeminae non prohibentur a Domino, ut neque iubeantur. Nam si dimittere tales coniuges iuberentur: nullus locus esset consilio monentis Apostoli, ne hoc fieret.* Mox inde infert, quod *veram habeat fidelis pudicitiam, etiam cum infideli coniuge, quae non habet veram: quia non contra iussionem Domini gentiles fuerant ambo coniuncti.* Dein expendit obiectum a Pollentio *praeceptum Domini tam in veteri, quam in novo Testamento, ut nonnisi unius religionis, et fidei coniugia sibi maneant copulata.* Cui demum respondet, *hoc diversum esse, ubi agitur non de coniungendis, sed de coniunctis. Ambo quippe unius eiusdem infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt.* Quoad ergo fidelis coniux infidelem antea secundum patrias leges ductam pro libito suo non dimiserit, manebit adhuc post Baptismum immaculatus in usu matrimonii *legitimi*, et dissolubilis (4), quia non sacri, nulloque Sacramenti foedere obstricti (5).

(1) Scilicet secundum civiles Romanorum leges in rubrica D. et *C. de ritu nuptiarum*, et Inst. *de nuptiis*, tum *de patria potestate* §. 1., vel mosaycas inter hebraeos, vel patrias cuiusque aliarum gentium.

(2) I. ad Corinthios *cap. 7. vers. 12., et sequ.*

(3) S. Aug. in *can. iam nunc illud 8., et can. sic enim 9. C. 28. qu. 1.*

(4) Ex *can. Iudaei 10. ead. C., et qu.*, ubi Iudaeos, qui christianas mulieres in coniugio haberent, monendos eos ab Episcopo fore decrevit Synodus Toletana IV., ut si cum eis permanere cupiunt, christiani efficiantur: alias ab uxoribus separentur.

(5) Hac de re ita Innocentius III. in *cap. quanto de divortiis. Etsi matrimonium* verum *inter infideles existat, non tamen est* ratum; *inter fideles autem* verum, et ratum *existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, et* ratum *efficit* coniugii *Sacramentum, ut ipsum in coniugibus ipso durante perduret.*

XVI. Nisi legitimum fideles ineant matrimonium, esse ratum nequibit. Quod enim legitimo nuptiarum contractui Sacramentum accedit ex benedictione sacerdotali, coniugalis obligatio contractus naturam sequitur Nam *christiani*, inquam cum S. Iustino (1), *neque regione, neque sermone, neque politicis vitae institutis a ceteris hominibus sunt distincti... Uxores ducunt, ut omnes, et liberos procreant: sed non abiiciunt foetus.* Ad rem nostram aptius Athenagoras ad Romanos Imperatores ait (2): *Unusquisque nostrum uxorem suam, quam secundum leges a vobis positas duxit, uxorem existimat usque ad liberorum procreationem.* Itaque duplex in matrimonio vinculum, contractus, et Sacramentum inest. De Sacramento satis: contractum nunc edisseram ex probatis legibus, et canonibus.

XVII. Si contractus est, nimirum *ultro, citroque obligatio* (3): mutuum utriusque, et maris, et foeminae consensum necessario ita postulat, ut alterutrius dissensione irritum ab initio fiat coniugium (4). Leges id saeculi (5), et Ecclesiae simul imperant, communem Iuris naturalis rationem secutae. *Nubat cui vult*, edixit Apostolus (6). Nullam idcirco dispensationem patiuntur leges huiusmodi. Qua vero forma sit consensus vicissim explicandus, et sufficiat, ne clandestinus ipsis tantum connubentibus patens, an aliis debeat quoque patefieri, ut valeat singulas coniugum societates Respublica, et Ecclesia dignoscere, ac fovere sine cuiusque iniuria, et suum cuique ius contra infidos reddere: sicuti in ceteris contractibus, ita in hoc etiam definiendi arbitrium habent humanae leges.

XVIII. Hinc valida olim, quamvis illicita fuere matrimonia clandestina, quia firmum, legitimumque societatis coniugalis contractum fieri solo partium consensu tolerabat secundum leges Ecclesia, eum sine sacerdotali benedictione semel a mutuo consentientibus initum non dissolvens (7) : quamvis pluribus vetasset canonibus, et detestata semper

(1) S. Iustin. *ep.* ad Diognetum *num. 5.*

(2) Athenagoras in *legatione pro christianis* ad M. Aurelium Imp., eiusque filium Commodum *num. 33.*

(3) Ex Labeonis, et Ulpiani definitione *in l. Labeo 19. D. de verb. sign.* S. Io. Chrysostomus in *can. 1. C. 27. qu. 2. Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas.* Nicolaus Papa in *can. sufficiat 2. eod. C., et qu. sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui consensus, si in nuptiis solus forte defuerit: cetera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.*

(4) Urban. II. ad Sanctium Aragoniae Regem in *can. de neptis tuae coniugio 3. C. 31. qu. 2.*, Alex. III. ad Canonicos Soranos in *cap. veniens 13, et cap. cum locum 14. de spons., et matr.* Innoc. III. in *cap. tua nos 26. eod. tit.*

(5) Ulp. in *l. nuptias 30. D. de reg. iur. Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* Paulus iurec., nonnisi *de consensu connubentium* nuptias legitimas definit in *l. 2. D. de ritu nuptiar.* Iulianus in *l. 11. D. eodem: sponsalia, sicut nuptiae consensu contrahentium fiunt.*

(6) Quibus ex verbis arguit S. Ambrosius invitum, vel invitam nullo umquam vinculo obstringi ad coactum connubium, apud Gratianum initio *qu. 1. C. 31.* Error etiam personae consensum adimit ex infra dicendis.

(7) Apud Gratianum *C. 30. qu. 5.*, et in rubrica Decretal. *de clandest. de-*

fuisset, propterea quod patrandis sceleribus ansam daret improbis coniunctionibus, divortiis sine causa, poligamiis, et polivirnis, prolisque proiectionibus.

XIX. Itaque ut publicae stabilirentur nuptiae, conspirarunt leges quum Ecclesiae, tum saeculi ad clandestinas profligandas communi christianae Reipublicae bono. Lex Salica (1) sanxit uxorem in *mallo*, hoc est in iudicio coram tribus testibus fore denario, et solidis ducendam. Eiusmodi legem a Gallis observatam diutissime in nuptiis, praesertim Regis Clodovaei, et Clotildis, tum Othonis Imperatoris cum filia Philippi, ferunt historici (2). In Servia, et finitimis regionibus matrimonia adhuc iniri coram iudice locali fert Benedictus XIV. (3) Iustinianus Imperator legitimas fieri nuptias edixit, quae in orationis domo coram illius Ecclesiae defensore adhibitis tribus, aut quatuor clericis inirentur, rem gestam subscripturis (4). Capitularia Caroli M., aliorumque Regum Francorum, non modo benedictionem sacerdotalem in legitimis nuptiis imperarunt, sed curam etiam sacerdoti plebano inquirendi una cum populo impedimenta, antequam rite celebrarentur (5). Hinc *banna*, praevias nempe proclamationes nuptiales antiquissimo in Ecclesia Gallicana usu viguisse retulit Innocentio III. Episcopus Beluacensis (6). Hoc in Regno Rugerius I. anno 1140. sanxit fore matrimonia ritu solemni, et publico post sponsalia cum sacerdotali benedictione contrahenda, proscriptis omnino clandestinis coniugiis nascituros, ut illegitimos a parentum successione exclusit, perinde, ac natos ex incerto patre, foeminisque claudestine nubentibus ius petendae dotis denegavit (7).

XX. Quamvis vero tot leges, canonesque ante Tridentinum publicas maluissent nuptias, et multa solemnia in iis celebrandis constituissent: clandestina tamen coniugia, quae sollemnibus, omissis mutuo viri,

sponsat. Conc. Later. IV. sub Innoc. III. in *cap. cum inhibitio 3. eod. tit.* haec decrevit: *Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo clandestina coniugia penitus inhibemus: prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse praesumat.*

(1) Salicam legem quinto saeculo (an. 422.) tulisse Pharamundus I. Gallorum Rex fertur a vetustis chronologis, nomenclaturam verosimilius mutuatus ab ipsa terra Salica, et regione Francorum, quam antiquiores Galli, inde Salici aut Salii nuncupati incoluerunt. Ea lex Salica *tit. 46.* de ritu nuptiarum agit. Eaque ipsa *lex Francorum* apposite dicitur a Concilio Triburiensi in *cap. de Francia quidam nobilis 1. de sponsal., et matr.*

(2) Fredegarius in *nuptiis Clodovaei*, *et Clotildis*, Bignonius, et Lindebrogius in *formul. ant. cap. 5.*, et Bosquetus ad Inn. III. *ep. 182. lib. 3.*, quos laudat Gonzalez in *notis ad cap. 1. de sponsal., et matr.*

(3) Bened. XIV. in *const. inter omnigenas 89. §. 9., et 105. to. 1.* Bullarii, invalida declarat ea matrimonia, quae gens illa fidelis coram solo Turcarum iudice (eum *Caddi* appellant) iniret, non servata forma Tridentina, dudum ex Albano Concilio publicata: vetatque fidelibus adire, aut per sese, aut per procuratores eumdem iudicem pro celebrandis nuptiis, nisi ritus ipse mere civilis nullum superstitionis genus, nullamque Mahumetis invocationem involveret

(4) Nov. *74. cap 4.*, cuius fragmentum in *can. si quis divinis 9. C. 30. qu. 5.*

(5) Capitular. *lib. 7. cap. 179.*

(6) In *cap. cum in tua 27. de sponsal. et matr.*

(7) Ruger. I. in Regni *const. sancimus tit. 22. de matr. contrahendis lib. 3.*

et foeminae consensu, affectuque maritali saepe contrahebantur, non rescindebant, quum valida ea, licet probrosa, iudicarentur. Eiusmodi favebat sententiae apocrypha Evaristi epistola (1), quae post traditam legitimi coniugii consuetudinem, ritusque in eo solemnes praeviae dotationis, et consensus dotantium, et sponsaliorum de futuro, tum sacerdotalis benedictionis cum precibus, et oblationibus, et paranymphis, haec addit: *aliter vero praesumpta, non coniugia, sed adulteria, vel conturbernia, vel stupra, aut fornicationes potius, quam legitima coniugia esse, nisi voluntas propria suffragaverit, et vota succurrerint legitima.*

XXI. Quoties vero post consensum de futuro ineundo coniugio sua etiam copulassent corpora: tunc antiquo iure Decretalium sponsalia de futuro transibant ipso facto in matrimonium de praesenti legitimum, et consummatum, et insolubile (2); quod *praesumptum* dicebatur ex praesumptione Iuris, contrariam probationem penitus respuente (3). Non aliter, quam leges civiles matrimonium *usu* initum praesumebant post annalem concubinae retentionem maritali, et honore, et affectione (4).

XXII. Interea sub specie matrimonii latebat saepissime turpitudo concubinatus eatenus, ut honorandum uxoris nomen promiscue non semel probroso, et vituperabili concubinae vocabulo dedecoraretur. Apostolus *propter fornicationem unusquisque suam*, ait, *uxorem, et unaquaeque suum virum habeat* (5), non dixit concubinam. Romanae ante Evangelium leges civiles, poligamia vetita, unam solummodo, vel uxorem desponsatam solemniter, vel concubinam singulis concedebant viris, non utramque simul (6): post annum vero cohabitationis indul-

(1) In *can. aliter 1. C. 30. qu. 5.* Sotus *lect. 1. de matr.* huic Gratianaeo canoni potissimum innixus ab Ecclesia postulavit, ut inania, et irrita declararentur clandestina matrimonia.

(2) Alex. III. in *cap. veniens 15.*, et Greg. IX. in *cap. is, qui fidem 30. eodem. tit.* Consonant *cap. de illis 3., et cap. per tuas 6. de condition. apposit. in despons.*

(3) *Cit. cap. is. qui fidem 30. de sponsalibus.* At nisus ad copulam inanis praesumptum eiusmodi non efficiebat matrimonium, ex Greg. IX. sententia in *cap. adolescens 32., et ult. eod. tit.*

(4) Papinian in *l. donationes 31. D. de donationibus.*

(5) I. ad Corinth. *cap. 7. ver. 2.*

(6) Paulus Iurec. *lib. 2. recept. sent. tit. 20.* apud Gothofredum id tradit inquiens: *eo tempore, quo quis uxorem habet, concubinam habere non potest. Concubina igitur ab uxore solo delectu separatur.* Gothofr. inibi monet corruptam Iureconsulti huius litteram ab iis, qui *delicto* legunt pro *delectu.* Idem porro Iureconsultus Paulus in *l. concubinam 4. D. de concubinis*, docet sola destinatione animi, quam *delectus* sonat, sine ritibus solemnium nuptiarum (hoc est clam omnino sine aliqua testatione) civibus Romanis licuisse concubinam loco uxoris accipere, aut libertam, aut obscuro loco natam, vel quaestum corpore suo facere consuetam, ex earum scilicet grege, quae uxoris dignitatem non promerebantur. At ingenuam, honestamque foeminam in concubinam legitimam ducere licebat nemini, absque testatione: videlicet nisi vir, et mulier coram testibus idoneis antea declarassent sese non nuptias, neque connubium, sed concubinatum inire. Omissa enim huiusmodi testatione vir eam, vel uxorem habere usu acceptam post unius anni lapsum, vel se cum ea obnoxium stupro agno-

gebat concubinis privilegia, et nomen *uxoris ex usu*, ad differentiam uxoris publico ritu, vel *confarreationis*, vel *coemptionis* in matrimonium ab initio acceptae (1). At divina Lex evangelica inter fornicarias, improbasque foeminas abiicit legitimas eiusmodi concubinas. In concilio enim Hierosolymitano Apostoli dum iusserunt, ut christifideles a suffocato, et sanguine, et carnibus immolatorum, et fornicatione abstinerent (2) : eo apostolico praecepto damnatam consuetudinem vitae cum ancillis, et concubinis, quam mundi leges probabant, facile intelligimus (3). Tum canon XVI. vulgo Apostolorum a consortio, et ministerio sacerdotali eliminavit, qui concubinam habuisset (4). B. Chrysostomus affirmare non dubitavit concubinatum a diabolo introductum (5). S. Ambrosius : *si talibus moribus praedita est* (inquit), *ut mereatur consortium, mereatur et nomen uxoris* (6). S. Hieronymus ad ostendendam dissentionem inter leges Caesarum, et Christi, inter Papiniani, et Pauli praecepta, *apud illos*, ait, *viris impudicitiae froena laxantur, et passim per lupanaria, et ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas* (7). S. Augustinus: *audite charissimi. . . . audiant Angeli, si vos contemnitis. Concubinas vobis habere non licet : et si non habetis uxores, tamen non licet vobis habere concubinas, quas postea dimittatis, et ducatis uxores: tanto magis damnatio vobis erit, si volueritis habere uxores, et concubinas* (8).

XXIII. Si ore Patrum aliquando probatae feruntur concubinae (9): eas tunc puta fuisse pactis veri coniugii acceptas, cum foedere scilicet indissolubili ad perpetuum vitae consortium, animoque prolis, vel generationem, vel educationem numquam avertendi. Sub his enim pactionibus docet S. Augustinus verum *connubium*, et veras *nuptias* consistere : quamvis concubinatus impropie diceretur ex defectu externarum solemnitatum. Exin patet discrimen probae, et licitae concubinae, quae vicem uxoris individuae revera gerit, ab improbis temporariis, aut non perpetuo coniugii foedere, aut prolis odio adsumptis (10). Eius-

scere compellabatur. Id quod Marcianus tradit in *l. in concubinatu 3. D. de concubinis.*

(1) Paullus inrec. in *l. libro memorialium 144.*, ex Massurio, et Granio Flacco, *pellicem, et amicam* tradit nomine paullo honestiore *concubinam* appellari.

(2) Actorum *cap. 15. vers. 20., et 29.*

(3) Id quod observat Claudius Fleury *tom. 1. hist. sacr. ad saec. 1.*

(4) *Can. 16. Apost. Qui post baptismum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit, is Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut denique in consortio sacerdotali esse non potest.*

(5) Chrysostomus initio *sermonis de concubinatu.*

(6) S. Ambros. *serm. 65. de S. Io. Baptista, et lib. 1. de Patriarchis cap. 4.*

(7) S. Hieron. *epist.* ad Oceanum in *can. 19., et 20. C. 32. qu. 5.*

(8) S. August. in *can. audite 6. dist. 34.*

(9) Auctor const. vulgo apost. *lib. 8. cap. 32.*, Conc. Tolet. I. in *can. is qui 4. dist. 34.*, S. Isidorus in *can. 5. eadem dist.* ceteri.

(10) S. Aug. in *can. solet quaeri 6. C. 32. qu. 2.*, et S. Leo M. in *can. non omnis 12. C. 32. qu. 2.* Hinc est, cur sacrae Litterae, Genesis *cap. 25.*, Cethu-

dem probati generis concubinam : propterea graeci rectius ἡμιγαμον , latini *seminuptam* , et *semiuxorem* appellabant (1).

XXIV. Quoniam leges civiles uxoribus tantum ritu nuptiarum sollemnium ductis in coniugium dignitatem matrisfamilias, et participationem privilegiorum , honorumque maritalium , et familiae largiebantur, concubinis denegabant (2) : Constantinus M. inveteratas imperii leges veritus magis , quam vota Patrum Ecclesiae de concubinatu abolendo , studuit eum in nuptias paulatim vertere , quum adaugendo privilegia nuptiarum , legitimaeque prolis , tum legitimos ipso iure filios generatim declarando per subsequens matrimonium ; quamvis antea progenitos (3) : ut parentes amore filiorum impellerentur ad matrimonium rite celebrandum. Cuiusmodi legem innovavit Zeno (4): mox Iustinianus (5) eam usque adeo ampliavit , ut natos ex eorumdem parentum concubinatu filiis in matrimonio progenitis omnino aequaverit. Leo tandem Philosophus evangelicam potius veritatem , quam fallentia decessorum Principum exempla sectatus constitutione sanctiori proscripsit , ut improbum , Iurique divino , et naturali iniurium concubinatum (6).

XXV. Ecclesia leges eiusmodi civiles imitari non dedignata , quod ad effectus civiles nuptiarum solemnium concubinas ambiguo vocabulo eas etiam appellari non abhorruit , quas in foro sacro, et conscientiae veras in Domino aestimabat uxores ; quoadusque clandestina coniugia non rescindi toleravit. Sed postquam leges hinc Principum poenis acerbioribus primum , hinc Ecclesiae canones communi consilio , et bono clandestinas nuptias penitus extruderunt nullitate contractus : ambigua concubinae vox male omnino semper sonuit , ita ut in concubinarios

ram modo uxorem sanctissimi Abrahae , modo concubinam appellant : simul et ancillam Agar imbi nuncupant eiusdem Patriarchae *concubinam* , quam antea in praecedenti *cap. 16.* uxorem dixerant.

(1) Apud Inn. Cironium in *paratitlo de bigamis non ordinandis. Hanc coniugem facit affectus* maritalis : *concubinam vero lex nominat* , apposite monet Gratianus post *can. 3. dist. 34.*

(2) Ex *l. donationes 31. D. de donationibus.*

(3) Constantin. M. laudatus in *l. 1. C. Th. de naturalibus filiis* , quo in textu Valentinianus I. Occidentis Imperator privilegium eiusmodi legitimationis ampliavit in gratiam Libanii concubinam habentis, qui nuptias respuerat. Videsis inibi Gothofredum.

(4) Zeno Imp. in *l. divi Constantini 5. C. de natural. liber.*

(5) Iustinian. in *l. 10., et 11. C. eod. tit. et Nov. 17., et 18.*

(6) Leo Imp. *Nov. 91.* ad Stylianum sacror. Officior. Magistrum data haec edixit : *Neque minus ea lex , quae probrose cum concubinis immisceri non erubescentibus id permittendum iudicavit, honestatem susque deque habuit. Ne ergo hoc legislatoris erratum dedecore nostram rempublicam afficere sinamus. Itaque lex illa in aeternum sileto. Ab illa enim non modo religionis, verum etiam naturae iniuria secundum divina , christianisque convenientia praecepta prohibemur. Et quidem si cum fontem habeas , sobrie inde haurire divino praecepto moneare , qua ratione cum puras aquas haurire liceat , lutum tu mavis ? Tum tametsi fontem non habeas, rebus tamen vetitis uti non potes. Ceterum vitae consortem invenire difficile non est.*

generatim quoslibet Ecclesia censuris (1), Potestas laica poenis corporeis, et pecuniariis animadvertat.

XXVI. Novo iam iure Tridentino sanctiori legitimus nuptiarum contractus, nisi ab initio validus fiat per consensum de praesenti coram Parocho, et testibus, nequibit ex superveniente corporum commixtione prorsus convalescere : sicuti nec sponsalia de futuro per copulam possunt amplius transire in matrimonium (2). Quandoquidem lex Tridentina quodvis occultum coniugium iure meritissimo prorsus irritat, quoties in faciem Ecclesiae, scilicet coram Parocho alterutrius contrahentium proprio, duobusque saltem testibus rite non celebretur. *Qui aliter, quam praesente Parocho*, lex ait, *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit* (3). Praevias insuper denunciationes cuiusque futuri matrimonii ad impedimenta detegenda, explorationem consensus mutui, et ritum benedictionis praescribit : haec tamen omnia spectant non substantiam contractus, sed probitatem Sacramenti.

XXVII. Itaque in contractu coniugali gerit nunc Parochus personam testis primarii (4) adeo legitimam, et necessariam, ut vicem ipsius nequeant alii, vel plurimi cuiuslibet gradus, ac dignitatis supplere (5) : praeterquam Ordinarius loci eminentiorem habens curam animarum cum iurisdictione spirituali, eiusque generalis Vicarius : nec non Parochi substitutus, vel coadiutor. Eodemque iure Parochus ipse nunc etiam in Sacramento nuptialis benedictionis ad contractum accessorio agit ministrum, alius praeterea nemo (6).

(1) Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 8.*, et Concordat. *cap. 6. art. 5.*

(2) Ex iteratis S. Congr. Conc. decretis apud Gallemart. *in not. ad Trid. sess. 24. cap. 1. num. 3., et 19.*

(3) Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 1.*

(4) Testis *auctorizabilis* barbaro quamvis vocabulo dicitur a Rota *part. 11. rec. dec. 375. num. 9.*, apud Fagnan. in *cap. quod nobis 2. de clandest. despons. num. 54.*

(5) Gallemart. ex declarat. S. Congr. ad *cit. cap. 1. sess. 24. num. 10. §. matrimonium* haec habet : *Matrimonium contractum coram testibus, sed sine Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia post Conc. Trid. non solum est nullum, sed nec vim habet sponsalium : adeo ut sic contrahentes ad denuo contrahendum compelli non possint.* Quoties puta ambo, vel unus renuant, resiliantque. Secus, ubi velint uterque ad formam Tridentinam rursus inire coniugium. Ea enim Tridentini verba *ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit*: S. Congregatio censuit nil pertinere ad sponsalia de futuro, sed solummodo ad matrimonium de praesenti contractum, spreta forma Tridentina, apud Gallemart. *loc. cit. num. 13.*

(6) Ius Ecclesiae antiquum benedictionem a quovis Sacerdote nuptiis etiam clandestinis collatam, non irritam, sed illicitam, et censuris coercendam iudicabat. *Sane si parochialis sacerdos* (ait Innoc. III. in Conc. Lat. in *cit. cap. 3. de clandest. desp. §. sane*) *tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis praesumpserit interesse : per triennium ab officio suspendatur... Sed his, qui taliter praesumpserint etiam in gradu concesso copulari, condigna poenitentia iniungatur.*

XXVIII. Ex ista duplici persona, seu duplici munere parochiali, haec potissimum consequuntur. I. Matrimonii contractum valere, quoties mutuum de praesenti consensum aperuerint sponsi coram Parocho suo etiam invito, et contradicente, duobusque simul aliis testibus, dummodo hi, et ille animo reapse intelligant praesentem sponsorum consensionem, ambosque simul tunc videant, et dignoscant: quum suam eiusmodi praesentiam ita debeant humano more (1), animo scilicet intelligente, attentoque, Parochus, et testes accommodare; ut exinde ii tuto possint Ecclesiam, remque publicam facere de contractis nuptiis certiorem. Nam si corpore solum adfuerint, tamquam insensibilia simulacra, oculis non videntes, nec audientes auribus, abstracto per somnum, vel ebrietatem, aliamve causam, aut internam, aut externam animo: inanis tunc erit expressio consensus contrahentium coram ipsis (2). Ea vero quum Parochi, tum testium humana praesentia simul debet adeo concurrere, ut nec Parochi defectivam corporis absentiam, vel mentis alienationem testes, quantumvis multiplicati, neque testium Parochus possint versa vice supplere (3): praeterquam ubi affectaverint data opera non videre, non audire, non intelligere. Nam si Parochus videns accedere ad se virum, et mulierem desponsaturos, vel ambos coram sese iam stantes proferre verba consensus mutui ad

(1) Nam ex Florentini textu in *l. coram 209. D. de verb. sing. Coram Titio aliquid facere iussus, non videtur praesente eo fecisse, nisi is intelligat. Itaque si furiosus, aut infans sit, aut dormiat, non videtur coram eo fecisse. Scire autem, non etiam velle is debet: nam et invito eo recte fit, quod iussum est.*

(2) Ut *praesentes de his, quae noverunt, et viderunt, veraciter testimonium dicant, can. testes 15. C. 3 qu. 9.*, quem Gratianus canonem ante Siricianum inscribit Calixto Papae. *Tunc autem scit, si ei rei, de qua iuratur, testis fuit, idest aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit*, explicat S. Augustinus in *can. hoc videtur 8., C. 22. qu. 5.*

(3) S. Congr. Conc. apud Gallemart. *cit. num. 10.*, §. *quod si pag. 366. Quod si Parochus adfuisset, nihil tamen eorum, quae agebantur, vidit, vel audivit, Congregatio respondit matrimonium non valere, si non intellexisset: nisi ipse Parochus affectasset non intelligere.* Huc spectat illud S. Augustini in *cit. can. hoc videtur 8. C. 22. qu. 5: sed si non audierit... difficillima quaestio est.* Insuper S. Congr. 6. Martii 1700. in Romana dubiorum matr. reprobata opinione, quod sufficiat praesentia Parochi pure materialis, seu physica; *in casibus*, ait, *particularibus providebitur.* Ex priori S. Congr. declaratione apud Gallemart. *cit. n. 10. §. matrimonium*, eadem S. Congr. Conc. die 19. Septem. 1733., re cognita, respondit non constare de matrimonio contracto inter Caesarem Luciani, et Gratiam Mautone, quod plures testes initum Neapoli coram Parocho omnium Sanctorum deposuerant in Archiep. Cur. Neap. Parochus autem profitebatur sua ex sede, ubi auscultandis poenitentibus vacabat, audisse quidem verba primum mulieris cognitae, mox viri, quem pallio ad nasum usque coopertum, prolatis vix verbis aufugientem, ipse quis esset, minime novit: quamvis paucos ante dies Caesar idem Parochum ipsum domi adiisset, sponsalia de futuro cum eadem foemina initurus. Et vicissim iussu S. Congregationis quoque Dominicus Ursaya *to. 1. par. 2. disc. 1.*, fuisse invalidum censuit controversum Caroli Francisci, et Epiphaniae matrimonium anno 1691. coram Parocho SS. Salvatoris Romae initum, ex eo quod sponsos mutatis vestibus Parochus tantum cognoverit, non testes: quamvis hi etiam una cum Parocho praesentes adfuissent.

coniugium praesentiens, oculos tunc suos adverterit, aures obturaverit, conclamaverit, aufugerit, tales ut nuptias interdictas, illicitasve sic impediret (1); propterea que non bene audiverit, qualia contrahentes verba dixerint, ab aliis testibus bene audita, aut sponsorum personas non discreverit, utique a testibus visas, et bene cognitas, vel e contrario: aliorum praesentium testimonia tunc sufficient ad contractus validitatem sustinendam (2). Quod enim sit revera factum satis in conspectu Ecclesiae, nequibit infectum iudicari ex eius affectata ignorantia, et contradictione, qui factum ipsum utique praesenserit, quique adesse ut id sciat, non ut id velit, suo ex officio debet (3). II. Parochus etiam non sacerdos, vel suspensus ab officio parochiali, aut excommunicatus (4), aut suam extra Parochiam (5) valide adsistit parochianorum suorum coniugiis.

XXIX. Proprius contrahentium Parochus esse hac in re is tantum iudicatur, in cuius Parochia sponsi, vel ambo, vel alter, aut altera verum, firmumque actu habeant domicilium (6): quamvis aliunde translatum recentissime (7). Igitur coram Parocho quum praeteriti, dereli-

(1) Imminentem coniugii contractum eiusmodi, si quando omissis publicationibus, vel post Ecclesiae interdictum ex obiecto aliquo impedimento attentaverint: prudens Parochus debet data opera distrahere, quoad valeat, vel fuga, vel clamorosa increpatione, aliove quovis modo, is ne particeps fiat illicitarum nuptiarum. At si ea huinsmodi opera non obstante, suum de praesenti consensum aperuerint sponsi coram eo, et testibus: validum procul dubio, quamvis illicitum iudicabitur matrimonium.

(2) Multiplices hac in re quum S. Congregationis Concilii, tum Rotae Romanae decisiones, praesertim in *Romana matr. 4. Febr. 1697. coram Ursino*, huc omnes redeunt, ut quotiescumque Parochus affectatione sua non intellexerit, validus iudicetur contractus matrimonii: sed irritus, ubi sine aliqua affectatione is quid coram se gestum, quibus verbis, et a quibus personis, revera nesciat, quum non animadverterit.

(3) Ursaya in *tract. de matrim.* §. *11.*, eique adhaerentes Theologi Lodigerius, et Liberius a Iesu, in eo etiam casu, quo Parochus non videre, nec audire affectans, revera nil viderit, neque audiverit: putant non valere matrimonium.

(4) Ex declarationibus S. Congr. Concilii apud Gallemart. *loc. cit. lit.* ρρ *pag. 378.*, *et ibidem litt.* λλ.

(5) Ibidem *litt.* οο, *pag. 379.*

(6) Ex decretis S. Cong. Conc. apud Fagnanum in *cit. cap. quod nobis 2. de clandest. despons.* Gallemart. in *declar. ad cit. Trid. cap. 1. sess. 24. de ref. matr. num. 1.*, *quando matrimonium*, ait, *contrahitur inter virum, qui sit de una Parochia, et mulierem de alia, sufficit, si contrahatur coram Parocho proprio mulieris, vel coram Parocho viri. Sic Congregatio censuit, quod et Greg. XIII. confirmavit.*

(7) Gallemart. *loc. cit.* addit: *Matrimoniam contrahitur inter duos alienigenas, et a parvo tempore in aliquo loco habitantes, si tamen sint cogniti, ita ut non sint de comprehensis inter vagabundos: proprius autem eorum Parochus esse intelligitur, in cuius Parochia habitant eo tempore, quo matrimonium contrahitur.* Fagnanus in *cap. significavit 5. de Parochis num. 36.*, *et seq.* plura S. Congregationis responsa refert pro validitate matrimonii, quod ea data opera alio demigrantes, post mensem quoque unum novi incolatus coram huius Parocho rite contraxerint. Fridericus de Senis *cons. 254.* id arguit ex *cap. significavit 5. de parochiis*, eumque laudat, et sequitur Fagnanus in eodem *cap. num. 29.*, *et seq.*

etique domicilii, tum originis contrahentium nulla, et inanis fiet desponsatio, quoties habitatio tempore desponsationis reapse actu deficiat (1). Si quis vero duplex in diversis Parochiis domicilium revera citra fraudem retineat: coram alterutrius Parocho poterit matrimonium inire (2). Vagabundi tamen incertam habentes sedem Tridentina synodus monet, ne ad matrimonium facile recipiantur, praecipitque Parochis, *ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint* (3). Eodem iure coniugandi milites generatim sortiuntur Parochum eius loci, ubi stationis, vel praesidii causa commorantur, et domicilium inivisse praesumuntur (4). Hoc autem in Regno Regis nostri milites matrimonia coram Parocho loci debent cum interventu Regii Capellani militaris celebrare: praeterquam commorantes in Regio Palatio, et viridario, aut Darsena, aut in Castris clausis quum Neapolis, tum Baiae, et Hischiae, omnibusque aliis locis regio Capellano Maiori subiectis, qui suas rite nuptias celebrant coram proprio tantum Parocho regio (5): et qui actu sunt in expeditione contra hostes ex militaribus copiis tam Regis nostri propriis, quam auxiliaribus extra stationes, aut praesidia coram suae legionis Capellano (6). Quod ad Italo-graecos statuit Benedictus XIV., ut matrimonium inter maritum latinum, et graecam mulierem latine coram Parocho latino contrahatur: inter maritum vero graecum, et mulierem latinam posse contrahi, vel graece coram Parocho graeco, duobus, vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino, ubicumque maritus graecus voluerit (7) (*).

(1) Ex traditis a Fagnano in *cit. cap. significavit num. 25.*, *et seq.*, ubi edisserit, habitatio ne simplex iuxta opinionem Friderici de Senis, an domicilium diuturnum, firmumque sit hac in re attendendum.

(2) Ex supradictus *tit. X. de Sacr. Ord. num. LXVI.*

(3) Trid. *sess. 24. de ref. matr. cap. 7.* Proprius hinc vagabundorum Parochus, vel Ordinarius erit, in cuius districtu sedem tunc habeat, quando nuptias celebrabunt ex notatis a Gallemart. in iisdem *cap. 1., et 7. Trid.*

(4) Ex *l. haeres absens §. proinde D. de iudiciis, et l. municeps 23. §. 1, D. ad municipalem.*

(5) Ex Bulla Benedicti XIV. super iurisd., et facultatibus Cappell. Maior. Regn. Neap. pridie nonas Iulii 1741., incipiente *convenit num. 9., et 10.*

(6) Ex motu proprio eiusdem Papae super nonnullis aliis facultatibus Capell. Maior. 4. Idus Novemb. eiusdem anni 1741., incip. *cum alias.*

(7) Bened. XIV. in *const. etsi pastoralis 57. §. 8. num. 11. to. 1.* Bullarii.

(*) Plura heic observatu digna:

I. Benedictus XIV. Arch. Goano rescripsit, quod sufficiat ad adquirendum quasi domicilium pro contractione matrimonii spatium unius mensis. *Append. II. tom. IV. Bullar. eiusd.*

II. S. C. in una Florentina censuit: *quod Parochus ruralis non est verus Parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis. Apud Bened. XIV. Notif. XXIII. n. 7.*

III. Cum Iure cautum sit, quod *relegatus in eo loco, in quem relegatus est, interim necessarium domicilium habet* (*L. Filii ff. ad municipal.*): hinc sapientissime praescripsit idem Bened. XIV., quod carceri mancipati vel perpetuo, vel ad tempus, coram Parocho loci, in quo ii extant, matrimonium contrahere possunt. Excipiuntur vero illi, qui ibidem temporarie morantur, non ratione poe-

XXX. Itaque dum matrimonium ut simplex contractus inspicitur, illud *legitimum*, *et validum* nunc fieri solo sponsorum consensu per verba, et signa de praesenti coram proprio Parocho, et duobus testibus expresso, iam liquet. Ut *ratum* vero, et *licitum* undecumque sit accessione sacramentalis benedictionis haec alia superaddit sanctio Tridentina: *Antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in faciem Ecclesiae procedatur: ubi Parochus, viro, et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat*: ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, *vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque Provinciae ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denunciationes: tunc vel una tantum fiat, vel saltem Parocho, et duobus, vel tribus testibus praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut impedimenta facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut denunciationes remittantur* (1).

XXXI. Omissis hisce solemnitatibus qui matrimonium (quod vulgo *clandestinum* improprie dicitur) contrahunt coram Parocho per vim, aut dolum adscito: censuram excommunicationis ipso facto incurrunt ex decreto Neapolitanae synodi provincialis, una cum consulentibus, opemque ad id ferentibus; Parochus vero si negligentiae supinae correus fuerit, mulctam centum aureorum in pios usus, aliasque, arbitrio Episcopi sui poenas dabit (2). Insuper in foro laico iubet regia Pragmatica anno 1718. promulgata, ut quisquis clandestinum ita matrimonium

nae, sed dumtaxat custodiae, ideoque coram Parocho proprii domicilii Matrimonium inire debent. *Notif. cit. n. 2.*

IV. Praeterea infirmi, qui in xenodochiis curantur, cum urgeat mortis periculum, tempusque desit probandi status libertatem, ex Episcopi licentia coram Capellano ipsius loci contrahere possunt: si vero ipsi convaluerint, nequeunt cohabitare, nisi constet de statu libero. *Notif. cit. n. 12. et 17.*

V. Adhaec puellae expositae coram Parocho loci, ubi extat hospitium, Matrimonium ineant. *Notif. cit. n. 14.*

VI. Tandem Virgines in Monasteriis degentes, si domicilium necessarium non habeant patris, matris, aut fratris, coram Parocho loci, ubi religiosae extant Domus, nuptias celebrare possunt. *Notif. cit. n. 17.*

(1) Trid. *cit. cap. 1. sess. 24. de reform. matr.* inhaerendo vestigiis sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. in *cap. cum inhibitio 3. de clandest. despons.*, quo ita cautum: *Specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter propagando statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito: ut infra illum, qui voluerit, legitimum impedimentum opponat.*

(2) Syn. Neap. provinc. Card. Cantelmi an. 1699. *tit. 3. cap. 9. num. 12.* Eamdem aliae quoque Synodi censuram latae sententiae sanxerunt. Sicubi ea non sit lex dioecesana, illicite contrahentes censuris ferendae sententiae puniantur.

contraxerit sine solemnitatibus iure canonum, et Conciliorum praescriptis, incidat in poenam, si nobiles vir, et mulier sint, ducatorum bis millium; ignobiles ducatorum mille in singulos Regio Fisco persolvendorum, ultra corporeas poenas ad arbitrium infligendas: iisdemque poenis plectendos fore cunctos cuiuslibet status, et conditionis, qui suam quovis modo opem contulerint illegitimis eiusmodi nuptiis, vel adfuerint voluntarii testes (1). Iisque poenis in utroque foro locus erit, quotiescumque validum fuisse matrimonium constiterit: dum irritum declarabitur, secus (2). At post rem iudicatam coguntur sponsi validum contractum Sacramento ratum habere, Tridentina implendo solemnia. Si vero iudex ecclesiasticus declaraverit non constare de ipsius validitate: fas erit nedum ambobus, sed uni etiam ab eo ita resilire, ut nequeat resilientem virum foemina, aut e contrario vir foeminam compellere ad rite contrahendum (3). Volentes ambo iterum solemni ritu contrahere utique possunt (4).

XXXII. Hinc matrimonia *conscientiae*, ut aiunt, quae scilicet omissis ex dispensatione Episcopi, vel sacrae Poenitentiariae apostolicae denunciationibus, clam fiant cum benedictione sacerdotali coram Parocho, duobusque fidis testibus tantum, quamvis ceteris mortalium occulta, quia formam referunt canonicam in substantia, ita rite in faciem Ecclesiae celebrantur probissime, ut nullo prorsus clandestinae desponsationis vitio laborare iudicentur. At luctuosos ea plerumque pariunt effectus, facilitatem divertendi a coniuge sine causa, atque ad secunda transiliendi vota, impiam susceptae prolis abnegationem, vel pravam educationem, vel exclusionem ab hereditatibus parentum, et consanguineorum, vel difficilem legitimorum natalium probationem; contemptum patriae potestatis, ubi nuptiae impares, atque indiguae ineantur; fraudulentam vel beneficii, aut pensionis ecclesiasticae in coniugali statu

(1) Pragm. *un. de matr. legitime contrah.*, quam die 17. Octobris 1718. edidit Theani Princeps, Comes de Daun Prorex, instante Card. Francisco Pignatello Archiep. Neap.

(2) Ex ea iudiciorum criminalium regula, quae nonnisi consummatum opere crimen ordinaria poena coercet: imperfecti operis reus poena plectit extraordinaria mitiore. S. Hieronymus in *can. sicuti semina 10. C. 32. qu. 2.*, arguit, ut homo non iudicatur, donec ex fecundato semine membra explicentur in utero: ita sensum ratione conceptum, *nisi in opera proruperit*, cito perire, ut abortivum.

(3) Gallemart. in *declarat. cit. cap. 1. num. 10. Matrimonium contractum non servata forma Conc. Trid. (licet contrahentes certam inter se de contrahendo matrimonio fidem dederint, et postea coram testibus sine Parocho de praesenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos subsecuta), non in sponsalia de futuro resolvitur, ita ut cogi possint contrahere, servata forma Concilii: sic responsum est Episcopo Patavino.*

(4) Ea enim Tridentini verba: *ad contrahendum omnino inhabiles reddit*, S. Congregatio saepe respondit, non ad sponsalia de futuro pertinere, quae ita poterunt in matrimonio de praesenti, exin rite perfici ad formam Tridentinam, ut omnino debeat Ordinarius, ubi nil canonicum obstiterit impedimentum, concedere: sed ad matrimonium de praesenti, spreta forma Tridentina nulliter contractum, apud Gallemart *loc. cit. num. 13.*

retentionem , vel profani legati , et fideicommissi sub conditione coelibatus, vel viduitatis obtenti.

XXXIII. Tot vero, tantisque malis obviam ire studuit providentissimus Benedictus XIV. encyclica epistola, quam dedit die 17. Novembris 1751. ad universos Orbis Episcopos (1). Eos primum hortatur, ut in personis clam contrahere matrimonium expetentibus, diligenter inquirant qualitatem , gradum , conditionem , exin desumpturi probae, aut improbae voluntatis coniecturam , ne filii familias iniuria parentum iuste dissentientium, ad indignas prolabantur nuptias , ne beneficia , pensionesve possidentes clerici minorum Ordinum , aut legato coelibum fruentes quum viri , tum foeminae fraudem iuri aut publico, aut privato faciant ; ne sine documento status liberi, aut fidem alicui datam , aut legitima impedimentorum vincula subdole frangant : quum nonnisi ex causa gravissima , ut alienae vitentur iniuriae, non ut fiant alicui, sint eiusmodi occultae desponsationes perraro indulgendae. Tum iubet , ad eas ita clam celebrandas, ut nonnisi Parochus alterutrius contrahentium, vel gravi causa impellente, Sacerdos alius idoneus deputetur , sponsos commoniturus , ut curent procreandam sobolem rite baptizari , eamque legitimam agnoscere , ac educare , bonis imbuere moribus, et frui patiantur bonis ad eam ex testamento cuiusque, vel ab intestato delatis, aut deferendis. Utque post Baptismum denuncient, aut oretenus per sese, aut per alium fide dignum Episcopo dioecesano eam prolem legitimam ex occulto matrimonio suo susceptam eo loco , et die ab eo Sacerdote sub eo nomine baptizatam, vel reticitis, vel falso expressis parentum nominibus fuisse: alioquin iis id negligentibus frangatur fides arcani, occultumque matrimonium in lucem proferatur ad propulsandam a filiis gravem, nulloque pacto ferendam iniuriam. Duos propterea libros in episcopali Curia cuiusque Dioecesis servari apud ministrum ab Episcopo deputandum. probiorem clausos , et bene obsignatos, in quorum altero matrimonia eiusmodi occulta describantur ex documento , quod sine mora Parochus, vel Sacerdos deputatus post benedictas ab se nuptias ad Episcopum dabit de earumdem celebratione cum nominibus contrahentium, testiumque , loci, et temporis : in altero baptizatorum nomina , et utriusque parentis cum adiunctis loci , et diei, patrinorum, et baptizantis, ab ipsis parentibus nuncianda , quotiescumque in publico parochiali baptizatorum libro eorumdem parentum nomina reticeantur. Eosque libros nunquam patiatur Episcopus aperiri , nisi ubi necessitas postulaverit, vel describendi alia id genus coniugia, et baptismata, vel desumendi documenta, deficientibus aliunde probationibus , quae sint ius alicui quaesitum, et in iudicio reddendum ostensura. Attestationes Parochorum , aliorumque de initis ita coniugiis in loco secretiori apud semetipsum Episcopus quisque servet. Pontificiam hanc Constitutionem fore publicandam hoc in Regno Rex Carolus rescripsit ad Regalem Cameram S. Clarae die 30. Martii 1472. ea ta-

(1) Bened. XIV. in *const. satis vobis compertum 35. to. 1.* Bullarii , cuius promulgationem hoc in regno permisit Rex Carolus regio rescripto ad Regalem Cameram S. Clarae dato mense Martii 1742.

men adiecta conditione, ut quod ad effectus civiles matrimoniorum huiusmodi nullum Regiae Potestatis iuribus praeiudicium valeat ex eo regio placito inferri.

XXXIV. Si qua per orbem sit catholica gens reformationem Tridentinam non amplexa: legitimae adhuc nuptiae solo sponsorum consensu clandestino iure tolerantur. Annos quinquaginta duos post Tridentina comitia clandestinas nuptias Gallicana Ecclesia, aegro quamvis animo pertulit, quoadusque universis Franciae Clerus annuente tandem Rege Ludovico XIII., cum alii antea obstitissent, in Conventu Augustinianorum, unanimi consensu, et subscriptione concilium Tridentinum acceptarunt anno 1615. (1). In foederatis Belgii Provinciis, seu Hollandiae, et arcibus conterminis, et Mosae Traiectensis quam urbem Respublica foederati Belgii possidet iure pignoris, incolas, quum haereticos, tum catholicos, non servata forma Tridentina matrimonium validum, et indissolubile, quamvis illicitum contrahere Benedictus XIV. declaravit (2): at irritum prorsus, et nullum, quod consueverant Serviae, finitimarumque regionum incolae ita inire post promulgationem Tridentinae legis iamdiu secutam inibi ex testimonio Albanae Synodi, quam sub Clemente IX. Primas Regni pro universo Clero, populoque Albaniae et Serviae indixit, ac celebravit (3). Idemque apostolicos Missionarios monuit coniugia inter fideles Malabares ad formam Tridentinam fore contrahenda, et probanda iis tamen in locis, ubi reformatio synodica esset rite promulgata, cuius propterea pubblicationem imperavit (4).

XXXV. *Per verba de praesenti* explicandum utriusque sponsi, et sponsae consensum fore, dum etiam Synodus Tridentina decrevit, nil novum indixit, sed primigeniam contractus substantiam exposuit. In omnibus quidem humanis contractibus *concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium: nam nisi animus utriusque consentit, perduci ad effectum quod inchoatur, non potest*, Iurisprudentia docet (5). Sicuti autem promissio vendendi non est praesens venditio, sed obligatio ad futuram venditionem (6): ita promissio contrahendi matrimonium non praesentem efficit contractum, vix ad futurum disponit, et obligat (7). Probo hinc iure Innocentius III. rescripsit,

(1) Decretum eiusmodi acceptationis prostat *to. 1.* Actor. Cleri Gallic., et apud Puteanum *cap. 14. num. 3.*, et P. Const. Roncaglia in postrema *nota* ad N. Alexandrum *to. ult. hist. eccles.* Observat insuper Card. Pallavicin. *lib. 24. hist. cap. 10. num. 14.*, Episcopos Galliae in Synodis provincialibus pro virili studuisse disciplinam morum reformare secundum Tridentina decreta. Additque *cap. 11. num. 4.*, regiam aulam obstitisse promulgationi ex causis politicis.

(2) Bened. XIV. in *constitut. matrimonia, quae in locis foederatorum Ordinum 34. to. 1.* Bullarii ad postulata Iprensis Episcopi, quae Clemens XII. primum S. Congregationis Concilii iudicio remiserat, mox Benedictus idem die 13. Maii 1741. in Congr. coram se habita scitissime definivit.

(3) Idem in *const. inter omnigenas 89. eod. to.* 1. Bullarii.

(4) Idem in *const. omnium sollicitudinum 107. num. 3., et 4. to. 2.* Bullarii.

(5) Ex Iavoleno in *l. in omnibus 55. D. de obligat. et act.*

(6) Ulp. in *l. stipulatio ista* (habere licere spondes) 38. *D. de verb. de oblig.* et in *l. ex empto 11. §. 18. D. de act. empti, et vend.*

(7) Ex infra dicendis in §. 3. *de sponsalibus.*

quod matrimonium in veritate contrahitur quantum ad Ecclesiam per verba consensum exprimentia de praesenti (1). Mutos autem posse matrimonium contrahere sine verbis per signa mutui consensus, quia signa verbis aequipollent, idem Pontifex censuit (2). Ceterum quaevis verba dubie prolata, quando vir uno, alioque mulier sensu intelligit : cogendi sunt ambo in *eo sensu* communi *retinere*, *quem solent recte intelligentibus generare* (3).

XXXVI. Accedente post nuptias perfecta sexuum coniunctione, *consummatum* ita exin dicitur matrimonium, ut dissolvi numquam omnino possit, nisi per mortem. *Legitimum*, *et ratum* ante consummationem probe dissolvere fas est quum viro, tum foeminae per solemnem in probata Religione professionem alterutrius (4), vel per canonicam Summi Pontificis dispensationem, quae nonnisi ex gravioribus causis indulgetur quam rarissime. Divinum porro, et naturale Ius quia in matrimonio commixtionem sexuum, et officium generandae prolis iubet (5) : idcirco non vetat duo corpora solo animo sociata dissociari, et sacri etiam iuris vinculum ambo ad corpoream unionem trahens, antequam uniantur, per legitimam, supremamque potestatem dissolvi, aut abrumpi (6). *Simplex* propterea contractus *legitimi* matrimonii extra Ecclesiam initus solo dissensu contrahentium (7); *ratum* vero in Eccle-

(1) Inn. III. Brixiensi Episc. in *cap. tuae fraternitati 25. de spons.*, *et matr.* Ex. gr. *utroque dicente* : *ego te accipio in meam*, *vel alia verba consensum exprimentia de praesenti*, Gregorius IX. matrimonium legitimo indissolubili nexu contractum iudicat in *cap. si inter virum 31. de spons.*, *et matr.* Pariter quum Andraeas quidem iurasset, *quod eam* mulierem *ab eo tempore pro coniuge teneret*, *et ei sicut uxori suae fidem servaret*, ipsaque idem simul mutuo iurasset : Alexander III. ita firmum habuit coniugium, ut censuris compulerit virum ad eam superinducta dimissa resumendam. Hanc ipsam verborum formam in consensu nuptiali adprobaverat Iustinianus Nov. 74, *cap. 4.*, *et 5.*, unde sumptus est *can. si quis divinis 9. C. 30. qu. 5.*

(2) Innoc. III. in *cap. cum apud sedem 23*, *et cit. cap. tuae fraternitati 25*, *de spons. et matr.*

(3) Alex III. in *cap. ex litteris 7.*, et Inn. III. in *cap. tua nos 26. eod. tit.*

(4) Euseb. Papa in *can. desponsatam 27. qu. 2.*, Ioan. XXII. in Extravag. *unica de voto*, *et voti redemt.*, et Trid. *sess. 24. can. 6.* Exempla non desunt in sanctis virginibus, qui, quaeque castitatem praediligentes ab omni concubitu coniugali post nuptias abstinuerunt : in his S. Thecla apud SS. Epiphanium *haer. 76.*, et Ambrosium *lib. 2. de virgin.* commendata, S. Caecilia, S. Alexius, S. Macarius. Individuae etiam consuetudo et cohabitatio viri, et uxoris potest coelibatum servare, S. Aug. in *can. B. Maria 3. C. 27. qu. 2.* Bimestrem idcirco desponsatis rite coniugibus dant canones ad deliberandam matrimonii sui consummationem.

(5) S. Leo in *can. cum societas nuptiarum 17. C. 27. qu. 2.* Cuius verba supra exscripsi *num. IX.*

(6) Ulpian. in *l. nihil 35. D. de reg. iur. Nihil tam naturale est*, *quam eo genere quodque dissolvere*, *quo colligatum est : ideo verborum obligatio verbis tollitur : nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.* B. Chrysostomus in *cap. 1. de reg. iur.*, *et can. omnis res 4. C. 27. qu. 2. Omnis res*, ait, *per quascumque causas nascitur*, *per easdem dissolvitur.*

(7) Ex *ep. 1.* ad Corint. *cap 7.*, paullo superius explicita *num. XV.*, et Inn. III. in *cap. quanto 7. de divortiis*, et Gratian. *C. 28. qu. 1.* Quirites *bona gra-*

siae faciem rite celebratum, ante consummationem probo iure ab Ecclesia dissolvitur, vel solemni religionis voto, vel canonica dispensatione.

XXXVII. Secus est in matrimonio semel consummato. Nam statim ac homo reapse suae adhaeserit uxori, utriusque una tunc reipsa fit caro, et ambo sic Deus coniungit ad susceptum naturae officium, ut nefas omnino sit homini cuilibet separare, ex notissima inspirati Adae sententia, et Christi Domini oraculo. Addit Christus: *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur, et qui dimissam duxerit, moechatur* (1). *Iis autem qui matrimonio iuncti sunt*, scribit Apostolus (2), *praecipuo non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat... Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est.* Hinc delirasse iam liquet cum Nicolaitis (3) Lutherum, contendendo vinculum matrimonii posse nedum ex adulterio, sed aliis etiam causis dissolvi.

§. I. *De divortio.*

XXXVIII. Quoniam in recitatis ex Matthaeo verbis Domini, viro, *qui dimiserit* solum, *excepta causa fornicationis* adnectitur proxime, non ei, *qui aliam duxerit:* palam hinc intelligimus matrimonii vinculum adulterio superveniente non solvi, nec dirimi, sed firmum adhuc, ratumque manere usque ad alterutrius mortem. Genuinus huius literae sensus hic fecit, ut bona fide discipuli tunc reponerent: *si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Christus autem *dixit illis: non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* (4). Igitur coniugium adulterio solvi ex textu evangelico arguentes, ii reclamante syntaxi, et sono verborum Domini, ad eum, qui aliam duxerit, limitatam fornicationis causam extendunt improbe, iteruntque in posteriori sermonis membro, quam nonnisi semel Christus adposuit in priori. S.

tia, idest communi consensione, ac sine discordia saepe matrimonia rescindebant, Hermogeniano teste in *l. et ideo 62. D. de donat. int. vir. et uxor.* Quomodo nunc inter Iudaeos matrimonium contrahatur, docet Bened. XIV. in *const. postremo mense 28. §. 63. to. 2.* Bullarii.

(1) Matthaei *cap. 19. vers. 9, et cap. 5. vers. 32*, Marci *cap. 10. vers. 11.*, Lucae *cap. 16. vers. 18.*

(2) Ad Corinth. *cap. 7. vers. 10., 11.. et 39.*, tum ad Romanos *cap. 7. vers. 1., et seq.*

(3) Nomen id fraudulentum sumpserunt ii haeretici a Nicolao uno ex septem Diaconis apostolicis, sancto viro, qui non aliam, nisi unam cognovit uxorem suam, et filium, filiasque ab ea suscepit custodientes coelibatum. Ut suae erga pulchram coniugem zelotypiae notam, reprehensionemque dilueret apostolicam, dixisse fratribus fertur eam repraesentans, ut quem ex illis ipsa maluisset, in virum sibi acciperet. Quo effato abutentes in pravum sensum eos, qui solubile foedus coniugii fore delirabant, eos auctoritatem inde, nomenque captare dolo studuisse, monet S. Irenaeus *lib. 1. cap. 27.*, Clem. Alexandrin. *lib. 3. strom.* Euseb. *lib. 3. histor. cap. 29.*, Fleury *lib. 2. hist. num. 21.*

(4) Matthaei *cap. 18. vers. 10., et 11.*

Augustinus ea recitans Apostoli verba (1): *his, qui sunt in coniugio, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. . . . Potest enim fieri*, resumit S. Doctor (2), *ut discedat ea causa, qua Dominus permisit. . . . si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori.* Consentiunt ceteri Patrum quamplurimi (3). Quod igitur ad vinculum inter fideles nullum dari divortium docet Benedictus XIV. (4).

XXXIX. Aliquot humanitus ea in re lapsos misericordia, non imitatione dignos prisci etiam Patres commemorant. *Scio quosdam*, ait Origenes (5), *qui praesunt Ecclesiis, extra Scripturam permisisse aliquam nubere, viro priore vivente, et contra Scripturam quidem fecerunt dicentem:* mulier ligata est, quanto tempore vivit vir eius. *Item* vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: *Non tamen omnino sine causa hoc permiserunt: forsitan enim propter infirmitatem, et incontinentiam hominum, peiorum comparatione, quae mala sunt permiserunt adversus ea, quae ab initio fuerunt scripta.* S. Basilius scribit (6), *virum ab uxore dimissum, venia dignum esse, si nubat cum altera, neque mulieri, quam ducit, tale connubium crimini esse vertendum.* S. Augustinus (7), *in divinis sententiis ita obscurum est, utrum et iste, cui quidem sine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur.*

XL. Leges saeculi potissimum in causa fuere, ut in foro externo Ecclesiae disciplinam aequo indulgentiorem olim tolerassent nonnulli Patrum, aegro licet animo, in transeuntibus ad secunda tunc occulta connubia, qui priores adulteras coniuges dimisissent. Romani porro imperii cives dirimebant matrimonium aeque divortio, ac morte, vel

(1) I. ad Corinth. *cap. 7. vers. 10.*

(2) S. August. *in can. Apostolus 3. C. 32. quaest. 7.* Clemens Alexandrinus *lib. 2. stromat. Christus aperte constituit legem:* non dimittes uxorem, praeterquam propter fornicationem. *Adulterium autem existimat coniungi matrimonio, vivo altero ex separatis.* Innocentius I. *ep.* ad Exuperium: *qui interveniente repudio, alio se matrimonio copularunt, in utraque parte adulteros esse manifestum est... ideo tales a communione fidelium volumus abstinendos.* B. Chrysostomus *hom. 17. in Matth.* inquit: *Ille etsi alteram non duxerit, hoc ipso se substituit criminis reum, quod adulteram fecit ex coniuge, alteri nubentem; hic vero accipiendo alienam, adulter effectus est. Nequaquam enim mihi regeras, quia illam alter eiecit: nam expulsa quoque uxor eius, qui eam expulit, perseverat.*

(3) S. Hieron. in *can. omnes 7.*, S. Ambrosius in *can. nemo blandiatur 4. C. 32. qu. 4.*, Synodus Milevitana in *can. placuit 5.*, Eliberitana in *can. fidelis foemina* 8., Bracharensis in *can. si quis fuerit 9. C. 32. qu. 7.*, Synodus Nannetensis *can. 12.*, S. Isidorus Hispal. *lib. 2. de divin. offic. cap. 19.*, Ven. Beda in *cap. 10. Matthaei*, Ivo Carnotensis *ep. 125. ad Daimberium*, S. Anselm. in *cap. 9.*, *et 19. Matthaei*, S. Thom. in *suppl. qu. 62. art. 5.*

(4) Ben. XIV. in *const. etsi pastoralis 57. num. 8. to. 1.* Bullarii.

(5) Origenes *tract. 7. in Matth.*

(6) S. Basilius *epist. 1. ad Amphilochium cap. 9.*

(7) S. Augustinus. *lib. de fide, et operibus cap. 19.*

captivitate, vel servitute alterutrius eorum (1). Divortio hinc rite facto secundum leges quavis legitima causa (2), excepto fribusculo (3) : ita solvi iubebant mutuum coniugii vinculum antiquae leges, et mores , ut statim utrique permitterent ad secundas transire nuptias (4). Postea Theodosii constitutione. ut proles ante divortium concepta ne confunderetur , interdictum foeminis secundo nubere , nisi post annum a divortio lapsum (5). Dein Anastasius rescripsit , si communi et viri , et mulieris consensu libellus repudii esset sine ulla causa missus , licere mulieri non *quinquennium expectare* , *sed post annum ad secundas nuptias convolare* (6). Iustiniano itidem placuit distrahi more antiquo matrimonia utriusque partis consensu , tam sine causa , quam *bona gratia* per occasionem probabilem (7). Idemque tres alias causas fa-

(1) Paullus iureconsultus in *l. dirimitur matrimonium 1. D. de divortiis , et repudiis.* Primus omnium Romae Carvilius Ruga anno ab Urbe condita 519. , divortium cum uxore ob sterilitatem fecisse de amicorum consilio, iuratus apud censores liberorum se quaerendorum causa illam detinere , fertur ab A. Gellio *lib. 7. noct. cap. ult.*

(2) Cicero *Philip.* 2. formulam divortii legitimi hanc ex XII. tabulis innuit : *Suas res sibi habere iussit ex XII. tabulis, causam addidit, claves ademit, foras exegit.* Caius Iurec. in *l. 2. §. 1., et 2. D. de divortiis* haec itidem verba fert in divortiis Romanorum consueta : *tuas res tibi habeto*, et haec alias: *tuas res tibi agito.* Brissonius *lege Iulia de adulteriis cap. 28.* ita imperatum fert: *Divortia septem civibus Romanis puberibus testibus adhibitis, praeter libertum eius, qui divortium faciet, post haec faciunto , aliter facta pro infectis habentur.* Idipsum tradit Paulus in *l. nullum divortium 9. D. de divort.*

(3) In XII. tabularum fragm. *tit. 17. de nuptiis §. 9. de iurgio , et fribusculo* , apud Gothofr. haec habentur.... *quoties inter virum, et uxorem aliquid iurgii intercesserat , in sacellum Deae Viriplacae , quod est in palatio , veniebat. Tum ibi invicem loculi , quae voluerant , contentione animorum , deposita , concordes revertebantur. Dea nomen hoc a placandis viris assecuta fertur.* Idipsum habet Valerius Max. *lib. 2. cap. 1. de sacello Deae Viriplacae.*

(4) S. Hieron. *lib. 2.* ad Iovin. *quasdam repudiatas* , ait , *altero nuptiarum die statim nupsisse legimus. Uterque reprehendendus maritus , et cui tam cito displicuit , et cui tam cito placuit.*

(5) Theodosius , et Valentinianus in *l. consensu 8. de repudiis , et iudicio de moribus sublato §. 1.* aiunt : *sine iusta causa dissolvi matrimonia iusto limite prohibemus.... Si qua igitur maritum suum adulterum , aut homicidam , aut veneficum, etc. si suae vitae veneno , aut gladio, aut alio simili modo insidiantem , si se verberibus , (quae ingenuis aliena sunt) afficientem probaverit: tunc repudii auxilio uti necessario ei permittimus libertatem , et nubendi post annum ei (ne quis de prole dubitet) permittimus facultatem. Ex eisdem etiam causis repudiante viro uxorem , (si velit) statim ducere , hac iusta definitione sancimus. Sin autem aliter uxori suae renunciare voluerit, dotem redhibeat, et ante nuptias donationem amittat.* Vicissim mulier si absque causa virum repudiasset , *amissione dotis , et donationis ante nuptias, et quinquennali suspensione a secundis nuptiis , et infamia* , si intra quinquennium nupsisset , plectendam iubent.

(6) Anastas. in *l. si constante 9. C. de repudiis.*

(7) Iustin. *Nov. 22. cap. 4.* , et Nov. *68. cap. 2.* , et in *l. un. in fine C. de rei uxor. act.* , Hermogen. in *l. et ideo 62. D. de donat. int. vir., et uxor.*, Ulpian. in *l. sed si maritus 14. §. 4. D. qui, et a quib. manumiss.* Papinian. *in l. si poenituit 7. De divortiis.*

ciendi divortii (studium scilicet abortus , lavacrum cum viris promiscuum, et allocutionem de suis cum altero futuris nuptiis) addidit constitutioni Theodosianae (1). Carolus M. homini adulteram uxorem dimittenti ius esse accipiendi alteram edixit (2).

XLI. Suo interea officio Patres Ecclesiae sanctiores non defuisse liquet , evangelicam praedicando veritatem. *Nec mihi recites*, Chrysostomus intonuit, *leges externas*, *atque profanas*, *quae libellum repudii dare*, *ac divortium facere praecipiunt* : *non enim profecto secundum has leges iudicaturus est Deus* , *sed secundum eas* , *quas ipse posuit* (3). *Nemo blandiatur sibi de legibus hominum* , reboat S. Ambrosius (4). *Dimittis ergo uxorem* , increpans addit (5) , *quasi iure* , *sine crimine* , *et putas id tibi licere* , *quia lex humana non prohibet: sed divina prohibet. Hoc non licet iure poli* , *etsi liceat iure fori*, conclamat S. Augustinus (6). Hinc Patres Africani, inter quos etiam S. Augustinus , in Concilio Milevitano an. 424, legem imperialem petendam censuerunt, quae secundas nuptias inhiberet separatis ob adulterium coniugibus , quoad viveret alter, vel altera (7).

XLII. Sicubi ergo toleratae leguntur umquam secundae uxores, dum adhuc viverent adulterae dimissae: tamen eas numquam catholica Ecclesia infallibilis , et perpetua Patrum traditio probavit in foro saltem interno, dum in foro externo censuras silere cogebat, hinc prudentia, illinc vis legum civilium. Nam Concilium Arelatense I. anno 314. cen-

(1) Iustin. *cit.* Nov. *22. cap. 16.*

(2) Capitular. *lib. 5. cap. 19* : *Si quis homo habens mulierem legitimam* , *si frater eius adulteravit cum ea ; ille frater, vel illa foemina* , *qui adulterium perpetrarunt*, *iterum quoad vivunt* , *numquam amplius habeant coniugium: ille vero* , *cuius uxor fuit*, *si vult*, *potestatem habet uxorem accipere aliam.* Hunc locum memorant Romani Correctores in *can. quaedam 19. C. 32. qu. 7.*

(3) Chrysostom. *in ep. ad Rom. cap. 7.*

(4) S. Ambros. in *can. nemo blandiatur 4. C. 32. qu. 4.*

(5) Idem *lib. 8. in Lucam cap. 2. ex commentario ep. ad Corinthios*, inter opera S. Ambrosii inserto (cuius auctor , vel Pelagius, vel Hilarius Diaconus, ambo haeretici , sub venerando Doctoris nomine per fraudem latet) Gratianus in *can. uxor. 17. C. 82. qu. 7.* , putidum hoc fragmentum desumit : *Uxor a viro non discedat* , *nisi causa fornicationis* : *quod si discesserit* , *maneat innupta* , *aut reconcilietur viro suo* : *et vir similiter non dimittat uxorem. Ideo non subdit de viro* , *quod de uxore praemisit : quia viro licet ducere aliam.* Proh nefas ! Non una , sed plures B. Ambrosii sententiae ex genuinis eius libris depromptae sat detegunt per sese fraudem improbi falsatoris.

(6) S. August. *hom. 46.*, *seu serm. 392.* Ante omnes scripserat Tertullianus in *apologet. cap. 4.*, eiusmodi leges civiles *cum iniquae recognoscuntur* , *merito damnantur.*

(7) Conc. Milevitan. *can. 69. Placuit etiam* , *ut secundum evangelicam et apostolicam disciplinam*, *neque dimissus ab uxore*, *neque dimissa a marito alteri coniungatur : sed ita maneant* , *aut sibimet reconcilientur. Quod si consenserint* , *ad poenitentiam redigantur. In qua causa legem imperialem petendam promulgari.* Canonem hunc integrum habet collectio Conc. Binii *tom. 1. par. 1. pag. 752.* Eumque ipsum Gratianus mutilavit in *can. placuit 5. C. 32. qu. 7.*, omissa clausula finali, quae legem imperialem ea de re promulgandam expetebat.

suit adolescentibus fidelibus, qui prohibebantur a secundis nuptiis, *consilium* dari, *ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant* (1). Alios, qui in utroque foro iudicassent licitas coniuge vivente, quamvis adultero, et repudiato secundas nuptias, procul dubio errasse patet (2).

XLIII. Schismatici graeci cum in ea essent sententia, et prava consuetudine, ut matrimonii foedus ex fornicatione dissolverent: eos hac de re corrigendos in Concilio Florentino censuit Eugenius IV. (3). Mox in Armenorum instructione docuit, *quamvis ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est: quum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit.* Itaque *si quis dixerit Ecclesiam errare, quam docuit, et docet iuxta Evangelium, et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit, anathema sit* ex Tridentino (4).

XLIV. Quoties ergo validum ab initio fuerit matrimonium, et semel consummatum: nullo quantumvis legitimo divortio dirimi ius divinum patitur, et Canonicum, omnem adversis humanis legibus vim adimens. At invalidum si quando fuisse detegatur ex aliquo impedimentorum dirimentium, quae inferius edisseram: Ecclesia tantum in foro suo, auditis partibus, ordinario iudicio rite declarabit *constare*, vel *non constare de obiecta nullitate matrimonii* (5). *Si quis autem dixerit*, sanxit Tridentinum, *causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit* (6). Concordata etiam huius Regni confirmant ad iudices

(1) Conc. Arelatens. *can. 10. De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles, et prohibentur nubere, placuit, ut quantum possit*, consilium *eis detur, ne viventibus uxoribus suis licet adulteris, alias accipiant.* Huc forsan spectat et illud Apostoli ad Titum *cap. 2. vers. 6: Iuvenes hortare, ut sobrii sint.*

(2) Sic erravit synodus Venetica anno 465. *can. 2.*, dum censuit *adulterii facta probatione* licitum esse *aliam uxorem priore superstite ducere.* Cuiusmodi errorem emendavit Synodus Foroiuliensis Venetorum an. 791. *can. 10.*, dum decrevit, *ut resoluto fornicationis causa iugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere.*

(3) In Concilio Florent. *sess. 25.* ad Graecos Patres allocutus Eugenius est his verbis: *propono vobis aliqua, ut fratribus, ut Ecclesiarum doctoribus, et primo dico omnes conqueri de separatione matrimoniorum, idque correctione indiget.*

(4) Trid. *sess. 24. de reform. matrim. can. 7.*

(5) Alexander III. de Comite Pontino, qui suam B. uxorem sine iudicio Ecclesiae dimiserat, sic rescripserit Episcopo Ambianensi: *tui officii interest matrimonia illa, adhibita gravitate dissolvere, quae illicite contracta noscuntur.* Consonant decretales in *cap. causam matrimonii 16. de officio iudicis delegati, cap. ex litteris 1. de consanguinitate, et affinitate*, pluresque aliae *sub tit. de spons., et matr.*

(6) Trid. *sess. 24. de Sacr. matr. can. 12.*

tantum ecclesiasticos spectare causas, in quibus agitur de validitate, aut nullitate quum matrimonii, tum sponsalium (1).

XLV. Quod vero ad solam thori, et domicilii separationem, lex Christi, et Ecclesiae divortium utique probat, nedum ex violata per adulterium fide coniugii, sed aliis etiam ex causis legitimis, et canonicis mox enucleandis. *Et si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter coniuges quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anathema sit* (2), sanxit Tridentinum. Huius quoque divortii causae in foro episcopali non raro discutiuntur, cum liceat nemini auctoritate sua coniugem ab se dimittere, individuam vitae socialis consuetudinem (3) abrumpere, et mutuam corporis sui potestatem, aut iura vicissim nuptiis quaesita auferre alteri. Haec enim relaxare, solius Ecclesiae iudicii esse monet Benedictus XIV. (4). Inveterato enim iure styloque iudex ecclesiasticus monet primum, dein censura excommunicationis compellit coniugem *ad praestandum coniugi obsequia coniugalia*, quoties alter ab altero temere discesserit (5). Et ubi proponantur legitimae divortii, aut repudii causae, ad eas rite probandas actorem adigit. Et quia publicam iniuriam irrogat coniugi coniux, absque iudicio Ecclesiae dimittens, peccatique publici se reum facit: hac idcirco ratione Concordata an. 1741; ecclesiastico foro cognitionem, punitionemque censuris tantum ecclesiasticis remisisse videntur (6). Verum quaestiones ex divortio emergentes de restituenda, vel amittenda dote, ac nuptiali donatione, vel praestandis alimentis, aliisve rebus profanis, et politicis, aut de personarum coactione poenis temporalibus: laici tunc iudices iudicium sibi vindicant (7).

(1) Concordata *an. 1741. cap. 6. art. 3.* Nil autem nostra interest, an puberes, vel impuberes nuptias de praesenti contraxerint. Quidquid aliter senserit Feuretius de matrimonio impuberum in Gallia, denegans omnino Episcopis iudicium de matrimonio impuberum, ex eo quod irritae ipso facto habeantur eorumdem nuptiae. Nam optimis rationibus eum refellit Altaserra *lib. 6. de iurisd. cap. 3.*, ex eo praecipue, quod quaestio facti ambigua incidat saepe, numero et emergat in nuptiis impuberum, puta super aetate, super natura praecoci, quae efficit nonnunquam, ut malitia suppleat aetatem, super consummatione praevia foederis nullitatem convalidante, super dispensatione aetatis, super consensu post pubertatem superveniente, aliisque id genus.

(2) Ex Trid. *cit. sess. 24. can. 8.*

(3) S. Augustinus *in can. B. Maria 3. C. 27. qu. 2.*, *Consensus*, ait, *cohabitandi, et individuam vitae consuetudinem retinendi, eos coniuges fecit. Individua vero vitae consuetudo est, talem se in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est, et e converso.* Uxor *socia divini, et humani iuris* ab Ulpiano etiam dicitur in *l. 1. D. de rit. nupt.*

(4) Bened. XIV. *lib. 7. de Synodo Dioecesana cap. 35. num. 4.*

(5) Ex *cap. de illa 6. de divortiis.*

(6) Concordata an. 1741. *cap. 6. art. 5.* publicos quosque peccantes censuris ecclesiasticis ex recepto more puniendos cavent.

(7) Ex traditis a Bened. XIV. *loc. cit. num. 4.* post Bellarminum, et Tannerum, quamvis Iure decretalium consuevissent olim incidentes etiam causae dotis, alimentorum, et sponsalitiae largitatis in sacro foro diiudicari, *ex cap. ex parte 15 de for. comp. cap. de prudentia 3. de donat. inter vir., et ux.* Videsis dicenda inferius *lib. III. tit. VII. num. XIV.*

XLVI Legitimus iudicii externi ritus efficit, ut nisi divortium petens sat probaverit in iudicio causam idoneam : cogatur in possessione coniugii retinere invisam uxorem (1). Pariter si causam, ab eo probatam eliserit contraria exceptio. Si enim uterque fidem coniugalem polluisse adulterio detegatur: compensatis mutuo criminibus locum divortio tunc denegat Ecclesia, virumque commaculatum redire ad uxorem suam compellit (2). Innocens vero coniux nullo iure adigitur adulteram invitus recipere, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse, uti rescripsit Alexander III. (3). At eam voluntarie repetens non prohibetur sed immo commendatur, quia sacris obsequitur canonibus omnes generatim coniuges hortantibus ad mutuam peracta poenitentia reconciliationem (4). Hermas officia coniugum explicans tradit posse mulierem adulteram cum viro inscio cohabitare, eamque, si vir sciverit, nonnisi post peractam poenitentiam fore thoro coniugali restituendam: alias particeps eius sceleris erit: poenitentem, qui non receperit, eum graviter peccare, recidivam resumere, ut nemo cogatur (5). Ceterum *qui tenet adulteram, stultus est, et impius*, ex oraculo Salomonis (6).

XLVII. Canonicam quoque causam divortio dat lapsus in haeresim, vel gentilitatis errorem (7). *Omnis, qui reliquerit domum.... aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet*, Dominus ait (8). Hoc tamen casu, ubi uxor a lapso viro discesserit auctoritate propria sine iudicio Ecclesiae, cogenda est eum Ecclesiae reconciliatum invita etiam resumere : secus autem, si post Ecclesiae iudicium ab eo discesserit (9). Quoties autem fidelis coniux ab infideli ante baptismum ducto semel discesserit, viroque fideli iam nupserit; nequibit amplius hoc vivo redire ad primum, qui postea sit fidem nostram amplexus. Nam servitute con-

(1) S. Aug. *in can. saeculares 1.*, Nicolaus Papa *in can. historia 3.*, *et seq. C. 33. qu. 2.*, Alexand. II. *in can. multorum 10. C. 35. q. 6.*, Alex. III. *in cap. porro 3. de divortiis*, *et cap. ex transmissa 8. de restit. spoliator.*

(2) S. August. in *can. 1. ad quintum*, *et ult. C. 32. quaest. 6.*, et Alex. III. *in cap. ex litteris 5. de divortiis*, ibique Fagnanus.

(3) Alex III. *in cap. significasti 4. de divortiis.*

(4) Ex ea Apostoli sententia 1. *ad Corinth. cap. 7. vers. 11. Si discesserit, manere innuptam, aut reconciliari viro suo.*

(5) Hermas *lib. 2.* de pastore *mandato 4.*, quem laudat Fleury *lib. 2. hist. eccles. num. 45.*, et Gratianus in *can. ego dixi 7. C. 34. qu. 2.* Idem praeterea Hermas *visione 2.* refert e manibus mulieris senis scriptum memoriale accepisse, ut idipsum de littera ad litteram exscriberet, cuius obscurum sensum, nonnisi post ieiunium, et orationem intelligens, tandem novit descripta inibi esse peccato uxoris, filiorumque suorum sibimetipsi corrigenda, monitus interea, ut nullum in eos odium conciperet ex illatis sibi per eosdem iniuriis : praescivitque simul fore, ut sua sibi coniux fieret exinde soror ad significandam in coniugio continentiam.

(6) Proverbiorum *cap. 18. vers.* 22. Non dimittens adulteram patronus turpitudinis iudicatur a Chrysostomo in *can. 1. C. 32. qu. 1.* Consonat *l. quamvis 30. C. ad l. Iul. de adulter.*

(7) Cap. *quaesivit 2.*, *cap. de illa 6.*, *et cap. quanto 7. de divortiis.* S. August. *in can. idolatria 5. C. 28. qu. 1.*

(8) Matth. *cap. 19. vers. 29.*

(9) Urban. III. ad Florentinum Episc. *in cit. cap. de illa 6. de divortiis.*

iugis infidelis liberatam pronunciat Apostolus eam per baptismum, contumelia Creatoris solvente ius legitimi matrimonii in eo, qui relinquitur (1). Paganus quoque post baptismum uxorem antea ductam, quae ipsum sectando fiat etiam fidelis, non potest amplius dimittere, nisi aliam, antequam baptizaretur, acceperit (2).

XLVIII. De ceteris coniugum pravis moribus, et causis non immerito dubitatur. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, eam moechari*, Dominus ait (3). *Haereticum hominem post unam, et secundam correctionem devita*, iubet Apostolus (4). *Qui in Deum peccat, Sacramenti coelestis amittit consortium*, inquam cum B. Ambrosio (5). B. Hieronymus, *grave pondus uxorum* esse monet, *si excepta causa fornicationis eas dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si vaga, si iurgatrix, si maledica, tenenda erit istiusmodi? volumus, nolumus, sustinenda est: quum enim essemus liberi, voluntarie nos subiecimus servituti* (6). *Dominus ad illud confirmandum*, docet S. Augustinus (7), *ut non facile dimittatur uxor, solam causam fornicationis excepit: ceteras vero molestias, si quae forte extiterint, iubet pro fide coniugali, pro castitate fortiter sustineri* (8). *Si uxorem quis habeat sterilem, vel deformem corpore, sive debilem membris, sive morbis, et doloribus confectam, et quidquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide, et societate sustineat.* Nicolaus Papa (9): *quidquid mulier tua*, inquit, *contra te cogitaverit, aut fecerit, vel si te accusaverit, non est, excepta fornicationis causa, reiicienda.* Et versa vice S. Ambrosius ait (10): *horrendus, et incultus est vir, semel placuit: numquid vir frequenter est eligendus?* Leprosum etiam virum coniugali affectione, ac officio sequi uxor cogitur ab Ecclesia (11). Si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, Gregorius III. rescripsit, ut *ille, qui se non poterit continere, nubat magis* (12) Id mihi sensisse Pontifex videtur in matrimonio rato, non consummato: vel, ut exponit Gratianus, in matrimonio per incestuosam antea fornicationem irrito. Communi autem consensione continentiam licet coniugibus vovere (13).

(1) S. Ambrosius *in can. si infidelis 28. quaest. 2.*, et Innoc. III. *in cap. quando 7. de divortiis.*

(2) Innoc. III. *in cap. gaudemus 8. de divortiis.*

(3) Matth. *5. vers. 32.* (4) Ad Titum *cap. 3. vers. 20.*

(5) S. Ambros. *in can. nemo blandiatur 4. in fine C. 32. qu. 4.* Hic tamen loquitur de adulterio Legem Dei violante.

(6) S. Hieron. *in cap. 19. Matthaei.*

(7) S. August. *in can. Dominus 6. C. 32. quaest. 7.*

(8) Idem *in can. si uxorem 18. C. 32. quaest. 5.*

(9) Nicol. *in can. quidquid 22. ead. C. et quaest.*

(10) S. Ambros. *in can. horrendus 17. ead. C., et quaest.*

(11) Ex decretalibus Alex. III. *in cap. 1., et 2. de coniugio leprosorum.*

(12) Greg. III. *ep.* ad Bonifacium anno circiter 731. *in can. quod proposuisti 18. C. 32. qu. 7.*

(13) Nicol. I. in *can. scripsit 26. C. 27. qu. 2.* Alex. III. in *cap. 1. de coniug. lepros.* Greg. IX. in *cap. dudum 20. de convers. coniug.*

XLIX. Propter saevitiam nihilominus, ex qua sibi grave malum a coniuge imminere coniux timeat, divortium thori, et cohabitationis indulget ius ecclesiasticum (1), eoque magis, ubi detegantur conspirationes, insidiaeque ad necem (2). Tunc lite etiam pendente uxorem trepidantem tuto in loco, vel claustrali, vel in domo parentum suorum, aut honestae matronae custodiendam seponet aequus, et bonus iudex (3): id ubi expedire arbitrabitur ex adiunctis hinc odii, hinc timoris qualitatibus, et ex personarum conditione (4). *Si quis* vero *dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit* ex Tridentino (5).

L. Vinculum coniugii semel firmum inter fideles mors tantum naturalis ex Apostoli oraculo notissimo ita solvit, ut si quando mortuus coniux miraculo resurrexerit, uxorem suam alteri nuptam repetendi ius nullum habeat. Secus est in morte civili. Captivitas porro matrimonium divino iure quum dirimere nullatenus valeat, postliminio regressi ad suas redeunt coniuges, easque sibi etiam invitas ab illegitimis consortibus repetunt (6): quamvis antea divortium thori cum ipsis fecissent. Cave, ne putes ab Innocentio I. fuisse olim secundas nuptias cum muliere *divortio eiecta* probatas (7). Nam ea in epistola ad Probum Pontifex loquitur de divortio indicto per dirimens aliquod impedimentum postea detectum (8), non de divortio thori. Vix a peccato excusabit bona fides transeuntium ad secunda vota: opinio nempe probabilis, et

(1) Alexander III. in *cap. ex transmissa 8.*, Innoc. III. in *cap. litteras 13. de restit. spoliat.*

(2) Concilium apud Wermerias (in palatio Regis Pipini celebratum anno 752., Pipino ipso, qui parens fuit Caroli M., interveniente, sub Stephano II. Papa, qui tunc in Gallia degens eum uxorat in Regem) *in can. si qua mulier 6. C. 31. qu. 1.* decrevit. *Si qua mulier mortem mariti sui cum aliis consiliata est, et ipse vir aliquem illorum sese defendendo occiderit: si probare potest ipse vir eam ream esse consilii, potest, ut nobis videtur, ipsam uxorem dimittere, et si voluerit, etiam ducere: ipsa autem insidiatrix poenitentiae subiecta absque spe coniugii maneat.* Prostant omnes 21. huius Concilii canones *tom. 8. Concil. collect. Labbaei, et Cossartii.* Textus Gregorianus in *cap. 1. de divortiis* istud ipsum habet decretum, sed emendata hoc modo sententia: *potest ipsi post mortem uxoris, si voluerit, aliam ducere.* Id quod observat etiam Gonzalez *in notis* ad idem *cap. 1. vers. aliam ducere.*

(3) Ex *cit. cap. ex transmissa 8., et cap. litteras 13. de rest. spol.*

(4) Covarruvias *hoc tit. cap. 7. §. 5. to. 1,,* iudicis arbitrio remittit causam saevitiae, et suspectae cohabitationis.

(5) Trid. *sess. 24. de Sacr. Matr. can. 5.* Hinc Bened. XIV. in *const. inter omnigenas 88. num. 12. to. 1.* Bullar. pro Serviae incolis inter alia rescripsit matrimonia non dissolvi per uxoris fugam, et nuptias ab ea cum infideli contractas.

(6) S. Leo in *can. cum per bellicam cladem 1.*, Innocentius I. in *can. cum in captivitate 2.*, Conc. apud Vuermerias in *can. si quis 4. C. 34. qu. 2.*

(7) Innoc. I. in *cit. can. cum in captivitate* haec Probo rescribit: *conventum secundae mulieris, priore superstite, nec* divortio eiecta, *nullo pacto posse esse legitimum.*

(8) Sicuti probe observat Glossa *ibidem* verbo *eiecta.*

inculpata soluti coniugii per coniugis obitum in captivitate falso nunciatum, probatumque (1).

LI. Inter coniuges graecos etiam Ordinarii locorum a Benedicto XIV. commonentur, ut nullo pacto permittant, nec patiantur umquam matrimonia dirimi, seu divortia quod ad vinculum fieri: sed si qua de facto eiusmodi divortia invenerint, ea palam nulla, et irrita rite declarent (2).

LII. Nec etiam Iudaeis ex novi Testamenti lege nunc licet amplius libellum repudii, quo foedus coniugii dirumpebatur, dare mosaycis ritibus. Si eorum autem quis neophytus ad fidem conversus Iudaeus inveniatur superstitionibus rabinicis ad Iudaeam uxorem non conversam dedisse libellum repudii: sanxit Benedictus XIV. in eum, ut iudaizantem esse censuris ecclesiasticis, et poenis etiam pecuniariis animadvertendum, quas mitiores fore iussit, ubi coram notario, et testibus christianis extra iudaeorum domicilia illum dederit (3). Statuit praeterea fore mulierem tunc de more interpellandam a viro converso, an velit et illa Christi fidem amplecti, et cohabitare cum ipso viro christiano: ut liberum exinde sit aliud, ea renuente, matrimonium contrahere (4). Verum nil definire maluit de iis inter Theologos nostros controversiis, utrum statim, ac infidelis renuat fidem christianam amplecti, ut opinantur nonnulli, an post secundas cum christiana foemina nuptias initas legitimum viri neophyti matrimonium dirimatur, ex probabiliori sententia, quam sequitur S. Congregatio Concilii; et utrum uxor infidelis in poenam suae perfidiae nequeat alteri viro nubere, quoad primus vixerit, an aequa lance solvatur vinculo primi coniugii per secundas nuptias in christiana religione a viro suo peractas. Ceterum matrimonia inter neophytum, et fidelem rite contracta non rescindi per posteriorem adventum prioris coniugis infidelis ad fidem, declaravit idemmet Pontifex (5).

§. II. *De secundis nuptiis.*

LIII. Soluto per mortem alterutrius coniugis matrimonio, secundas nuptias, ulterioresque eodem casu permittit Lex Domini ab Apostolo vulgata, dum scribit (6): *mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit: quod si dormierit vir eius, liberata est: cui vult, nubat,*

(1) Lucius III. in *cap. Dominus 2. de secund. nupt.* dubitantem de morte coniugis bigamum reddere, non petere coniugale debitum posse rescripsit S. Aug. in *can. si virgo nesciens 5. C. 34. qu. 2.*

(2) Bened. XIV. in *const. etsi pastoralis 57. §. 8. num. 2. to. 1.* Bullarii.

(3) Idem in *const. Apostolici ministerii 38. super abusu libelli repudii conversorum a Iudaismo.* Verum Apostolico Venetiarum Nuntio idem Papa facultatem demandat dispensandi cum neophitis in loco pio cathecumenorum Venetiis commorantibus, ut ii possint cum Christianis coniugia contrahere, non interpellatis ante coniugibus in infidelitate relictis, ea lege, ut posterior infidelis coniugis adventus, et conversio ad fidem nequeat amplius christiani matrimonii foedus rescindere, *const. in suprema* 117. *to.* 1. Bullarii.

(4) Ibidem, et in altera *const.*, quae incipit *in suprema 117. t. 1. Bullarii.* Consonat Innoc. III. in *cap. quanto de divortiis.*

(5) In *cit. const. in suprema.*

(6) I. ad Corinth. *cap. 7. vers. 39.*

tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundum meum consilium. Ut observat hoc in textu S. Augustinus (1), *non dicit, primus, secundus, vel quotus: nec nobis definiendum est, quod non definit Apostolus. Unde nec ullas debeo, damnare nuptias, nec eis verecundiam numerositatis auferre. Dominus autem septemviram non damnavit.*

LIV. Montanus haeresiarcha secundas nuptias, et improbas, et illicitas omnino esse blasphemavit. Cuiusmodi errorem sectatus etiam est post lapsum suum Tertullianus (2). Photius viduis tantum foeminis, non viris ab Apostolo secundas nuptias permissas observat (3). Alii putarunt Apostolum id iis tantum viduis indulsisse, quae ante Christi fidem viros amisissent (4). At insanos delirasse quis dubitaverit ex Apostoli oraculo apertissimo? Ii quum multos Graecorum in eiusmodi errorem abduxerint: operae pretium est rei veritatem, perpetuamque Ecclesiae traditionem a calumniis vindicare.

LV. Ecclesia quidem divinis, et apostolicis innixa doctrinis, ut monogamiam digamiae, sic virginitatem matrimonio anteponit (5) sine ulla tamen iniuria huius magni Sacramenti, quod iterari posse docet. Ad sacra idcirco ministeria unius uxoris viros tantum (6), viduas unius viri uxores admittere ad ecclesiastica stipendia consuevit ex praecepto Apostoli (7). At laicis procul ab Ecclesiae ministerio habitis, quoties in statu libero essent, nullo umquam tempore secunda coniugia vetuit: quamvis praedilectione castitatis digamos benedictione nuptiali indignos censuerit, et poenitentiae publicae olim obnoxios fecerit, dum fervor fidei christianae potius ignominia, quam honore eos prosequeretur aevo martyrum (8). *Apud christianos monogamia servatur*, scripsit Theo-

(1) S. August. in *can. quod si dormierit vir eius 13. C. 31. qu.* 1. Consonat S. Hieron. in *can. aperiant 11. ead. C., et qu.*

(2) Tertull. *lib. de monogamia. Unum*, ait, *matrimonium novimus, sicut unum Deum.*

(3) Photius graeci schismatis princeps, *epist. 5.* haec habet: *mulierem autem viro defuncto novimus quidem a divinitus inspirato Paulo veniam adeptam secundas nuptias adeundi. Multae enim sunt mulierum infirmitates, quae pudorem incutiunt ad naturam virilem earum imbecillitate exigendam. Virum autem a visceribus apostolicis eadem indulgentia dignari non novimus. Censura igitur eius, qui mulieri digamae benedixerit, vel nulla omnino, vel mitior eius, quae viro.*

(4) Quos memorat S. Hieronymus in *can. quomodo 10. C. 31. qu. 1.* in fine.

(5) Hermas *lib. 2. de pastore mand. 4.*, secundas ita adprobat nuptias, ut magis laudet continentiam in viduitate, affirmans maximum coram Deo honorem ei esse, qui, quaeve servet viduitatem. Trid. *sess. 24. can. 10.*

(6) I. ad Tim. *cap. 3.* et ad *Titum cap. 3., et can. 17.*, vulgo *Apost.*

(7) I. ad Timoth. *cap. 5. vers. 9. Vidua eligatur non minor sexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor.* S. Hieronymus in *can. quomodo 10. C. 31. qu. 1., quam sancta sit digamia*, ait, *hinc ostenditur, quod digamus in Clerum eligi non potest. Si autem viduae, quae duos habuit viros, panis tollitur eleemosynae, quanto magis ille panis, qui de coelo descendit?*

(8) Ex *can. 3.* Conc. Neocaesariensi an. 304., et *can. 6.* Conc. Nicoeni. Ubi Patres Nicoeni decreverunt, ut Novatiani Ecclesiae reconciliati profiterentur sese communicaturos cum iis, qui secundas nuptias experti essent, aut per-

philus Antiochenus (1). *Cupiditatem procreandi, aut unam sentimus, aut nullam*, ait Minucius Felix (2). Hac ipsa ratione motus plus aequo Athenagoras, dum legatione pro christianis fungeretur apud Marcum Aurelium, acerbioribus verbis digamiam infamavit, velut decorum adulterium, inquiens: *multos etiam apud nos reperire est quum viros, tum mulieres, qui coelibes consenescant, spe arctius Deo se coniunctum iri. . . Demonstratione, et disciplina actionum res nostrae continentur, ut quisque, vel qualis natus est, maneat, vel unicis in nuptiis. Secundae enim decorum adulterium. . . . nam qui se ipse prima uxore spoliat, etiamsi mortua sit, occulta quadam ratione est adulter* (3). Eodem Athenagorae sensu B. Hieronymus viduas ad castitatem vehementius cohortans, visus perperam est obtrectatoribus suis secunda matrimonia in viduis damnasse (4). Synodus Neocaesariensis in eos, qui frequenter uxores ducunt, et eas, quae saepius nubunt, tempus poenitentiae publicae indixit: et presbyteris voluit interesse convivio secundarum nuptiarum, ut iis consentire ne viderentur (5).

LVI. Leges civiles, quamvis cuique secundas nuptias post divortium legitimum permitterent (6), eoque magis post mortem alterutrius: tamen Theodosius sanxit, ne intra luctus annum vidua secundo nuberet, alias infamis fieret eas festinans absque dispensatione Principis: omnesque hereditates, legata, causa mortis donationes, et lucra dotalia, et relicta sibi a praemortuo viro insuper amitteret (7). Iustinianus Leonis Augusti legem collaudans poenas confirmat in transeuntes ad secunda matrimonia viduas, ante annum luctus (8). Tum saeculo IX. exeunte

secutionis tempore lapsi, quibus poenitentiae modus, et tempus ecclesiastico modo indictum fuerat.

(1) Theophilus *lib. 3. ad Authol.*

(2) Minuc. Felix in apologia sub dialogi forma, cui titulus: *Minucii Felicis Octavius* christianus disputans cum Coecilio pagano.

(3) Athenagoras in *legatione pro christianis num. 3*, post opera S. Iustini. Ex recitatis verbis Tillemontius Athenagoram vix suspicatur, non affirmat fuisse inter Montani asseclas. At Patres Congregationis S. Mauri suspicionem a tanto viro Christianae reipublicae beneremerentissimo diluunt disciplina sanctiori primitivorum fidelium, in qua commendanda, et ostendenda totus erat Athenagoras.

(4) B. Hieron. in *can. aperiant 11. C. 31. qu. 1. Aperiant, quaeso, aures obtrectactores mei, et videant me secundas, et tertias nuptias concessisse in Domino. Qui secundas, et tertias non damnavi, primum potui damnare matrimonium? ... Ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, immo nec trigamiam: et ita licere quinto, et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere.* Quod autem a B. Chrysostomo dictum fertur *in can. hac ratione 9. eod. C. 31. qu. 1.*, ut nimirum secundae nuptiae propter incontinentiam ab Apostolo permissae, *vere* sint *honesta fornicatio*: id incerti auctoris esse monent Correctores Romani, simulque testantur, quod B. Chrysostomus in suis genuinis operibus negat perspicue secundum matrimonium fornicationem esse.

(5) Syn. Neocaesar. anno 304. in *can. de his, qui 8. C. 31. qu. 1.*

(6) Ex supradictis *hoc. tit. num. XL.*, et Valentin. *l. viduae 18. C. de nuptiis.*

(7) Theod. in *l. 1. C. de secundis nuptiis, et l. si qua mulier. 4. C. ad Sen. Cons. Tertullian.*

(8) Nov. 22. *cap. 20., et 22.*, et Nov. *39. cap. 2.*

Leo Philosophus in eos, qui ad tertium matrimonium pervenissent, poenam canonicam Concilii Neocaesariensis firmavit (1).

LVII. At iure decretalium deleta omnino est infamia secundo nubentium tempore luctus: *quum in his praesertim saeculares leges non dedignentur sacros canones imitari*, ait Innocentius III. (2). Igitur et vetus, et nova Ecclesiae disciplina immaculatas, et probas quum habeat secundas, ulterioresque nuptias: merito sanxit Benedictus XIV. (3), ut eas Graeci ne damnent: at nullam digamis, secundoque nubentibus benedictionem nuptialem presbyteri ex antiquo iure impertiantur (4).

LVIII. Ceteras vero poenas viduae lugubrem sperneutis annum, excepta solum infamia, integras adhuc mansisse tradunt Doctores (5).

§. III. *De sponsalibus.*

LIX. Ut bene concilientur futurae coniugum societates individuae, moribus, legibusque gentium, et Ecclesiae inducta est consuetudo praemittendi contractum sponsalium. Nil sane aliud *sponsalia* sunt, nisi *mutua promissio futurarum nuptiarum* (6), a *spondendo* dicta. Quam-

(1) Leo Imp. *const. 90, ut qui tertio matrimonium contrahunt, sacri canonis poenae obnoxii sint;* initio declamat in consuetudinem secundarum nuptiarum, velut turpissimam, et probrosam, et legem civilem decreto Neocaesariensi non consentientem reprehendit. Cum vero quartas ipsemet Leo imperator nuptias iniisset, eum Nicolaus Mysticus Patriarcha a communione removit, easque renuens adprobare, Ecclesiam Constantinopolitanam exinde turbasse fertur a Natale Alex. in *hist. saec. X. dissert. 4. de Photiano schismate §. 29.*

(2) Urban. III. in *cap. super illa 4.*, et Innoc. III. in *cap. cum secundum Apostolum 5. de secundis nuptiis.*

(3) Bened. XIV. in *const. etsi pastoralis 57. §. 10., et const. 129. num. 29. to. 1.* Bullari.

(4) Alex. III. in *cap. 1.*, et Urban. III. in *cap. 3. de secundis nuptiis.* Videsis Caroli Blasci *diatrib.* 5., haec duo capita ita edisserentis, ut eo aptius, et scitius nemo patefecerit duplicis nuptiarum benedictionis vim, et discrimen.

(5) M. de Afflictis *dec. 75. in fine*, Aloys. Ricc. *dec. 441. in collectanea.* Idcirco vidua iterans nuptias omnium rerum a praemortuo viro acceptarum *vel iure sponsalium, vel iudicio defuncti* amittit proprietatem, quae ipso iure ad filios primi coniugii transit, si qui sint, eorumque haeredes, vix usumfructum sibi, quoad vixerit, retinens, ex Theodosii textu in *l. si qua 2.*, *l. foeminae 3.*, *et l. si filii 11. C. de secundis nuptiis*, Nov. 22. *cap. 22.*, *et seq.* Tutela quoque filiorum destituitur, statim ac sponsalia de futuro contraxerit post annum quoque luctus, ex Nov. 22. *cap. 40.*, qua sic cautum. *Volente ad nuptias venire tutelam gerente muliere, et ordinetur minoribus tutor, et rationes suscipiantur: et quod mater debet occasione gubernationis, hoc reddatur.* Amissamque semel tutelam nequibit amplius recuperare, quamvis a sponsalium pactione discesserit, Reg. Sanfelic. *dec. 206.*, de Marinis *resol.* 264. Usufructus itidem a priori marito relictus sub conditione servandae viduitatis tunc deperit, *l. 1. C. si secundo nupserit mulier cum maritus usumfr. reliq.* et Nov. 22. *cap. 32.*

(6) Ex Ulpiani definitione in *l. 1. De sponsalibus*, et Nicolai I. ad consulta Bulgarorum in *can. nostrates 3. C. 30. qu. 5.* S. Aug. in *cap. 1. de sponsa duorum*, fidem pactionis futuri matrimonii explicans, docet: *Fides autem con*

vis enim sufficiat nudus partium consensus ad ea constituenda (1), more tamen antiquo factum commonet Ulpianus (2), ut solemni stipulatione sponderentur petitae uxores, antequam rite nuberent.

LX. Eiusmodi sponsionem quia fere adnexam habet pactio dotis: instrumento propterea dotali contractus sponsalium in primis plene probatur. Quemadmodum et Parochi testimonio, seu fide, quoties coram eo uterque vir, et mulier spoponderint de futuro inter sese coniugio ineundo: quinimmo ii debent a sponsis de futuro singulatim explorare consensum ante nuptiarum celebritatem (3), ut fraudibus, et violentiis aditus claudatur. Synodis enim dioecesanis (4) id munus etiam est Parochis demandatum bono publico, ii ut sponsalia coram ipsis quoque ante nuptias ineunda singulatim describant in peculiari libro unde valeat res gesta patefieri in iudicio. Demum, si qui neglecto dotis instrumento, et ignaro Parocho mutuam futuri matrimonii fidem sibi dederint: haec poterit idoneis testibus utique probari secundum iuris communis regulas (5). In Archiepiscopali Curia Neapolis ex dioecesana lege nisi tres saltem testes rite deponant promissionem, repromissionemque futuri matrimonii coram seipsis a viro, et foemina gestam: non satis probata iudicantur sponsalia.

LXI. *Hi, qui de matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut praestitam fidem observent*, rescripsit Alexander III. (6). Neutri enim fas est fidem suae pactionis violare, altero invito (7). Dum propterea liquet in externo Ecclesiae foro contractus sponsalium, vir ab eo sine causa resiliens post trinam monitionem censura excommunicationis compellitur promissum matrimonium de praesenti contrahere ex decretali Alexandri III., quotidiano usu probatissima (8). At mulier

sensu est, quando etsi non scripsit manu, corde tamen, et ore consentit ducere, et mutuo se concedunt unus alii, et mutuo se suscipiunt.

(1) Ulp. in *l. sufficit. 4. eodem.*

(2) *L. Sponsalia 2. D. eodem.*

(3) Ex Bened. XIV. *const. nimiam licentiam 85. num. 10. to. 1.* Bullarii.

(4) Neapol. Synod. Provinc. Card. Cantelmi *tit. 3. cap. 9. num. 2.* statuit, ut *ante denunciationes in Ecclesia faciendas Parochi, in quorum Paroecia degunt, sponsorum voluntatem, et libere praestandum contrahendi Matrimonii consensum* explorent; *simulque eos de fidei rudimentis percontentur.* Id quoque praecipit Romanum Rituale *hoc tit. §. has autem*, et monet S. Carolus *instruct. matr. tit. de Paroch. diligent.* Valida hinc esse de futuro sponsalia coram parocho, nullis adhibitis testibus, tenet Fagnanus in *cap. is quidem de sponsal. num. 9.*

(5) Fagnanus in *cap. de illis de despons. impuberum num. 48.* clandestinam in sponsalibus pactionem non officere eorumdem validitati censet.

(6) Alex. III. in *cap. praeterea 2. de sponsal., et matr.* quam decretalem textus communis Innoc. III. male inscribit, ut monet cum Antonio Augustino Gonzalez.

(7) Cap. *praeterea 2. de sponsalibus.* B. Chrysostomus in *can. omnis res 4. C. 27. qu. 2.*

(8) Alex. III. in *cap. ex litteris 10. de sponsalibus. Si hoc tibi constiterit*, ait, *eum moneas, et si non adquieverit monitis, ecclesiastica censura com-*

post eiusmodi monitiones, seu trina praecepta, *ut contrahat sub poena excommunicationis*, si constanti adhuc animo renuat, non compellitur censuris ex decretali Lucii III. (1) : sed solvitur ab eo sponsalium vinculo, ne in peiora mala prolabatur sexus infirmior ex invitis nuptiis promanantia. Hac discriminis ratione patet duas istiusmodi decretales non pugnare secum, quamvis ambas interpretum dissidia, et studia partium saepe misceant, et alterutra abutantur, vel ad eximendum a censura virum, vel ut censurae foeminam resilientem subiiciant. Vir insuper si virginem, vel viduam honeste viventem, cui fidem ineundi matrimonii dedisset, defloraverit, in laico foro cogitur poenis corporeis matrimonium in faciem Ecclesiae rite perficere, et vinculis mancipatus, nonnisi *contracto matrimonio* e carceribus dimittitur. At si crimen stupri solummodo admissum constiterit sine pacto sponsalium : damnari tunc alternatim solet, vel *ut dotet*, vel *ut nubat* : adiecta simul conditione, ut si dotare maluerit, relegetur, vel aliam iudicis arbitrio poenam corpoream subeat (2).

LXII. Coactionem canonicam effugiet, qui excipiendo sat probaverit sponsalia, vel fuisse ab initio *irrita*, vel fore legitimis ex causis *rescindenda*. I. *Irrita* iudicantur Sponsalia ex iis fere causis, quae aliis contractibus profanis ex iure civili omnem adimunt vim obligandi : puta deficiens consensus ex vi, metu, dolo, fraude, errore, ignorantia, furore mentis, pueritia (3), et si quae sunt aliae. Ex non impleta insuper conditione contractui adiecta: *cum ex sponsalibus conditionalibus ante conditionem extantem, sicuti consensum non habentibus, et incertis, nulla publicae honestatis iustitia oriatur* ex definitione Bonifacii VIII. (4). At conditionem oportet a modo distinguere curatius. Nam conditio ita suspendit, quoadusque ipsa evenerit, consensum, ut ea deficiente contractus ipso iure irritus fiat. Si cui quis ergo sic iuraverit ducturum in uxorem, *si tantum* ei ipsi ea donaverit: non reum periurii, ubi renuat deficiente solutione coniugium inire, censuit Alexander III. (5). Modus vero contractui adiunctus non suspendit consensum paciscentis : quia purum efficit, non condi-

pellas, ut ipsam (nisi rationabilis causa obsterit) in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet.

(1) Luc. III. in *cap. requisivit 17. eod. tit.* haec describit de muliere, quae sponsalium religionem, quamvis iuratorum renuebat perficere: *cum libera debeant esse matrimonia, moneada est potius, quam cogenda* mulier : *cum coactiones difficiles soleant exitus habere.*

(2) Morem huiusmodi coactionis virorum, et formulas decretorum in foro laico usitatas tradit Regens Carolus Antonius de Rosa in *praxi crim. decret. resol. 3.* Alternam quoque poenam sancire placuit S. Gregorio M. ad Siponti-num Episcopum sic rescribendo in *cap. pervenit 2. de adulter., et stupro 1.* in causa cuiusdam Felicis, qui virginem stupro deceperat : *ut, aut quam stupravit uxorem habeat, aut si renuendam putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusque in monasterio retrudatur* in perpetuum.

(3) *Cap. litteras, et cap. accessit de desp. imp.* De quibus in *seq.* §. *de impedimentis num LXVIII., et seqq.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. un. de sponsalibus.*

(5) Alexan. III. in *cap. de illis 3. de conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus.*

tionalem contractum (1). Hinc promissor matrimonii, *ut* dotem tantum accipiat : compellitur nuptias primum contrahere, tum dotem sub modo promissam exinde postulabit. II. ex quolibet impedimento matrimonia dirimente, quoties ante sponsalia illud obstiterit, invitus nemo cogitur dispensationem apostolicam pro eo amovendo impetrare. At qui post sponsalia causam dederit impedimento eiusmodi postea exorto, novum subit onus procurandae dispensationis (2).

LXIII. Pluribus etiam ex causis dissolvuntur quantumvis valida sponsalia. I., ex mutuo partium dissensu, etiamsi de matrimonio ineundo ante iurassent (3). II., ex violata desponsationis fide per fornicationem subsequentem (4). III., si mulier leprosa fiat, aut paralytica, vel oculos, aut nasum amittat, seu quidquam ei turpius evenerit (5). IV., per ingressum religionis, et susceptionem habitus religiosi (6). V., per diuturnam absentiam, sive profectionem alterutrius ad longinqua, sine alterius consensu (7). Quo casu solet absens per edictum citari in foro ecclesiastico, ut compareat intra certos dies ad promissam fidem implendam : lapsoque termino peremptorio in contumaciam dissoluta declarantur sponsalia. VI., ex pactione mutua, licet modali, quam sponsa fregerit, vel nolit implere, idoneam renuens cautionem de ea servanda. Cuiusmodi est pactio dotis, quam si defecturam sponsus noverit, cogendus non est ei fidem sponsalium servare, quae datam dotis fidem non servet, nec servaturam caveat (8).

LXIV. Si qua secundis sponsalibus fidem priori sponso datam fregerit : hunc utique, non seipsam, adeo solvit a priori vinculo, ut nequeat amplius ipsum compellere ad suum coniugium (9). Disputari autem solet, an ex utraque parte dissolvantur nuda sponsalia priora, iuramento, et copula posterioribus firmata, Pontius affirmat (10). Sed in foro probata est, usuque recepta Sanchez sententia negans (11). Si enim per legem Tridentinam abrupto prorsus vinculo inauspicatae coniunctionis clandestinae, quae in fraudem legis admittebatur, legitima

(1) *L. eas causas 80. D. de condit., et demonstrat. Nec enim,* ait Scaevola hoc in textu, *parem dicemus eum, cui ita datum sit,* si monumentum *fecerit, et eum, cui datum est*, ut monumentum faciat.

(2) Sanchez. *lib. 1, de matr. disp. 56. num. 14.* Ulpianus in *l. oratio 16. D. de sponsalibus* legitimas nuptiarum prohibitiones ad sponsalia extendit.

(3) Ex *cit. cap. praeterea 2. de sponsalibus*

(4) Innoc. III. in *cap. quemadmodum 25. de iureiurando.* Ubi rescripsit ob praecedentem sponsioni fornicationem mulieris non licere viro eam dimittere, sed tantum ob sequentem.

(5) Ex eodem *cap. quemadmodum.*

(6) *Cap. consuluit 4. qui clerici, vel voventes matrimonium.* Vide Sanchez *lib. 1. disp. 42.*

(7) Alex. III. ad Panormitanum Archiep. in *cap. de illis 5. de sponsalibus.*

(8) Alex. III. in *cap. de illis 3. de cond. appos. in despons.*

(9) S. Hieronymus in *can. esto subiectus 7. dist.* fidem non esse servandam non servanti monet. Consonant Greg. in *cap. pervenit 3. §. nec tu ei de iureiurando*, et Bonifacius VIII. in *cap frustra 75. de regulis Iuris in VI.*

(10) Pontius *de matrimonio.*

(11) Sanchez *lib. 1. de sponsalibus, et matrim. disp. 49.*

quidem sponsalia ius paciscentibus quaesitum ad perficiendas nuptias attribuunt : ius istud priori sponsae alieno facto , et crimine auferri , humana fides non patitur (1). Nec fallens fidem vir e fraude sua, nec secunda mulier, quantumvis priorum sponsalium ignara patrocinium ex volito sibi stupro penitus illicito poterunt umquam captare cum iniuria sponsae prioris (2).

LXV. Matrimonium tamen de praesenti cum secunda contractum coram Parocho , et testibus , vel ratum solummodo solvit ipso facto sponsalia priora , etiam iureiurando et per copulam ante confirmata (3). At secundo matrimonio etiam consummato primum de praesenti ratum non dissolvi ante comitia quoque Tridentina rescripsit Innocentius III. (4).

LXVI. Dissensus etiam parentum, dummodo iustus, legitimam sponsalibus filiorum familias dissolvendis causam parit. Ius civile perinde nuptias , atque sponsalia consistere non patitur , nisi consentiant omnes, quorum in potestate sunt sponsi (5). Lex autem Ecclesiae quum antiqua, tum recentior sponsalia, et connubia inter inaequales, et parentibus exosa improbat , licet irrita non habeat. Pro honore , quem divino Decalogi iure parentibus filii debent (6), iniuriam eis per indignas , et invasas , nuptias nefas est irrogare. Virginem filiam , aut innuptam servare , vel dare nuptui , patris arbitrio relictum ab Apostolo monet S. Augustinus (7). In Toletana synodo cautum, ne mulieres *extra voluntatem parentum , vel suam cogantur maritos accipere* (8). *Nuptiarum foedera inter ingenuos sunt legitima, et inter coequales* (S. Leo imparans docuit) *paterno arbitrio viris iunctae carent culpa mulieres* (9). Sponsalium *foedus quoque* consensu eorum , qui haec contrahunt , et eorum, in quorum potestate sunt spon-

(1) *L. id quod nostrum 11. D. de reg.* Iuris, *et l. ult. D. de pactis.*

(2) *L. ne ex dolo 13. D. de dolo malo* , Innoc. III. in *cap. tuae fraternitatis 12. in fine de clericis non residentibus*, S. Gregor. in *can. satis perversum 7. dist. 56.*, et Bonif. VIII. in *cap. sine culpa 23. de reg. iur. in VI. Nemo ex suo delicto meliorem conditionem suam facere potest* ex Ulpiano in *l. non fraudantur 177. D. de reg. Iuris.*

(3) Ex decretali Gregor. in *cap. si inter virum 31. de spons.*, *et matrim.*

(4) Innoc. III. ad Mutinensem Episcopum in *cap. tuas 5. de sponsa duorum*, ubi reprobat Mutinensem consuetudinem , quae viro binubo secundam uxorem primo cognitam , dimissa priori adiudicabat.

(5) Paulus in *l. nuptiae 2. De ritu nupt.* , *et l. in sponsalibus D. de sponsal.* Ulpianus in *l. potestate 10. D. eodem.*

(6) S. Ambrosius in *can. honorantur parentes Rebeccae 13. C. 32. qu. 2.*

(7) S. Aug. in *can. merito 15.* C. 32. *qu. 2.*, ubi sanctus Doctor ad votum quoque virginitatis pertinere docet illud Numerorum *cap. 30: Sin autem statim ut audierit, contradixerit pater, et vota, et iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.* Quae verba Gratianus exscripsit in *can. mulier 14. eadem C., et qu.*

(8) Syn. Tolet. III. in *can. hoc. sanctum 16. ead. C. qu.*

(9) S. Leo in *can. non omnis 12. eadem C., et qu.* Hormisda in *cap. 1, de desponsat. impuberum* rescripsit, quod filius *omnino debet* post pubertatem suam implere sponsalia a patre suo antea contracta : sed pubes nisi consentit , fieri non posse a patre matrimonium.

si celebrari scripsit Nicolaus I. (1). Conditione paterni assensus deficiente, promissorem non cogi ad matrimonium contrahendum rescripsit Urbanus III. (2). Tridentini tandem Patres condocent, quod *Ecclesia ex iustissimis causis semper detestata est, atque prohibuit* una cum clandestinis *matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta*, sed eos anathemate damnat, qui falso affirmant ea *irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse* (3). Dum ergo indigna, et minus honesta sponsalia pactus fuerit filius familias insciis, vel invitis parentibus: ex horum dissensu, et indignatione, vel probabili exheredationis timore, ius habet datam rescindendi fidem. Eamque si maluerit coeca libertate ductus implere, animoque obdurato sit nuptias impares perfecturus: poterit parens impedire, locique Ordinarius, re cognita debet impedimentum sustinere, ne particeps ipse fiat iniuriae parentum, malorumque ex illicitis eiusmodi, et indignis nuptiis profluentium. Id quod multis comprobant Archiepiscopus Rossanensis Franciscus Maria Muscettola, et limatissimi iudicii vir eximius, omnigenis doctrinis affluens Alexius Symmachus Mazochius (4).

§. IV. *De impedimentis.*

LXVII. Tripartita quum sint coniugum officia erga naturam, rempublicam, et Ecclesiam (5): idcirco nuptiis obveniunt impedimenta ex triplici iure, Naturali, Civili, et Ecclesiastico. Igitur quidquid obstet officio generandae prolis, velut impotentia coeundi, et aetas immatura, ad impedimenta *naturalia* pertinet. Quae possunt boni civis officium subvertere, puta vis, raptus, error, servilis conditio, dissensus parentum, consanguinitas, cetera legibus vetita in sponsalibus, et matrimoniis, impedimenta pariunt *civilia*. Tandem quae Religionem, et Dei cultum laedunt, votum, ordo sacer, infidelitas, et haeresis, spreta benedictio sacerdotalis, inter *ecclesiastica* impedimenta connumerantur. Naturalia obstacula non posse humanis legibus auferri, quemadmodum et divina palam est: secus alia civilibus, et ecclesiasticis legibus superinducta, quae idcirco varia fuere pro temporum diversitate, et arbitrio legislatorum, eaque legitimis saepe dispensationibus removentur. *Si quis dixerit . . . Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit* ex Tridentino (6).

(1) Nicolaus I. in *can. nostrates 3.* C. 30. *qu. 5.* Consonant *can. 4; et 5. ibidem.* Simul apocrypha Evaristi epistola in *can. aliter legitimus* 1. *eadem C., et qu.*

(2) Urban. III. in *cap. super eo 5. de condition. appos.*

(3) Trid. *sess. 24. de ref. matr. cap. 1.*

(4) Muscettola in *dissert. de sponsal., et matrim., quae a filiis familias contrahuntur parentibus insciis, vel rationabiliter invitis*, et Mazochius in *notis ad hanc Muscettolae dissertationem.*

(5) S. Tom. *lib. 4. contra gentes cap. 78.*

(6) Ex Trid. *sess. 24. de Sacr. matr. can. 4.*

LXVIII. Impedimentorum alia dirimentia, aliaque non dirimentia sunt. Si communem rationis nexum impedimentorum consideremus, cuncta dirimentia patebunt ex quatuor tantum causis obvenire. I, ex defectivo consensu. II, ex naturae invalidae obstaculo. III, ex respectu sanguinis. IV, ex Religionis sanctitate. I, ex consensus defectu profluunt *error* quum personae, tum servilis status, *simulatio*, *et dementia*, seu *furor*, *vis*, *et metus* gravis constantem virum terrefaciens, *raptus* sponsae. II, ad naturam obstantem pertinent *impotentia* coeundi, et immatura *aetas* impuberum. III, ad sanguinis verecundiam *cognatio*, *et affinitas* quum carnalis, tum sacramentalis, et legalis, *honestas* publica sponsae prioris cum secunda cognationem habentis. IV, ad vinculum Religionis *disparitas cultus*, *ordo* sacer, *professio* claustralis, *vita* superstes coniugis, *clandestina desponsatio* sine Parocho, duobusque testibus, *crimen* duplex, *adulterium* scilicet vel cum fide futuri coniugii, vel machinatione coniugem interimendi, et *homicidium* coniugis cum spe alium, aliamve ducendi. Cuncta hoc eodem ordine, si vobis lubeat, metris hisce claudantur.

1. *Personae, ac status error, mens simulata, furensque,*
   Vis, raptusque. 2. *Impubertas, et debile corpus.*
3. *Stirps cognata, vel affinis, sponsalis honestas.*
4. *Dispar cultus, et ordo sacer, professio claustri,*
   Stans foedus, vel clandestinum, et crimina bina
   Impediunt semper, dirimuntque iugalia vincula.

LXIX. *Error* duplex tantum, vel circa *personam*, vel circa *statum*, conditionemque servilem, irritum facit matrimonium. Volens idcirco Rachelem ducere, aut ingenuam, liberamque puellam, si errabundus Liam, aut ancillam desponsaverit sibi, vel dolo, aut casu oblatam, detectoque postmodum errore, in eam nullo amplius usu coniugii, nec verbis unquam consenserit, et e converso: vinculum desponsationis secuta etiam copula ipso iure irritum iudicatur (1). Non enim videntur consentire, qui errant (2). At errans in *nomine* (3), aut *qualitate* quum personae, tum fortunae (4), validum fere contrahit matrimonium: nisi qualitatis

(1) Ex communi Theologorum sententia cum Magistro *Sentent. lib. 4. dist. 30.*, et Alex. III. in *cap. proposuit 2.*, tum Inn. III. in *cap. ad nostram 4. de coniugio servorum.*

(2) Ulp. in *l. nihil consensui 216. D. de reg. iur. et l. si per errorem 15. D. de iurisdict.* Pomponius, *in omnibus negotiis contrahendis*, ait, *si error aliquis* intervenit, *ut aliud sentiat* hic, aliud ille: *nihil valet quod acti sit; l. in omnibus 57. D. de obligationibus.*

(3) Inn. III. in *cap. tua nos 26. de sponsal*, *et matr.* rescripsit fore pro coniugio praesumendum, si *vir desponsaverit mulierem in propria persona*, *et sub nomine alieno*, *quo tunc vocari se finxit*, *et inter eos sit carnalis copula subsecuta. Nihil*, inquam cum Ulpiano, *facit error nominis*, *cum de corpore constet*, *l. in venditionis 9. D. de contrah. empt.* Consonat *l. si in nomine 4. C. de testamentis.*

(4) Thom. Sanchez *de matr. lib. 7. disp. 18.*, et Fagnanus in *cap. si conditiones de condit. apposit. num. 14.*

error adnexum personae errorem simul traheret: aut qualitas in conditionalibus nuptiis adiiceretur, et causam ita daret contractui, ut nullo pacto alias initurus esset (1). Itaque contrahens cum temulenta, vel corrupta, vel plebeia, vel inope, quam putaverat sobriam, virginem, illustrem, divitem: nequibit ab ea dissolvi per errorem huiusmodi qualitatum incidentium in contractu desponsationis (2). At expetens primogenitam, et regni heredem Princeps, aliam si errore duxerit: nullo iugali nexu obstringitur (3), ob errorem eo casu antecedentem, qui dat causam contractui. Consensus autem post errorem semel superveniens, vel praesumptus ex subsecuta coniugali affectione, nuptias irritas confirmat, et insolubiles efficit (4).

LXX. Servilis autem status, et conditio patefacta non impedit, quominus cum ancilla ingenuus sciens, vel cum ingenua servus validas in Ecclesia contrahat nuptias ex novae disciplinae canonibus (5). Antiquae vero leges civiles (6), et sacri etiam canones (7) coniugia servorum cum liberis, et e converso, invitis dominis inita, irritabant: consentientibus probabant.

LXXI. Conditionalem quoque desponsationem ex deficiente conditione honesta, possibili, et proba irritam fieri ius Decretalium praecipit (8).

(1) Fagnanus *ibidem num. 15.*

(2) Nam dolo circumventos in pretio, vel qualitate alia substantiam rei non variante, ius cogit ad servandum omnino contractum: quamvis ei det actionem ad id, quod interest, *l. 2., et 9. D. de dolo malo*, *l. 23. §. 5. ff. de action. empti.* Vel exceptionem doli ad rescissionem postulandam, *l. 5. C. de inutilibus stipulat. l. 36. §. 13. D. de verb. obl.*

(3) S. Thom. *4. sent. dist. 30. qu. 1. art. 2. ad 5.*

(4) Ex *cap. de muliere 6.*, *cap. veniens 13.*, *cap. ad id 2.*, *8.*, *et 9. de despons. impub.*

(5) *Cap. 1.*, *et seq. de coniugio servorum.* Consonat Iustiniani *Nov. 22. cap. 10.* Haec illud Apostoli comprobat, suadetque ad Galat. *cap. 3. vers. 26.*, *et seq. Omnis filii Dei estis per fidem. Non est Iudaeus*, *neque Graecus; non est servus*, *neque liber.*

(6) A Claudio Imp. eam legem ante omnes latam fert Tacitus *lib. 12. annal.* tum a successoribus Impp. quos videsis in *lib. 4. C. Th. ad Sen. Cons. Claudian.*, *et lib. 9. C. Th. de mulieribus*, et Iustiniano *Nov. 22. cap. 9. ad 12.* A Longobardis quoque Principibus apud du Cange in *glossario verbo servi matrimonia.* Cum servis conturbernia, non matrimonia permittebant Quirites, *l. 14. D. de ritu nupt. l. uxorem D. de legat. 2.*, *l. cum ancillis C. de incestis nupt.*

(7) Ex *lib. 8. const.* vulgo *apostolic. cap. 34. Fidelis vir*, *aut foemina servis copulati vel separentur*, *vel eiiciantur.* Consonare videtur S. Leo in *can. ancillam 11.*, *et can. non omnis 12. C. 32. qu. 2.*, aiens: *Ancillam a thoro abiicere*, *et uxorem certae ingenuitatis accipere*; *non duplicatio coniugii*, *sed profectus est honestatis.* Gratianus *C. 29. qu. 2.* edisserit, an ignorata coniugis servitus dissolvendo coniugio cum errante libera iustam det causam? In primisque rata, et valida probat servorum connubia duabus apocryphis epistolis Iulii, et Zachariae *can. 1.*, *2.*, *et 3.*, mox genuinis canonibus, praesertim Synodi Wermeriensis in *can. foemina 5.* Canonem hunc exposui petens rite Cathedram Decreti die 29. Septemb. 1747.

(8) Urbanus III. in *cap. super eos de condit. appos. in dispensatione*, Gratianus in *can. quicumque 8. C. 27. qu. 2.*, et textus Gregorianus in *cap. 1. de*

*

Gregorius IX. speciatim rescripsit ob conditiones matrimonii substantiam destruentes (puta ex pacta sic desponsatione , si prolem devites, si et donec aliam ditiorem, vel illustrem duxero, si quaestui corporis te prostituas), effectu omnino carere coniugalem contractum: turpes alias, aut impossibiles vitiari quidem ipsas, at non vitiare contractum (1).

LXXII. His consensus defectibus addenda *simulatio* est. Quandoquidem simulatae nuptiae nullius momenti sunt (2). Innocentius III. ab eo, qui simulato Ioannis nomine fingens mulierem desponsare, eam numquam consensit ducere in uxorem , iudicavit coniugium non fuisse initum : *cum in eo,* ait, *nec substantia coniugali contractus, nec forma contrahendi coniugium valeat inveniri, quoniam ex altera parte dolus solummodo adfuit, et defuit omnino consensus , sine quo cetera nequeunt foedus perficere coniugale* (3). Itaque si quis reverentia parentum, aliove respectu commotus, nuptias de praesenti celebraverit, praemissa coram pluribus protestatione, sese nullum omnino consensum fore imminentibus futuris nuptiis praestiturum, easque per speciem invito prorsus animo celebraturum , et animum sic dissentientem a sponsa, vel ignoratum numquam variaverit, abstinens a consummatione sibi libera, alioque usu coniugali : matrimonium tunc iudicabitur procul dubio ex simulatione irritum.

LXXIII. *Dementia* furiosi, vel furiosae continua dirimit omnino matrimonium, si ea in ipso nuptiarum momento viguerit (4). *Sed hi, qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit: ob hanc infirmitatem coniugia talium solvi non posse*, rescripsit Nicolaus Pontifex (5). Idem iudicandum, si lucido intervallo vigente quis contraxerit , discontinuo morbo affectus.

LXXIV. *Vis,* et *metus gravis* virum, quantumvis constantem terrefaciens , periculum puta imminens mortis, libertatis , verberum, ignominiae , amissionis bonorum , dirimit ex consensus etiam defectu matrimonium (6). *Nihil enim consensui tam contrarium est, quam vis,*

cond. apposit. ex Concilio Africano decretum habent , quod in desponsatione *conditio frangatur , et desponsatio irrefragabiliter teneatur.* Id quod de conditione turpi esse intelligendum monet glossa in *eod. cap. 1. de condit. ver. frangatur.*

(1) Gregor. IX. in *cap. si conditiones 7. eod. tit.*

(2) Ex Caii sententia in *l. simulatae 30. D. de ritu nuptiarum.*

(3) Innoc. III. in *cap. tua nos 26. de sponsalib., et matrim.* Hanc decretalem plerumque Interpretes laudant , sed male, ad probandum impedimentum erroris personae. Alii sensum non capientes , atque in meridie caligantes cum Theodoro Beza , et Arnoldo Vinnio , falso ac temere notam iniquitatis et iniustae audent appingere probo huic responso Pontificis iureconsultissimi.

(4) Innoc. III. in *cap. dilectus 24. de sponsalibus. Cum autem mulier,* ait, *cum ipso viro , qui continuo furore laborat , morari non possit , et propter alienationem furoris legitimus non potuerit intervenire consensus , mandamus... praefatas personas invicem separari.* Gratianus in *can. 26. C. 32. qu. 7 .*, hunc Fabiano Papae canonem apocryphum inscribit : *neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt : sed si contractum fuerit , separentur.*

(5) Nicol. in *can. hi , qui 25. C. 32. qu. 7.*

(6) Urban. II. in *can. si verum 1. C. 31. qu. 2.* Alexand. III. in *cap. cum*

atque metus : quem comprobare , contra bonos mores est , inquit Iureconsultus (1). Secus dicendum est de levi metu , puta ex parentum reverentia sine verberibus , minisve gravibus , aliove remoto, aut falso , aut levissimo periculo , quo vir prudens , et constans nullatenus moveretur (2). Iudicis autem aequi , et boni arbitrium erit ex facto , et adiunctis rerum definire, utrum gravis, an levis metus causam coniugio coacto dederit (3). In ea etiam vi , quam iudex inferat poena carceris, aliave acerbiori decreta in virum, ex. gr. de stupro accusatum, dubitari solet , an validum , nec ne fiat matrimonium ? Recepta communis sententia est , ubi iustus ab iudice metus incutiatur , matrimonium valere (4). Consensus enim praevius deflorantis , et spondentis virgini coniugium iure ipso protrahitur per iudiciariam potestatem ad futurum , seu praesens matrimonii tempus. Secus erit, quotiescumque iniustus a iudice iniquo metus incutiatur. Synodus Tridentina anathematis poena eos Magistratus damnat , qui *quovis modo directe , vel indirecte subditos suos , vel quoscumque alios cogant , quominus libere matrimonia contrahant* (5). Attamen deficientem ex vi consensum poterit ex intervallo supplere libertas vim passi , aut per copulam sponte sua subsecutam (6), vel novo expresso consensu libero, etiam clandestino. Nam Pius V. Hieraciensi Episcopo rescripsit matrimonium in faciem Ecclesiae coram Parocho, et testibus semel initum , quamvis ex defectu liberi consensus invalidum , convalescere ipso facto per copulam libere supervenientem sine necessitate iterandi formam Tridentinam semel impletam (7).

LXXV. *Raptus* mulieris ex eodem violentiae capite parit impedimentum raptoris cum rapta nuptias dirimens , quoadusque ipsa in loco tuto , et libero posita matrimonium sponte sua, et rite celebraverit (8). Raptum fieri , ubi puella , de cuius nuptiis nil fuerit antea actum , abducatur , definit Gelasius (9). Et S. Isidorus adnexum raptui stu-

locum 14., et cap. veniens 15. de sponsalibus , et matrimonio. Honorius III. in *cap. consultationi 28. eod. tit.* idem Alex. in *cap. significavit 2. de eo , qui duxit in matrimonium.*

(1) Ulpian. in *l. nihil consensui 16. D. de reg. Iur.* Videsis dicta superius *hoc tit. num. XVII.*

(2) Nicol. in *can. Lotharius 4. C. 31. qu. 2.* minime probavit , quod metu unius hominis tantus rex Thiebergam Huberti sororem duxisse affirmaret. Alexander III. in *cap. de muliere 6. de sponsal.* inter vim , et vim differentiam statuit.

(3) Fagnanus in *cap. consultationi de sponsalibus num. 12.*

(4) *Cap. si seduxerit 1. de adulteriis , et stupro* , Alex. III. in *cap. ex litteris 10. de sponsalibus , et matrimonio.*

(5) Trid. *sess. 24. de reform. matrim. cap. 6.*

(6) Clemens III. in *cap. ad id 21. de sponsalibus , et matrim.*

(7) Apud Fagnanum in *cap. is, qui fidem 30. de sponsalibus num. 14.* Dum vero Tridentina forma servata non esset , necesse tunc omnino erit ipsam implere.

(8) Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 6.*

(9) Gelas. in *can. lex illa 2. C. 36. qu. 1.*

prum innuit (1). Antiquae leges tum saeculi, tum Ecclesiae poenis acerbioribus de raptu sancitis, irritas eiusmodi nuptias iudicabant. Verum si consensus parentum raptae virginis, raptaeque ipsius liber accederet : indulgebant raptoribus post poenitentiam habere in coniugio raptam (2). At Synodus Aquisgranensis decrevit etiam ex consensu superveniente libero parentum, et mulieris non licere raptas in coniugio raptoribus detinere (3). Vim iuris communis ex Tridentino decreto canon hic iam obtinet.

LXXVI. Succedunt impedimenta Naturae. Quotiescumque vir, vel uxor perpetuo corporis, membrorumque defectu, vel iactura, morbove quolibet incurabili nequiverit matrimonium consummare: fas illud erit, quamvis ratum dissolvere ex unanimi Patrum sententia. S. Augustinus non pertinere ad matrimonium illam mulierem, *cum qua commixtio sexus non docetur fuisse*, tradit (4). Id ipsum censuit S. Leo, et S. Gregorius M. Calaritano Episcopo rescripsit, quod mulier post probatam viri sui impotentiam, accipiat alium (5). Iure decretalium uxor virum dubie impotentem, et e contrario eam hic debet secum habere ad triennium, ut dent operam matrimonio consummando: dein comperta naturae impotentia insuperabili, potest adhibito septem testium propinquorum iuramento, vinculum dirimere, et ad alia vota transire. Quoties vero patens ab initio esset impotentia, vel ex frigiditate, vel mutilatis partibus, et ea plene liqueat ex medicorum, aliorumque testimoniis, statim poterit iudicio Ecclesiae foedus nuptiarum dirimi (6). Si nolint separari, Romana Ecclesia consuevit iudicare, ut *quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores* (7).

LXXVII. Ob *aetatem* quoque impuberes ex invalida natura coniugio praesenti non aptos Ecclesia iudicat (8). Actu idonea ad legitimas, validasque nuptias contrahendum aetas in masculis est annus XIV. completus, XII. in foeminis (9) : tamen praematura quandoque habitudo corporis, et praecox ad consummandum naturale opus generationis, vel conceptionis, atque supplens aetatem malitia valet nuptias natu minorum, qui, quaeve ab aetate legitima procul non sint, properare (10).

(1) S. Isidor. in *can. raptus 1. ead. C. et qu.*

(2) S. Hieron. in *can. tria legitima 8.*, et S. Ambros. in *can. denique, et puellae pater 9. C. 36. qu. 2.* et Syn. Meldens. in *can. si autem 10.*

(3) Conc. Aquisgran. in *can. placuit 11., et ult. ead. C. et. qu.*

(4) S. August. in *can. non est dubium 16. C. 27. qu. 2.*

(5) S. Leo in *can. cum societas 17.*, et S. Gregor. in *can. quod autem 29. ead. C., et qu.*

(6) Coelestinus III. in *cap. laudabilem 5.*, et Honor. III. in *cap. litterae 7. de frigidis, et maleficiatis.*

(7) Lucius III. in *cap. consultationi 4. de frigidis, et maleficiatis.*

(8) Alex. III. in *cap. quod sedem 2. de frigidis, et malefic.*

(9) Pompon. in *l. minorem 4. D. de ritu nuptiarum*, S. Isidorus *in cap. puberes 3. despons. impuber.* Bonif. VIII. in *cap. un. eod. tit. in VI.*

(10) *Cit. cap. puberes 3.*, Alex. III. in *cap. de illis 9*, et Innoc. III. in *cap. tua nobis 14., et ult. de desponsat. impub.* Hanc aetatem ut Christiani Malalabares Indiarum Orientalium in nuptiis observent, decrevit Apostolicus Indiarum Visitator Card. Carolus Thomas de Maillard de Tournon, vetito prorsus

Cuius rei iudicium Episcopis relinquit ex proba Doctorum sententia Benedictus XIV., monens impuberes praepotentes nulla indigere pontificia dispensatione: ubi tales ab Episcopo Dioecesano rite iudicentur (1). Ut igitur validum sit coniugium de praesenti : non futura connubentium potentia ad perfectam copulam , sed actu , et reapse praesens requiritur iure Canonico , cui solum posse Papam dispensare commonet quoque Benedictus XIV. (2). Sed sponsalia de futuro impuberibus septennio maioribus fas est ita valida contrahere , ut post pubertatem implere iure merito cogantur (3). Senibus vero generatim indulget Ecclesia coniugium , tanquam infirmitatis remedium , et humanitatis solatium (4).

LXXVIII. Sanguinis respectu *consanguinitas* inter collaterales quum agnatos , tum cognatos usque ad quartum eo incluso gradum canonicum ex iure decretalium irritat nuptias copula etiam consummatas (5). S. Augustinus *quoddam seminarium charitatis*, esse copulationem maris , et foeminae docet, et initio generis humani ob necessitatem propagationis primum permissas inter consanguineos nuptias , mox causa fidei, et religionis inter eosdem imperatas per legem Mosaycam, tandem sublatis huiusmodi necessitatis, limitataeque religionis causis factum est, ut ratio evangelicae charitatis inter consanguineos coniugia vetaret, et reverentiam proprio sanguini imperaret (6), plus ampliando illud Moysis praeceptum: *turpitudinem sororis tuae non revelabis* (7). Usque ad septimam generationem canones antiqui in-

abusu puerilium nuptiarum, quas auctoritas, et consensus parentum indissolubiles contrahere consueverat , appensa collo sponsae aurea tessera nuptiali , quam Tally appellant, quae scilicet praesefert imaginem, licet informem idoli Pulleyaris , sive Pyllaiaris coeremoniis nuptialibus praepositi , aliisque profligatis superstitionum generibus : utque Missionarii ea irrita fieri coniugia ne sinerent , neque sponsis cohabitationem indulgeri , donec completa legitima utriusque aetate , et explorato eorum consensu in faciem Ecclesiae ad formam Tridentinam rite nupserint. Idque firmavit Bened. XIV. *const. omnium sollicitudinum 107. de ritibus Indiar. Oriental. to.* 1. Bullarii.

(1) Bened. XIV. *const. magnae nobis 51. to. 2. Bullarii pag. 416.*

(2) Ibidem *num. 10.*

(3) Ex *cap. litteras 4 , cap. continebatur 6. , cap. de illis 7. de desponsat. impuber. Qui vero pueris dant puellas in cunabulis , nihil faciunt : nisi uterque puerorum postquam venerit ad annos discretionis consentiat : nec est coniugium , nisi sit consensus utriusque , etiamsi pater , et mater hoc voluerint , et fecerint* , rescripsit Nicolaus Papa in *can. ubi non est consensus 2.* C. *30. qu. 2.* Consonat Bonifacius VIII. in *cap. si infantes un. de despons. impuberum in VI.*

(4) S. Aug. in *can. nuptiarum bonum 14.* C. *27. qu. 1. , et can. quod si dormierit 13. C. 31. qu. 1.*

(5) Ex decreto Lateranensis Conc. sub Innoc. III. in *cap. non debet* 8. , et Gregor. IX. *in cap. vir. qui 9 , et ult. de consanguin. , et affinit.* In gradibus autem computandis stipes communis minime numeratur , ex *cap. tua nos 7. eod. tit.*

(6) S. August. *lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. , in can. cum igitur un. C. 35. qu. 1.*

(7) Levit. *cap. 18. vers. 9.*

ter consanguineos matrimonia vetabant : *quia leges* , ait S. Gregorius (1) *usque ad septimum gradum protendunt heredum successiones.* Canones posteriores ad quartum gradum consanguinitatis impedimentum ita limitant , ut ubi a communi stipite vir quarto gradu canonico , et mulier quinto, aut e converso distant , validum, legitimumque possint coniugium inire (2) : quoniam in gradibus ulterioribus nequibit prohibitio sine gravi dispendio generatim observari , affirmant Patres in Concilio Lateranensi quarto (3). *Si quis autem dixerit eos tantum consanguinitatis, et affinitatis gradus , qui Levitico exprimuntur , posse impedire matrimonium contrahendum , et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare , aut constituere , ut plures impediant, et dirimant , anathema sit* ex Tridentino (4). Istius cognationis impedimentum Italo-graecis esse quoque servandum monet Benedictus XIV. (5). Infideles autem in gradu prohibito consanguinei coniuges post Baptismum non separantur, nullaque dispensatione opus habent (6).

LXXIX. Ad *spiritualem* quoque *cognationem* , quae oritur ex officio patrini, vel matrinae in Baptismo, et Confirmatione, hoc impedimentum extendunt leges (7), et canones (8). Eoque olim obstringebantur filii etiam, filiaequae patrinorum (9), et nedum unus, vel una baptizatum , vel confirmatum suscipiens, sed plures quoque simul , qui, quaeve eum ipsum tetigissent in sacra vel ablutione, vel unctione (10).

(1) S. Gregor. in *can. de affinitate 1* , *et can. progeniem 16. C. 35. qu. 2.*, Nicol. II. ad Amalphitanae Ecclesiae suffraganeos in *can. de consanguinitate 17.* , et Conc. Lugdunense in *can. nulli ex propinquitate 19. ead. C., et qu.* Ex dispensatione autem idem B. Gregor. Anglis quia neophytis indulsit in quarta , vel quinta generatione copulari , *epist.* ad Augustinum Anglorum Episcopum in *can. quaedam lex 20. ead. C. et qu.* Ceteras in consanguinitatis gradibus varietates videsis apud Gratianum *ead. C. 35. qu. 4., 5., et 8.*

(2) Gregor. IX. in *cap. ult. de consanguinit., et affinit.* In computandis gradibus numquam stipes communis numeratur, *cap. tua nos 7. eod. tit.*

(3) Con. Later. IV. in *cap. non debet 8. de consanguin.*

(4) Trid. *sess. 24. de Sacr. Matrim. can. 3* , *et cap. 5.*

(5) Bened. XIV. in *const. etsi pastoralis 57. §. 10. num. 5* , *et 6.*

(6) Innoc. III. in *cap. de infidelibus 4. de consanguin.*

(7) Iustinian. in *l. si quis alumnam suam 26. C. de nupt. eam ad nuptias venire prohibuit , quam aliquis a sacrosancto suscepit baptismate : cum nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem , et iuxtam nuptiarum prohibitionem , quam huiusmodi nexus , per quem Deo mediante animae eorum copulatae sunt.*

(8) Conc. Trull. *cap. 53.*, Moguntinum in *can. de eo 5. C. 30. qu. 1.* Alex. III. ad Salernitanum Archiepiscopum in *cap. utrum autem 1.*, et ad Vigilantium Episcopum in *cap. super eo 3. de cognatione spirituali* , Clemens III. in *cap. Martinus 4.*, Innoc. III. in *cap. veniens 6.* , Greg. VIII. in *cap. ex litteris 8. eod. tit.*

(9) Zacharias id rescripsit Theodoro Ticinensi Episcopo in *can. Pitacium 2,* Zacharias , et Deusdedit in *can. non oportet filiam 3,,* Paschalis II. ad Rheginum Episcopum in *can. post susceptum 5. C. 30. qu. 3* , Bonifac. VIII. in *cap. nedum 1. de cognat. spirit. in VI.*

(10) Bonifac.VIII. in *cap. quamvis 3. de cognat. spirit. in VI. Si plures ac-*

Ex Tridentino decreto nunc unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus, et una baptizatum de Baptismo suscipiunt: inter quos et baptizatum ipsum, et illius patrem, et matrem, necnon inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahitur. Quod si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, spiritualem cognationem nullo pacto contrahunt. Easque personas ex Confirmatione itidem cognatas non egreditur impedimentum (1).

LXXX. Additur *cognatio legalis*, promanans ex adoptione. *Nec inter eos qui natura, et eos, qui adoptione filii sunt, venerandae Romanae leges matrimonia contrahi permittunt*, rescripsit Nicolaus I. ad Bulgaros (2). Idemque addit (3) *: si qua per adoptionem mihi soror esse coeperit, quamdiu durat adoptio, inter me, et ipsam nuptiae consistere non possunt.* Emancipatione hinc aboleri una cum civili cognatione canonicum impedimentum liquet (4). An praeter filios primi gradus adoptione cognatos in ulterioribus gradibus, et personis matrimonia dirimat ius adoptionis: nullo, quem sciam, Ecclesiae canone definitum inveni. Ius tantum civile irritas habet nuptias, nedum inter adoptantem, et adoptatam, vel adoptati uxorem, et vicissim inter adoptantis viduam, et adoptatum: sed etiam inter filios, nepotesque adoptantis, et adoptati usque ad quartum gradum (5).

LXXXI. *Affinitatis* honor utroque etiam Iure civili, et canonico nunc impedit, ac dirimit nuptias inter consanguineos viri, et uxorem viduam: et versa vice inter viduum virum, et consanguineas defunctae uxoris usque ad quartum gradum canonicum (6); praeterea inter consanguineos fornicantium, et extra nuptias illicite moechantium usque ad secundum inclusum gradum (7). Cum nulli autem sint proprii gradus affinitatis, quia nullae sunt affinium generationes: ii ex cognationis gradibus ita desumuntur, ut consanguineus uxoris in primo, secundo, et reliquis gradibus numeretur affinis viro in eodem primo, secundo,

cesserint, ait, *spiritualis cognatio inde contrahitur, matrimonia contrahenda impediens, et etiam post contracta dissolvens.*

(1) Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 2.*

(2) Nicol. I. in *can. ita diligere 1. C. 30. qu. 3.*

(3) Idem in *cap. si qua un. de cognatione legali.* Hanc cognationem ad quartum quoque gradum protendebat Ius civile, ut patet ex responso Caii in *l. per adoptionem 17.*, *et l. quin etiam 55. D. de ritu nuptiar.*, et Iustin. §. 2., *et 3. Inst. de nuptiis.*

(4) Consonat Ius civile in *cit. l. 17.*, *et 55. D. de ritu nupt.*, et apud Gratianum in *can. per adoptionem 6. C. 30. qu. 3.* Adoptionis ius primus omnium instituit Deo inspirante Iacob, qui duos ex Iosepho natos Ephraim, et Manassem sibi filios adoptavit, duodecim tribuum capita impleturos, Genesis *cap. 48.*

(5) Ex memoratis Caii responsis.

(6) Alex. III. Cassinensi Abbati rescribens in *cap. 1. de consangu., et affinit.* inquit: *Æque enim, ut canones dicunt, abstinendum est a consanguinitate uxoris, ut propriis.* Innoc. III. in *cap. quod super 5. eod. tit. omnes*, ait, *consanguinei viri sint affines uxoris, et omnes consanguinei uxoris sint viri affines.*

(7) Ex Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 4.*, Conc. Lateran. IV. in *cap. non debet 8. de consangu., et affinit.* Inn. III. in *cap. ex litteris 8.*, *cap. veniens 9. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsae*, S. Gregor. in *can. nec eam 10. C. 35. qu. 2., et 3.*

et sequentibus gradibus (1). Triplex olim affinitas vigebat ex triplicibus gradatim nuptiis. Primae quidem nuptiae consanguineos viri faciebant, ut nunc faciunt, uxori affines primi generis, et vicissim. Dein ubi superstes vidua transiret ad secundas, tum tertias nuptias: efficiebat secundum virum consanguineis primi viri affinem secundi generis, tertium virum iisdem tertio genere affinem, et e converso (2). S. Gregorius M. Calaritano Episcopo rescripsit uno coniugum defuncto, in superstite affinitatem non deleri, nec alia copula coniugali affinitatem prioris copulae solvi posse. *Neque alterius*, ait, *coniunctionis soboles placet ad affinitatis prioris viri transire consortium* (3). Dein pseudo-Isidorus eam multiplicem studuit affinitatem firmare apocryphis quum Fabiani, et Iulii (4), tum Innocentii, et Hygini (5) epistolis. At Concilium Lateranense IV. priscas eiusmodi revocavit prohibitiones coniugiorum in secundo, et tertio affinitatis genere inter sobolem ex secundis nuptiis susceptam, virique prioris cognationem (6). Affinitas ergo non parere affinitatem nunc recte dicitur. Ceterum inter consanguineos viri, et consanguineos uxoris nullam intercedere affinitatem, definiunt Innocentius III. (7), et Iustinianus (8). Quemadmodum neque inter vitricum, et uxorem privigni; nec vicissim inter novercam, et privignae virum, ex traditis a Benedicto XIV. (9).

LXXXII. *Honestas* quoque publica sponsalium de praesenti impedit, quominus sponsam rite nuptam nullus consanguineorum sponsi ante consummationem demortui possit usque ad quartum gradum accipere in uxorem (10). In sponsalibus autem de futuro validis, puris, et certis ea ipsa impediens, et irritans matrimonium honestas primum gra-

(1) Modestin. in *l. non facile 4. §. gradus D. de gradibus*, et S. Gregor. in *can. porro de affinitate 3. C. 35. qu. 5.*

(2) Gl. in *cit. cap. non debet 8. de consangu. verb. in secundo, et tertio*, et arbor affinitatis apud Gratianum *C. 35. qu. 5. post can. 6., et ult.*

(3) S. Greg. M. in *can. fraternitatis 1. C. 35. qu. 10.*

(4) Gratianus hunc Fabiano inscriptum canonem habet in *can. de propinquis 3. C. 35. qu. 2, et 3. De propinquis, qui ad affinitatem per virum, et uxorem veniunt, defuncta uxore, vel viro... in tertia propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum eius.* Hunc alium Iulio Papae in *can. et hoc quoque 12. C. 35 qu. 2., et 3. Et hoc quoque statutum est, ut relictam patris, fratris, filii uxoris suae nemo sibi in matrimonium sumat.*

(5) In *can. si cuius patruus 2., et can. si qua mulier 3., 4., et 5. C. 35. qu. 10.*

(6) Conc. Later. IV. in *cap. non 8. de consang, et affinit.*

(7) Innoc. III. ad Rossanensem Archiepiscopum in *cap. quod super his 5. de consanguinit., et affinit.*

(8) Iustin. in §. *9. Inst. de nuptiis. Adfinitatis quoque veneratione a quarumdam nuptiis abstinere necesse est.... mariti tamen filius ex alia uxore, et uxoris filia ex alio marito, vel contra matrimonium recte contrahunt, licet habeant fratrem, sororemve ex matrimonio postea contracto natos.*

(9) Bened. XIV. *lib. 7. de Syn. Dioeces. cap. 31.*

(10) Alex. III. ad Vigiliensem Episcopum in *cap. sponsam 8. de sponsalibus*, et P. Pius V. in *const. incip. ad Romanum*, edita Kalendis Iulii 1568. super impedimento publicae honestatis in appendice Conc. Trid.

dum non excedit (1) : nempe fratres , et sorores , parentesque primi tantum gradus. Validis, inquam , ex consensu. Nam quoties nulla ex defectu consensus, aut non adimpletae conditionis fuerint sponsalia, nullum ex iis oritur impedimentum publicae honestatis : secus ubi ex alia causa , vel impotentiae , vel religionis , vel sanguinis ea irritentur (2).

LXXXIII. *Dispares cultu* in Ecclesia coniugari vetat Apostolus , inquiens : *nolite iugum ducere cum infidelibus* (3). Cuiusmodi praeceptum sacri Ecclesiae canones observandum perpetuo sanxerunt (4). De tolerando coniuge infideli post Baptismum propter spem conversionis ex Apostoli consilio iam diximus (5). Tertullianus addit non licere uxori fideli post infidelis viri mortem secundas nuptias cum alio infideli contrahere (6). Haereticum , vel haereticam coniugem fideli catholico simul vetant canones quum antiqui , tum recentiores. *Cave christiane* , inquit S. Ambrosius (7) , *alienigenam , hoc est haereticam , et omnem alienam a fide tua uxorem ne accersas tibi.* Synodus Agathensis decrevit cum hominibus haereticis fore non miscenda connubia : *nisi profiteantur* , ait , *christianos esse futuros , et catholicos* (8). Verum non irrita , quantumvis illicita iudicantur connubia haereticorum (9): non secus, quam cetera Sacramenta. Benedictus XIV. tradit , quod *semper Apostolica Sedes catholicorum cum haereticis coniugia reprobavit* (10). Idemque ipse ea decretali rescripto

(1) Ex Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 3.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. un. de spons., et matr.*

(3) II. ad Corinth. *cap. 6. vers.* Vetus etiam Testamentum fideli hebraeorum populo coniugia cum gentibus infidelibus inhibuit, Deuteron. *cap. 7.*: *non accipies uxorem filio tuo de filiabus alienigenarum , ne traducat eum post Deos suos , et pereat anima eius.* Verum ex cessante forsan periculo subversionis ad idolatriam captivas alienigenas ducere in coniugium indulsit. Deuteron. *cap. 21:* Si *videris in numero captivorum mulierem pulchram, et adamaveris eam, voluerisque habere uxorem , dormies cum illa , et erit uxor tua.* Praevaricatores eam ob rem iram Dei non semel in se provocarunt. 1. Esdrae *cap. 9. vers.* 2 , *tulerunt de filiabus Amorrhaeorum.... sibi , et filiis suis, et commiscuerunt semen sanctum cum populis terrae.* Idipsum legitur 2. Esdrae *cap. ult. vers. 35.* Monet Benedictus XIV. *const. singulari 2. to. 3. Bullarii*, non satis constare, an prohibitae hebraeis nuptiae cum alienigenis Chananaeos tantum spectarent.

(4) Apud Gratianum *C. 28. qu. 1.*

(5) *Hoc tit. num. XV.*

(6) Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem cap. 2.* , expendens ea Paulli verba , 1. *ad Corinth. cap. 7. vers. 39. Si dormierit vir eius , liberata est : cui vult nubat, tantum in Domino.*

(7) S. Ambros. in *can. cave 15. C. 28. qu. 1.*

(8) Syn. Agathen. in *can. non oportet 16. eod. C. et qu.*

(9) Bonifacius VIII. in *cap. decrevit 14. de haereticis in VI.*, explicans decretum Innocentii IV. de non confiscandis uxorum catholicarum dotibus propter haeresim maritorum, censuit id fore intelligendum ; *nisi forte mulieres ipsae cum viris , quos haereticos tunc sciebant , matrimonia contraxissent.* Ea vero matrimonia an irrita , vel irritanda essent , omnino siluit.

(10) Bened. XIV. in *const. magnae nobis 31.* ad Poloniae Regni Primatem ,

interdixit, et spiritualibus poenis severioribus coercendos catholicos mandavit, *ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis coniungant,* quod perpetuum nihilominus fore condocuit (1).

LXXXIV. *Ordo sacer* quonam iure, quo ex tempore, quave differentia impediat quum Latinis, tum Graecis coniugium, sat alibi dictum est (2). Benedictus XIV. matrimonia Italo-Graecorum post sacrum Ordinem contracta statuit irrita, et nulla fore (3). At in Orientali Ecclesia Graeci diaconi, atque presbyteri vetitas nuptias, utrum illicitas solum, an etiam invalidas ineant, nullo adhuc decreto Sedis Apostolicae definitum esse commonet, sed satius fore censuit, ut obveniente casu indulgendae dispensationi non adiiciatur expressa conditio renovandi consensum (4).

LXXXV. Quod *professio* quoque solemnis in aliquo ex probatis Ordinibus Regularium qua virorum, qua virginum futuras dirimat nuptias, iam supra exposui (5). Si ratum matrimonium solvere fas est quum sponso, tum sponsae castitatem solemniter profitenti ante consummationem (6): iure fortiori sequens matrimonium dirimit praevia solemnis professio. Utrumque impedimentum sacri Ordinis, et professionis religiosae, tot sacris canonibus firmatum, *ex lege ecclesiastica*, *vel voto* obstare docet Synodus Tridentina, dum anathemate simul percutit quemvis dicentem, *posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, non habere donum: quum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari* (7).

Archiepiscopos, et Episcopos, *to. 2. Bullarii*, ubi refellit calumniam eorum, qui falsa fama opinarentur apostolicis dispensationibus *sublata* esse *impedimenta canonica Matrimonio legitime, aut valide ineundo obsistentia, licet contrahentium alter, vel etiam uterque haereticam sectam aperte profiteantur.* Simul profert Urbani VIII. litteras die 30. Decembris 1624., et Clementis XI. die 25. Iunii 1706., et 23. Iulii 1707., de matrimoniis eiusmodi a catholica Ecclesia procul arcendis.

(1) Idem in *const. matrimonia 34. §. 3. to. 1. Bullarii*, quae commemoratur in *cit. const. magnae nobis.*

(2) Superiori *lib. 1. tit. XXXI. num. XV. ad XX.*, et hoc *lib. II. tit. X. num. XXI.* Id firmant prisci canones apud Gratianum *dist. 28.* et Alexandri III., successorumque Pontificum in *cap. 10., et seq. qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.* Consonant leges civiles Honorii, et Theodosii in *l. eum qui 19. C. de Episc., et clericis*, et Iustini, *Nov. 22. cap. 42.*

(3) Bened. XIV. in *const. etsi pastoralis 57. §. 7. num. 28. to. 1.* Bullarii.

(4) Idem in *const. anno vertente 30. §. 13. to. 3.* Bullarii.

(5) Superiore *lib. 1. tit. XXXII., et ult. n. XXI.* Plurimos antiquae disciplinae canones de voto castitatis, et religioso habitu nuptias impediente congerit Gratianus *dist. 27., et C. 27. qu. 1.* In illis Concilium Romanum sub Innocentio II. an. 1139. in *can. ut lex continentiae, 40. C. 27. qu. 1.* solutionem vinculi, separationemque coniugis post professam rite castitatem ducentis uxorem vel virum, et apertius, et primum imperavit. Mox Alexander III. in *cap. insinuante 7. qui clerici, vel voventes*, et Bonif. VIII. in *cap. un. de voto, et voti redemptione in VI.* apostolicam hac in re Traditionem evolvit, ostentatque in hostem Car. Blascus *diatriba 4. ad cap. 2. de convers. coniugatorum.*

(6) Ex *cap. verum 2., et seq. de conversione coniugatorum.*

(7) Trid. *sess. 24. de Sacr. Matr. can. 9.* At Card. Pallavicinus *lib. 23.*

LXXXVI. Quoad unius matrimonii *foedus* integrum stet, vel ratum solummodo, vel consummatum, et ambo coniuges vivant: neutri fas erit secundas valide nuptias inire. *Mulier enim*, ex Apostoli oraculo (1), *alligata est legi viri, quamdiu vir eius vivit:* et e contrario.

LXXXVII. De *clandestino* foedere, quod lex Tridentina prorsus irritat in utroque, et contractus, et Sacramenti vinculo, quoties defecerit praesentia Parochi, duorumque testium, sat, superque dictum est superius (2).

LXXXVIII. Denique ad iugalis foederis fidem, religionemque tutandam spectat dirimens impedimentum, quod duo *crimina* pariunt, et ea non simplicia, sed dupla: *homicidium* nempe coniugis cum animo alteram, vel alterum accipiendi (3): et *adulterium*, vel cum promissione mutua contrahendi inter sese nuptias post sui, suaeve coniugis mortem, quamvis ab hac machinanda se abstinuerint, vel cum machinatione interficiendi coniugem, quamvis nullam futuri matrimonii fidem sibi dederint (4).

LXXXIX. Dirimentia impedimenta statuendi Ius Ecclesiae tantum esse, nullamque in iis leges imperiales, civilesque vim habere quod

hist. Conc. Trid. cap. 9. num 2. ad rem hanc refert Legatum Sedis Apostolicae Osium voto suo explicuisse, quod Synodus oecumenica hoc in *canone 9. sess. 24.* mentem non habuerit definiendi coelibatum sacris Ordinibus adnexum ex lege ecclesiastica oriri, quum nil ea de re disputatum a Patribus esset: sed solummodo Lutherum damnandi suis ipsius verbis, ita conceptis ab eo: *non obstante lege ecclesiastica, vel voto.*

(1) I. ad Corinth. *cap. 7. vers. 39.* Id quod liquet magis ex lege monogamiae naturalis a Christo ipso imperata, et explicita, de qua superius *hoc tit.*

(2) *Hoc eodem tit. num. XXVI.* Id explicatius affirmat Bened. XIV. in *const. redditae sunt 3. in supplem. to. 3.* Bullarii, dum irritas declarat nuptias in foederati Belgii regionibus coram civili magistratu, vel haeretico ministro, posthabita forma Tridentina, contractas inter ambos catholicos: at inter catholicum et haereticam, vel e contrario validas, licet illicitas.

(3) Concilium Triburiense anno 895. in *can. si quis vivente 5. C. 31. qu. 1.* si vir, aut mulier patrato adulterio suum occidissent coniugem, sanxit, ut *sine ulla spe coniugii maneant perpetuo cum poenitentia.* Hunc Triburiensem canonem sequutus Coelestinus III. in *cap. laudabilem 1. de conversione infidelium*, rescripsit, non posse christianas viduas iis nubere conversis ad fidem Saracenis, qui dolosa earum machinatione maritos ipsarum necassent, *licet earum studio ad fidem ii accesserint: quum tale damnum*, ait, *tali lucro Ecclesia compensare non velit.*

(4) Ex decretalibus Alex. III. in *cap. super hoc 3.*, *et* Clementis III. in *cap. cum haberet 5. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* Simplex vero adulterium sine mortis machinatione, aut sine pactione futuri coniugii non obstare putavit S. Augustinus in *can. denique 2. C. 31. qu. 1.* At olim S. Leo M. in *can. 1. eadem C., et qu.* generatim vetuerat, ut *nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio.* Id etiam decrevit Concilium Altheimense, seu apud Altheum in Rhetia Germaniae an. 917. celebratum sub Ioanne X. Papa, et Rege Conrado I. Salico, in *can. illud vero 3. eadem C. et qu.* Nunc novo iure Decretalium, nisi accesserit adulterio futuri coniugii pactum, vel insidiae in coniugis mortem, dirimens non oritur impedimentum.

ad vinculi solutionem, tradit Benedictus XIV. (1). Si enim personae sponsorum mutuo consensu suo materiam suppeditant huic Sacramento, dum illud suscipiunt: ipsa rei natura postulasse videtur, ut spiritualis ea potestas clavium, cui praecipuam, potissimamque Sacramentorum curam, et dispensationem concredidit Christus Dominus, personas ipsa probet, vel improbet, statuens ex adiunctis earumdem qualitatibus, et dispositionibus, quinam idonei, quive inhabiles, et incapaces ad istud valide suscipiendum sint. Hinc etiam patefit, cur summus Pontifex interdicens alicui speciatim nuptias *cum decreto*, ut aiunt, *irritante*, sub poena scilicet nullitatis, eum, vel eam tunc prorsus inhabilem ad contrahendum matrimonium ab Ecclesia interdictum efficiat (2).

XC. Quod vero ad simplicia, seu non dirimentia, quae sic futuris obstant nuptiis, ut praeteritas non dissolvant: plura ex Ecclesiae sanctionibus, tum legibus etiam civilibus obveniunt impedimenta. Haec iure adhuc probantur ecclesiastico. I. Simplex votum castitatis, vel Sacerdotii, sacrorumque Ordinum, vel vitam profitendi religiosam, aut susceptio habitus religiosi, vel ingressus in religionem (3). II. Ius alteri quaesitum ad futuras nuptias, vel ex praeviis sponsalibus, vel ex crimine stupri (4). III. Poenitentia publica ex graviori crimine promerita, puta ex homicidio vel coniugis (5) sine ullo ad secundas nuptias respectu, vel presbyteri (6), ex incoestu (7), vel adulterio sine machinatione coniugis necandi, et sine pacto futurarum nuptia-

(1) Bened. XIV. in *const. singulari nobis 2. §. 7. to. 3. Bullarii*, ubi expendit Theodosii *l. ne quis C. de Iudaeis* vetantem Christianis coniugium cum Iudaeis, illudque punientem instar adulterii *Leges illae* (ait Guil. Estius in 3. *sent. dist. 39. §. 8.*, *si quis obiiciat*) *quomodocumque intellectae, non possunt praescribere Ecclesiae.*

(2) Sanchez *de matr. lib. 7. cap. 1. num. 7.*, *et cap. 2. n. 12*, Fagnan. in *cap. litterae num. 8.*, *et seq. de matr. contra interdict. Eccl.* Alexander de Naevo in *cap. tuas de sponsal. num. 17.* Qui nonnulla eiusmodi specialia Pontificum interdicta cum decreto irritante commemorant, praesertim Bernaboni Vicecomiti, eiusque filiis. Aliud Ducissae Ceri, et Sanctinello interdictum Alexandri VII. fert Rigantius *to. 4. in Reg. 49. Cancellariae num. 109.*

(3) S. Aug. in *can. merito 15.*, et Conc. Tolet. III. in *can. hoc sanctum 16. C. 32. qu. 2.*, *cap. 3.*, *4.*, *5.*, *et 6. qui clerici*, *vel voventes.* Alexander III. in *cap. commissum 16. de sponsal.* rescripsit, *quod tutius sit ei*, qui iuraverit aliquam desponsare, iuramentum implere contrahendo nuptias, postea ad Religionem, antequam consummet matrimonium, transire.

(4) *Can. si desponsatam*, *et can. de coniugali 30. C. 27. qu. 2.*, *cap. ex litteris 10.*, *et cap. requisivit 17. de sponsalibus*, *cap. 1. de adulteriis*, *et stupro.*

(5) Steph. V. in *can. admonere 8. C. 33. qu. 2.* Praecedens *can. quicunque 7. ead. C. et qu.* Pio Papae inscriptus in homicidam uxoris, et senioris sui, olet mercem pseudo-Isidori.

(6) Conc. Moguntin. in *can. cui presbyterum C. 17. qu. 4.* repetitum in *cap. 2. de poenit. et remiss.* ibi: *absque spe coniugii maneat.*

(7) *Cap. si quis 1.*, *et sequ. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsi.*

rum (1). IV. Dissensus parentum (2). V. Probatio defectiva status liberi, et discussio cuiuslibet impedimenti in iudicium delati (3). VI. Tempus feriarum Adventus, et Quadragesimae, solemnibus nuptiarum pompis, et celebritati minime congruum (4), quod nihilominus, ubi sine pompa ineantur coniugia, nil obstat. Ex singulis huiusmodi causis Episcopi, locorumque Ordinarii Parochis iure vetant, ne impeditae coram ipsis nuptiae celebrentur, donec re cognita *tollatur impedimentum,* et detur licentia contrahendi (5). Ita *Ecclesiae vetitum* (6), non una, et prima species est peculiaris impedimentorum sex, quae scilicet numero claudunt versiculi scholae tritissimi: sed genus, quod cunctas eorumdem species complectitur, et sustinet sigillatim. *Catechismi* vero impedimentum iis quoque versiculis connumeratum, quo catechistae cum suis ad Baptismum, vel Confirmationem oblatis irretiebantur, penitus exolevit (7). At subrogari potest necessitas catechismi, seu addiscendae doctrinae christianae: quum eam ignorantes non fore matrimonio iungendos, moneat Benedictus XIV. (8).

XCI. Civiles praeterea leges communes, et municipales nonnulla futuris nuptiis impedimenta nectunt. Theodosius magistratum gerentibus multa, et exilio biennali interdixit nuptias, quas abusu potestatis suae, et minaci fervore attentarent (9). Tutori, eiusque filio, aut nepoti nuptias cum pupilla sua, quamvis adulta vetant prisca senatus consulta; ne rationibus gestae tutelae fraus fiat, nec vis aliqua libertati (10). Vidua adhuc poenas civiles iacturae lucrorum dotalium subit

(1) *Cap. ex litterarum 4. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* Videsis glossam in *cit. cap. 1. de poenit., et remiss. veris sine spe coniugii.*

(2) Trid. *sess. 24. de reform. matr. cap. 1.*

(3) Textus in *cap. eum in tua 17. de sponsalibus* loquitur de liquidanda impedimenti denunciatione. Can. in *praesentia 19 eod. tit.* de ignota, et dubia morte coniugis diu absentis. Cap. *cum in apostolica 18. eod. tit.* de litis pendentia super divortio.

(4) Nicol. I in *can. nec uxorem C. 33. qu. 4.* Trid. *sess. 24 de reform. cap. 10. Si quis* autem *dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tirannicam ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones, et alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit: anathema sit* ex Trid. *can. 11.* ibidem.

(5) Ex Conc. Later. sub Inn. III. in *cap. cum inhibitio 3. de clandestina desp.*

(6) Cap. 1., et 2. *de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae, et cap. ult. §, sane de clandest. desponsat.*

(7) Nam lex Tridentina saepe *cit. sess. 24. cap. 2.*, spiritualem cognationem ad certas tantum personas limitavit, omnibus aliis, inter quas etiam catechistae tacite continentur, exclusis ex lure antiquo affinibus per sacramentum ex *cap. 2. de cognat. spirit. in VI.*

(8) Ben. XIV. in *const. etsi minime 42. de doctr. Christi §. 11. to. 1.* Bullarii.

(9) *L. un. C. si quacumque praeditus potestate, vel ad eum pertinentes ad suppositarum iurisdictioni suae aspirare tentaverit nuptias.*

(10) Paulus in *l. Senatusconsulto 59, et l. si quis tutor 60.*, Papinianus in *l. quamquam 62.*, Callistratus *in l. libertum 64. D. de rit. nuptiarum, l. 1., et seq. C. de interdicto matr. inter pupillam, et tutorem, seu curatorem, filiosque eorum.*

ex antiquis legibus, si nupserit intra annum luctus (1). Opus idcirco habet impetrare ab Rege licentiam, qui velit impunis inire nuptias eiusmodi legibus vetitas (2).

XCII. Hoc etiam in regno Fridericus II. interdixit feudatariis, eorumque filiis, et nepotibus absque regiae curiae permissu uxorem ducere (3). Carolus I. Andegavensis, ut nullus contrahat matrimonium cum filiabus, filiisque proditorum sine placito regiae curiae sub poena confiscationis omnium bonorum statuit (4). Carolus II. exules ob haeresim, laesamque maiestatem dumtaxat obnoxios memoratae legi patris sui voluit (5). At Honorius IV. eas leges abrogare studuit pro libertate matrimoniorum tuenda (6). Idemque Carolus II. in concordatis cum Honorio capitulis edixit, fas esse filiabus proditorum, quae paternam non essent militiam secutae, nubere, maritisque suis dotem de bonis non feudalibus dare sine adsensu regiae curiae (7). Mox regni Barones in comitiis Neapoli habitis anno 1507. ab Rege Ferdinando Catholico petierunt libertatem matrimonia sine regio adsensu contrahendi, praeterquam ubi feuda in dotem promitterentur: Rex autem rescripsit, quod ita benigne se haberet, ut merito futuri omnes essent voti sui compotes (8). Milites etiam praesertim Officiales ex Caroli Regis nostri ordinationibus militaribus prohibentur matrimonia contrahere, nisi regiam antea permissionem obtinuerint, quam debent per Directorem generalem seu Ducem, aut per Inspectorem Officiales postulare; milites autem gregarii ab suo quisque Centurione, tum etiam a Tribuno legionis habere in scriptis: alias illi suo dignitatis, honorisque gradu deiiciantur, hi perpetuo ad vitam inserviant, quamvis ad limitatum tempus militiae nomen dederint, aliasque insuper poenas arbitrio Ducis, vel Tribuni sui subibunt, Regii vero Cappellani ob desponsationem sine huiusmodi licentiis celebratam inobedientiae reatum, Regiamque ferent indignationem. Invalidi quum Officiales, tum milites nisi eamdem licentiam a Praefecto militum, atque a belli Commissario impetraverint, loci, et stipendii iacturam facient (9).

(1) Ex supradictis §. II. *de secundis nuptiis num. LVIII.*
(2) *L. 1. et sequ. C. si nuptiae ex rescripto petantur, et l. 7. C. de interdicto matrimonio.*
(3) Frid. II. in *const. honorem nostri diadematis lib. 3. const. Regni tit. 23.*
(4) Carol. I. *anno 1271. in Regni cap. satis constat tit. quod nullus.*
(5) Carol. II. in *cap. item statuimus quod filiae proditorum.*
(6) Honor. IV. in suis capitulis anno 1285. memoratis superiori *lib. 1. tit. X. num. IV.*
(7) Concordata Honor. IV., et Carol. II. *cap. 37.*
(8) Ex *tom. 1. privileg. Neapolis cap. 6. fol. 92.*
(9) *Trattato delle leggi penali della milizia Spagnuola*, ossia *Ordinanze militari par. 9. §. 44., dei matrimonii senza licenza.*

ADDITIONES

DE MATRIMONIO

Praecipuas heic gravissimis doctrinis, quas Auctor noster in medium protulit, canonico-civiles recentiores leges, quae matrimonium respiciunt, attexendas e re nostra duximus.

Atque in primis de matrimoniis mixtis nonnulla expendenda.

Sane coniugium *mixtum* illud est, quod contrahit *catholicus* cum *acatholica*, vel e converso: *acatholici* vero ii dicuntur, qui etsi Baptismo lustrati, christiano tamen nomine perperam gloriantur, quippe qui aut in haeresim misere prolapsi, aut in schisma: et veluti membra, quae corpori non adhaerent, vitam habere nequeunt, ut rivi a fonte secreti arescunt, ramique ab arbore praecisi germinare non valent, ita quotquot sunt extra visibilem Catholicam Ecclesiam, salutem assequi non possunt.

Profecto connubia ista ob periculum perversionis, et apostasiae, quod catholico, prolique nasciturae instaret, absque Summi Pontificis dispensatione, quae dumtaxat ob gravissimas rationes datur, illicita prorsus esse, tum Conciliorum canones, tum Pontificum decreta inde usque a primis Aerae Christianae temporibus lata, apertissime demonstrant. Ne vero instituti fines praetergrediamur, heic recensere omittimus canones XV. Illiberitanum, XI. Arelatensem, LVII. Nicaenum, XII. Carthaginensem III., LXII. Trullanum, aliosque, illum solummodo adferendo, quem Chalcedonensis Oecumenica synodus sanxit: *neque copulari debet nuptura haeretico, aut iudaeo, vel pagano, nisi forte promittat se ad orthodoxam Fidem persona orthodoxae copulanda transferre* (1). Hunc autem Chalcedonensem canonem Summi Pontifices latis legibus confirmarunt, praesertim S. Leo M. (2), Stephanus IV. (3), Nicolaus I. (4). At heic observare ne pigeat quae recentiori aetate ab Apostolica Sede in hanc rem sunt constituta.

Revera Benedictus XIV. expresse ait: *Pontificiae auctoritati iniuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut matrimonia inter partes, alteram catholicam, et alteram haereticam licite contrahantur* (5), idemque ille sanxit sua Constitutione *Magnae nobis* ad Primatem Archiepiscopum, et Episcopos Coloniae missa die 29. Iun. 1748. (6).

Tum Pius VI. in rescripto ad Card. de Franckenberg Arch. Mechliniensem sub die XIII. Iul. an. 1782; veteris ecclesiasticae disciplinae ve-

(1) *Ex versione Dionysii Exigui apud Arduin. Acta Concil. T. II. col. 607.*
(2) *Ser. LXXXII.*
(3) *Apud Baron. ad an. 770. epist. ad Carolum, et Carolomannum.*
(4) *Resp. ad Consult. Bulgar. n. XXII.*
(5) *Bened. XIV. de Synod. Dioeces. Lib. IX. cap. 3. n. 3.*
(6) *Const. Magnae nobis in eiusd. Bullar. tom. 2.*

stigiis inhaerendo, declarat Parochum catholicum, si coniugia mixta impedire nullo pacto valeret, eisdem materialem suam exhiberet praesentiam hisce conditionibus :

I. Ut tali matrimonio non assistat in loco sacro, nec aliqua sacra veste indutus: ut etiam nullas Ecclesiae preces recitet, neque ullo modo coniugibus benedicat.

II. Ut pars haeretica scripto, ac iuramento coram testibus promittat se permissuram, ut pars catholica Religionem suam libere exerceat, prolesque omnes in eo instituat.

III. Ut similiter pars catholica eodem modo promittat se hoc praestituram, ut compartis conversionem efficaciter procuret (1).

His adde instructionem, quam edidit Congregatio Card. Concilii Tridentini interpretum die XV. Iunii an. 1793; et ab eodem Pontifice Pio VI. adprobata.

« Catholicum prae omnibus, vel Catholicam Parochi moneant, quod » contrahendo matrimonium cum acatholica, vel acatholico, valide quidem contrahant, sed illicite.

» Atque hinc plane consequitur nullo actu positivo ipsos posse isthaec » matrimonia probare, aut suo expresso consensu, et auctoritate confirmare. Quapropter si cogantur in hac temporum conditione, et propter leges in transactione Religionis anni 1673. praescriptas, matrimoniis Catholicorum cum muliere acatholica assistere, satagant, ut » se mere passive habeant, atque tanquam inviti audiant dumtaxat » utrumque consensum, verumtamen abstineat omnino a precibus recitandis, a benedictione impertienda, atque ab omni alio Ecclesiae ritu » adhibendo.

« Caveant insuper ne in publicandis matrimoniis mixtis religionem » exprimant contrahentis acatholici, sed contrahentium tantum enuntient » nomina, et cognomina.

» Abstineant rursus a concedendis dimissoriis, ubi secundum cano» nes Ecclesiae Catholicae canonicum aliquod impedimentum sit inter » contrahentes ».

Adhaec Summus Pontifex Pius VII. in Rescripto ad Galliarum Episcopos sub die XVII. Febr. an. 1809. diserte inquit (2): « Quare si » a nobis petitioni huic respondendum nunc esset, responsum certe » nostrum a constanti huius S. Sedis regula, et Praedecessorum no» strorum exemplo, agendique ratione dissidere non posset ». Et Pius VIII. tum in Brevi sub die XXV. Mart. ann. 1830. (3), tum in instructione, quam eidem adiecerat, Praedecessorum sanctiones de hisce coniugiis apertissime confirmavit.

Coronidis tandem loco referre duximus auream in hanc rem allocutionem Summi Pontificis Gregorii XVI.

(1) *In rescript. cit. apud Moser de imped. mat. pag. 179.*

(2) *Rescript. cit. ad Episcopos, et Vicarios Capitul. Galliar. apud Moser loc. cit. p. 194.*

(3) In cit. exposit. III. pag. 5.

« Quis porro, inquit (1), futurum putaret, ut pontificia isthaec declaratio (Pii VIII.), indulgentissima licet, et semel, atque iterum per regium in Urbe oratorem accepta, *eo sensu adhiberetur, qui inconcussa Catholicae Ecclesiae principia perverteret, et huius Apostolicae Sedis menti penitus repugnaret?* Verum quod nemo unus fingere, aut excogitare posset, quodque vel leviter suspicari crimen fuisset, *id artificioso saecularis potestatis impulsu* factum est. Vix rem non sine maxima animi molestia novimus, nihil distulimus, quin expostulationes Nostras iis, ad quos pertinebat deferendas committeremus, una simul declarantes quanta Nos ex Apostolico munere teneret necessitas fideles opportune monendi, ne illud ab sancta hac Sede profectum arbitrarentur, a quo ipsa plane abhorret. Cumque ita Nobis fuisset responsum *veluti nullo querelae Nostrae inniterentur fundamento:* epistola accessit alterius ex praedictae regionis Praesulibus, qui instante morte redditurus aeterno Iudici rationem villicationis suae, misso ad Nos apographo instructionis traditae ab Episcopis, urgente civili Gubernio, accurate significabat *se, damna gravissima exinde Ecclesiae, oritura laesosque illius canones divinae gratiae lumine inspicientem, errorem, cui subscripserat, libera mente, motuque proprio retractare.* In curam proinde statim incubuimus, ut perlato ad Serenissimum Regem germano istius apographi exemplo, magis, magisque innotesceret Nos initam a memoratis Episcopis rationem interpretandi Apostolicas Praedecessoris Nostri litteras, utpote Ecclesiae principiis, ac legibus adversantem, omnino reprobare (2).

« Haec autem secreta conventio, quae prius a Confluentibus (vulgo *Cobbentz*) nuncupata est, ex qua prodiit *instructio* reipsa locum habuit Berolini 19. Iun. 1834. inter Bunsen, et Arch. Coloniensem Com. de Spiegel. Illa porro eadem est, de qua Bunsen Borussiae Orator apud S. Sedem interrogatus ex officio respondit « Non seulement l'existence d'une telle instruction est moralement impossible mais *qu'il a le certitude positive que cette pretendue instruction n'a jamais. existè* » Cf. *Exposit.* cit. Doc. VI. Huic conventioni, ac instructioni inde emissae subscripserunt praeter Arch. Coloniensem Spiegel Episcopi Trevirensis Paderbornensis, et Monasteriensis. Cumque ab ephemeride Aschaffenburgensi an. 1836. n. 125. cum nonnullis mutationibus pubblicata esset, iidem Episcopi, qui ei subscripserunt, in hac ipsa ephemeride n. 150. declararunt hoc documentum *opus perfidum esse cuiusdam calumniatoris!* Cf. *lettr. cit. Sur l'affaire de Cologne* Paris 1838. p. 33. E septem vero articulis, ad quos illius conventionis instructio redacta fuerat excludebantur conditiones duae, quibus unice positis Pius VIII., ut diximus, pro sua potestate declaraverat connubia isthaec mixta iniri licite posse, scilicet 1. seria

(1) *In allocutione habita die X. Decemb. an. 1837. Cf. esposiz. di fatto: Docum. n. XVI.*

(2) *In Expos. Doc. XVI.* pag. 84. et seq.

» admonitio facienda parti catholicae de gravi crimine, quo se ob-
» stringeret contra Canonum leges tale matrimonium ineundo. 2, pro-
» missio ab eadem praestanda, qua polliceretur fore, ut soboles o-
» mnis Catholica Religione institueretur.

Hactenus vero dicta haud ita accipias, quasi coniugia mixta numquam a Romanis Pontificibus permissa fuerint. Namque ob gravissimas rationes, et sub praescriptis conditionibus, quae, ut supra innuimus, tum catholicum responsum respiciunt, ut scilicet vires exerat suas, ut pars acatholica ad veram Ecclesiam convertatur, tum prolem nasciturum, ut in Catholica Religione instituatur, isthaec connubia a Petri Successoribus indulta, nemo unus ignorat. Ita Clemens VIII., licet aegre Duci Barensi indulsit, ut matrimonium cum Catherina Henrici IV. Galliae Regis sorore haeretica contraheret: et Urbanus VIII. Henricae Ludovici XIII. sorori potestatem fecit, ut nuberet Carolo I. Angliae Regi, aliique passim in Germania, Anglia, Hollandia, etc. (1).

Sed haec satis sunto. Qui vero plura nosse aveat, Theologos adeat, qui rationibus non modo a multiplici canonum auctoritate, sed etiam a Iure Naturae, et Divino positivo petitis, malevolorum quorumdam audaciae, qui mixtas nuptias promovere vellent, pro viribus obsistunt.

Praeterea illa subnectere praestat, quae in Codice novissimo utriusque Siciliae Regni de matrimonio sancita fuerunt.

Ac primo filiifamilias ante XXV. aetatis annum, filiaeque ante XXI. Matrimonium inire prohibentur absque parentum consensu (2), immo exacta hac aetate, triplicem obsequiosum actum parentibus invitis rite praestare tenetur (3): quibus confectis, ipsis liberum erit nuptias in faciem Ecclesiae celebrare. Quod si contrahentium pater e vita excesserit, aut in illorum nuptias consensum praestare nequiverit, tunc et Avi paterni, et Matris consensus requiritur: si vero isti dissentiant, sufficiet consensus Avi paterni (4). Rursus si sponsi vel adscendentibus sint orbati, vel si hi extent, suam voluntatem aperire nequeant, tunc illis potestatem facit lex cognatos, et adfines, quibus praeest Iudex, in consilium adhibendi, et ab his consensus praestabitur. Demum filii mere naturales nullo recognitionis actu a parentibus ingrate donati, ante XXI. suae aetatis annum a speciali Tutore, quem Iudex ipsis constituet, consensum in nuptiis contrahendis exquirent. Illud autem observatu dignum, quod Matrimonium absque parentum consensu contractum validum omnino sanxit Tridentina synodus (5).

Tum Iure cautum, quod ante celebrationem matrimonii praemittendae sint civiles denunciationes (6): quae tamen imminente alterutrius contrahentis vitae periculo, et ab ipsis, praestito iureiurando nullum legitimum impedimentum extare, omitti possunt (7). Adhaec requiritur coram Officiali Municipali actus status civilis, qui utique est solemnis

(1) *Confer Bintherim in Diss. de Matrim. mixtis pag. 46.*
(2) *Cod. Civ. Part. 1. Tit. V. art. 163.*
(3) *Ibidem art. 166.* — (4) *Ibidem art. 164.*
(5) *Sess. XXIV. Cap. 1. de reform. Matr.*
(6) *Cod. Civ. Tit. II. art. 68.* — (7) *Cod. Civ. Tit. V. art. 179.*

promissio nuptias in faciem Ecclesiae contrahendi (1). Atvero ex huiusmodi promissione nulla sponsis datur actio ad matrimonium contrahendum, sed solummodo ad indemnitatem illi non denegatur ius, qui nullam dederit causam a nuptiarum celebratione recedendi (2). Denique si matrimonium contrahatur in faciem Ecclesiae absque indicata promissione, validum sane erit, at nullum ius civile pariet inter ipsos coniuges, nec inter filios nascituros, quia civilibus caret effectibus (3).

Quod vero cognationem civilem spectat: prohibetur matrimonium I, inter adoptantem, et adoptatum, vel adoptati descendentes II, inter adoptantem, et coniugem adoptati III, inter adoptatum, et adoptantis coniugem IV, inter adoptatum, et adoptantis filios, licet adoptivos (4). Cum vero matrimonii impedimenta constituendi potestas Catholicae Ecclesiae Iure divino insit (5): quod ius vel a prima aetate ipsa exercuit: hinc duo veluti corollaria deduces: alterum, quod impedimentum istud Iure civili invectum, et ab Ecclesia receptum, et adprobatum (6) dirimens prorsus evasit inter personas designatas n. I. II, III; alterum, quod si matrimonium contrahatur inter adoptatos, et adoptantis filios, licet adoptivos, validum illud erit, quia deest ecclesiastica sanctio; at effectibus civilibus minime gaudebit, quippe quod civilibus legibus adversatur.

Illud denique sedulo animadvertendum est, quod leges civiles matrimonium spectantes, catholicae Religionis iura sarta tecta servando, civiles dumtaxat effectus, qui ex eodem promanant, dirigunt, ac proinde conventiones nuptiales, filiorum civilis ordo, iura, successiones in bona adscendentium, aliaque id genus civilibus sanctionibus in Societatis utilitatem reguntur.

§. V. *De dispensationibus.*

XCIII. Impedimenta simplicia, seu non dirimentia fere tolluntur dioecesani Episcopi dispensatione: duo si excipiantur, ius nempe quaesitum alteri mulieri ex anteriore sponsalium pactione, et votum, aut perpetuae castitatis, aut ingrediendi Religionem, quod quoties purum fuerit, nullique conditioni obnoxium, Summo tantum Pontifici reservatur (7).

XCIV. Quod vero ad dirimentia, quae plane oriuntur ex defectu consensus, quaeque sunt Iure divino, ac naturali constituta, scilicet foedus insolutum ex vita superstite coniugis, quamvis adulteri, vel adulterae; et consanguinitas in primo gradu rectae praesertim lineae;

(1) *Cod. Civ. Tit. II. art. 77.* — (2) *Ibidem art. 78.*
(3) *Cod. Civ. art. 189.* — (4) *Cod. Civ. art. 159; et 160.*
(5) *Trid. sess. XXIV. Can. XII.*
(6) *Can. 1. Cap. XXX, quaest. 3. Cap. unic. de cognat. legali.*
(7) Ex traditis a Benedicto XIV. *lib. 7. de Synod. Dioeces. cap. 31. num. 1.*, post Solum, Navarr., Sanchez, Salmaticenses, Perez, Cabassutium. Nam Alexander III. in *cap. veniens 5. qui clerici, vel voventes,* mulierem, quae cuidam absenti fidem futuri coniugii dederat, solvit a voto puro continentiae in manibus Episcopi emisso, nec loco, nec veste mutatis.

nullam omnino dispensationem patiuntur. Cetera secus, quae scilicet Ius ecclesiasticum, vel antiquissimum, vel novum induxit. Haec enim relaxandi arbitrium procul dubio habet suprema Romani Pontificis potestas supra leges quaslibet humanas, et canonicas eminens (1). Atvero Benedictus XIV, docet aliquot *casus esse nullo, aut naturali, aut divino Iure prohibitos, in quibus tamen Pontifex neutiquam dispensare consuevit, quamvis soli positivae legi derogaturus* (2). Nimirum in primo consanguinitatis gradu inter fratrem, et sororem (3), in primo item affinitatis gradu lineae rectae inter vitricum, et privignam (4), et in publico impedimento criminis ex occisione coniugis post adulterium (5).

XCV. *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur; et spe dispensationis consequendae careat . . . . . Quod si ignoranter id fecerit, at solemnitates in contrahendo requisitas neglexerit, eisdem subiiciatur poenis. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse*

(1) Id fuse ostendit Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 6.*, docetque Benedictus XIV. in *const. etsi matrimonialis 5o. §. 7., to. 4. Bullarii.*

(2) Bened. XIV. in ep. ad Ignatium Realem pontificiarum coeremoniarum praefectum *de celebratione Missae a sedente*, data die 11. Octobris 1757., quae incipit *aetas anni §. 12.*

(3) *Non convenit inter theologos*, ait ibidem Benedictus XIV. §. 13., *matrimonium inter fratrem, et sororem Iure naturali, et divino, an humano prohibeatur. Certe S. Thomas, Gonzalez, Pontius, Parisius, et Aversa solam Iuris positioni prohibitionem agnoscunt: neque tamen ullo probato testimonio evincitur, a quonam Pontifice admissas fuisse preces fratris, et sororis matrimonii vinculo invicem ligari petentium, quae enim a S. Sedis hostibus proferuntur exempla, falsa sunt. Instituit equidem Henricus VIII. Angliae Rex vehementer apud Clementem VII., ut spurio ipsius filio Duci Richemundensi sumere liceret Mariam, e legitimo Henrici, et Catharinae thoro prognatam, repulsam vero tulit illico. Similiter dispensatio illa, ex qua Dux Armaniacensis sorori suae nupserat, subreptitia omnino erat: cum Calixtus IV. constanter ea concedere recusaverit.* Sicuti tradit etiam Rigantius *in reg. 49. Canc. a num. 13. ad 17.*

(4) Matrimonium in primo affinitatis gradu lineae rectae tantum positivo interdicitur, subdit ibidem §. 14. Benedictus XIV., *asseritque Sylvius magni nominis theologus Pontificem dispensare posse cum vitrico, et privigna: ad hunc vero diem Pontificum nullus extitit, qui ex causa etiam gravissima dispensaverit in primo affinitatis gradu lineae rectae.* Id quod praedocuerat *lib. 9. de Syn. Dioeces. cap. 13. num. 4.*

(5) *Impedimentum criminis*, addit §. 15., *secuta etiam coniugis occisione positivo Iure est stabilitum, quod patet ex hebraica lege matrimonium post copulam, et coniugis occisionem irritum non agnoscente. Atque nos ipsi probe meminimus reiectam esse a tribunali S. Officii, cui in minoribus a consiliis eramus, petitionem Iudaei cuiusdam criminis impedimentum Hebraeorum matrimoniis opponere volentis, si post coniugis occisionem fuissent contracta. Nemo sane Davidis cum Bershabea matrimonium irritum credidit, quamquam adulterium praecesserit, et Uriae interfectio. Cum itaque matrimonium huiusmodi iure solum positivo prohibeatur, nullo tamen exemplo constat Pontificem dispensasse in impedimento huiusmodi publico.* Quod vero ad occultum criminis impedimentum Maior Poenitentiarius dispensat, ex infra dicendis *num. CIX.*

cognoscatur, *cuius ille* (contrahens) *probabilem ignorantiam habuit: tunc facilius cum eo, et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis*, *vel nulla omnino detur dispensatio*, *vel raro*, *idque ex causa*, *et gratis concedatur*, decrevit synodus Tridentina (1). At immediatus post eam Pontifex S. Pius V. consuevit huiusmodi dispensationes efflagitantibus largiri, experientia docente satius esse vetitas humano iure sponsas cupidis permittere, quam animos in vetitum connitentes furenti cupiditati obnoxios relinquere, vitamque individuam sociis exosis infelicitare (2). Quum sit vero exploratissimum pios in usus impendi pecuniam in Dataria pro publicis dispensationibus iamdiu solvi consuetam, eamque in urbano Monte Pietatis extra pontificii Thesaurarii curam ita deponi, ut inde speciali mandato Papae in opus aliquod pium reapse liberetur (3): patet eas dispensationes respectu Papae concedentis dari ex Tridentina sententia gratis. Sicuti enim divina clementia indulget peccata nostra eleemosynis redimi: ita mulctas vel coactas, vel sponte oblatas Ecclesiae in alimenta pauperum, et alia pietatis opera erogandas probavit semper Ecclesia spretis impiorum calumniis. Quas vero occultas dispensationes pro foro interno saepe solet vel ante, vel post nuptias largiri sacra Sedis Apostolicae Poenitentiaria, eas omnino gratis relaxari palam est.

XCVI. Disputatum a Patribus Tridentinis ferunt acta (4), utrum salubrius foret Episcopis, quam Papae facultatem dispensandi reservare? Pontifex Pius IV. prae ceteris annuebat, ut consanguinitas in quarto gradu, quia frequentior a Pontificis reservationibus eximeretur, eam arbitrio Episcoporum dimittens. At Synodo magis placuit sententia Marci Antonii Bobbae Augustani Episcopi, et Sabaudiae Ducis Legati, qui censuit episcopalem dispensandi facultatem in eo sanguinis gradu fore quam maxime adversam communi obiecto, votoque Patrum indulgendi raro dispensationes: propterea quod unam singuli Episcopi, ubi dato tempore concederent, multo plures, et crebras ab iis procul dubio datum iri animadvertet, quam ab uno quantumlibet largissimo Pontifice.

XCVII. Pontificiarum dispensationum duplex genus: quum aliae *publicae* pro utroque foro per Datariam, vel Secretariam Brevium, aliae *occultae* pro interno tantum foro per sacram Poenitentiariam concedantur. In utrisque, ut valeant, exposita cuncta oportet in primis vera esse, tum conditiones, legesque singulas apostolicis litteris adiectas impleri adamussim. Porro si quid falsi dictum in causis ad dispensandum moventibus, vel si quid veri fuerit in precibus reticitum, quo agnito, Papa verosimiliter dispensationem non indulsisset (5), aut si conditio-

(1) Trid. *sess. 24. de ref. matr. cap. 5.*

(2) Id oretenus traditum ab Alexandro VII. fert Card. Pallavicin. *lib. 23. hist. Conc. Trid. cap. 8. num. 11.*

(3) Ex pontificio Innocentii X. rescripto ad D. Checchini Datarium, postea Cardinalem, die 8. Novembris 1644, apud Pallavicin. *loc. cit.*

(4) Paleott. in *actis Conc. Trid. ad diem 17. Aug. 1563.*, Card. Pallavicin. *cit. lib. 23. cap. 9. num. 17.*

(5) Innoc. III. in *cap. super litteris 20. de rescriptis*, Bened. XIV. in *const.*

nes imperatas non impleverint (1), vel fines excesserint iisdem litteris designatos : nullius momenti erit gratia dispensationis , et matrimonio firmando prorsus inefficax. Sine legitima causa dispensationes ipsa Iuris communis natura vetat, reprobatque (2), quippe quae animos penitius evertant a cultu, et verecundia legum. Synodus Tridentina idcirco decrevit (3), ut *si urgens, iustaque ratio, et maior quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit,erit praestanda, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

XCVIII. Tres generatim ad dispensandum causas ab Ecclesia probari consuetas docet Gratianus (4): intuitu scilicet vel *pietatis*, vel *necessitatis*, vel *utilitatis* pro conditione temporis, personae, ac rei. Quoties enim vel mains bonum adsequuntur, vel peius malum evitant ex dispensationibus privatae personae, quae sunt partes totius Reipublicae Christianae: istarum beneficia bonum commune spectare indirecte videntur. Cumque synodus Tridentina decreverit (5),ne in secundo consanguinitatis gradu, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam dispensetur, in ceteris gradibus, casibusque sat innuit causam directe non pubblicam, sed privatam sufficere. Inter speciales autem causas dispensandi super impedimentis matrimonii praecipue numerantur 1 , utilitas fidei catholicae (6), 2, timor apostasiae (7), ut, ubi inter haereticos versantur catholici, contrahere cum iis ne adigantur, vel ubi locus ad mare finitimus , et pyratarum infidelium incursionibus expositus exteros fideles raro videat. 3, excellentia meritorum postulantis erga Ecclesiam. 4, bonum pacis, puta reconciliatio familiarum, vel ut sedentur vigentes inimicitiae antea, et aliunde, quam ex optato matrimonio exortae, vel ut lis magna componatur , vel ut pax recens inita validius confirmetur. 5, conservatio, vel illustris familiae, vel magnarum divitiarum in una, eademque cognatione. 6 , aetas sponsae, quae annos 24. excesserit 7, inopia mulieris indotatae, vel congruam dotem non habentis. 8, angu-

ad apostolicae 45. to. 1.Bullarii speciatim statuit causas nonnisi veras in dispensationibus super impedimentis matrimonii exponendas , et ab executoribus verificandas: alias irritae ipso facto sint.

(1) Bened. XIV. in const. *magnae nobis 51.*, seu priori epistola ad Poloniae Regni Primatem, Arch., et Episc. , et posteriori ad eosdem altera incip. *ad tuas manus 59. de concess., et execut. dispens. apost. super imped. matr. to. 2.* Bullarii.

(2) Ex cit. Bened. XIV. constitutionibus.

(3) Trid. *sess. 25. de reform. cap. 18.*

(4) Gratian. post *can. requiritis 5. C. I. qu. 7. §. nisi rigor disciplinae.*

(5) Trid. *sess. 24. cap. 3. de ref. matr.*

(6) Clemens V. dispensationem indulgens , ut Iacobus Hungariae Regis filius Heleonoram Regis Castellae filiam in secundo , et tertio gradu consanguineam desponsaret, *non auditum, nec factum est*, ipse ait , *ut antea in eo gradu dispensatio concederetur , sed propter publicam utilitatem fidei catholicae , et pacem regnorum primam dispensationem concessisse* , apud Zurit. *lib. 5. annal. cap. 76.*, et Larraea *dec. Granat. disp. 8. num. 24.*

(7) Bened. XIV. *const. cum encyclicas 33. §. 6. to. 4.* Bullarii.

stia loci, ubi facile nequiverit sponsa virum paris conditionis extra consanguineos invenire. 9, infamiae periculum, ubi copula inter sponsos acciderit, unde mulier diffamata, et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verosimiliter exoriri: vel ut futuro sceleri, et periculo mortis obviam eatur. 10, consummatio matrimonii rite celebrati ad formam Tridentinam vel bona, vel mala fide (1), et si quae sunt aliae. Aliquando in causae locum sufficitur gravis mulcta, quam petens dispensationem libenter, ac sponte solvat pro alimonia pauperum, quotiescumque dubius, et anxius ipse, an veram, et legitimam habeat impetrandae dispensationis causam, hanc exponere non cogitur.

XCIX. Dataria solet in diem dispensationes publicas largiri super consanguinitate, et affinitate, et spirituali cognatione, et publica honestate, et crimine adulterii ante mortem coniugis neutro machinante subsecutam. Ceterae super aliis publicis dirimentibus per Secretariam Brevium rarissime, et nonnisi ex causis urgentioribus indulgentur. Quod ad gradus consanguinitatis S. Pius V. declaravit sese, quoties primum consanguinitatis, vel affinitatis gradum oratores attingerent, nolle unquam dispensare: at in reliquis gradibus sat esse ad matrimonii valorem gradum remotiorem exponere, dummodo post litterae, ut aiunt, declaratoriae super propinquiore gradu reticito obtineantur (2), novam tunc utique dispensationem non continentes. At invalidum erit matrimonium inter coniunctos duplici vel consanguinitate, vel affinitate cum dispensatione super uno, vel duplici gradu simplicis cognationis exposito (3). Quae inter sponsos consanguinitatis, vel affinitatis suae ignaros, aut conscios contigerit, copulam oportet necessario exponere, ut dispensationem exin obtineat una cum absolutione ab incoestu vel ignoranter, vel scienter: alias obreptionis vitio irrita erit dispensatio (4).

C. Ex Cancellariae Regula XLIX. in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut alias prohibito, ea adiicitur clausula, seu conditio: *si mulier rapta non fuerit.* Si raptor scienter contraxerit nuptias cum rapta, petatque dispensationem: haec alia tunc adponitur ex *quaterno* clausula, *ut separentur ratione delicti, quoadusque arbitrio commissarii, seu executoris apostolici congruam egerint poenitentiam* (5). Raptor autem petens dispensationem eam obtinet cum onere dotandi raptam arbitrio executoris, et dummodo in loco tuto, et libero mulier separata sponte in eum consentiat; utque, si ea praemoriente supervixerit, ipse absque spe coniugii perpetuo remaneat (6). Itaque ad secundas postmodum transiturus nuptias

(1) De quibus Gallemart. *in declarat. Trid. ad cap. 5. sess. 24. de reform. matr. verb., idque ex causa*, tum in *remission. ibidem*, Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 19. to. 2.*, Pyrr. Corrad. in *praxi dispensat.* St. Quaranta in *summa Bullarii tit. matrimoniales dispensationes*, ceteri.

(2) Idem *loc. cit. num. 110, et seq.*

(3) S. Pius V. *const. 23. to. 2.* Bullarii Cherubini.

(4) Ex pontificio decreto Bened. XIV. *to. 4.* Bullarii sui *in const. etsi matrimonialis causa 50. §. 6.*

(5) Ex decreto S. Congreg. Conc. apud Steph. Quaranta *loc. cit. n. 13.*

(6) Hanc videsis apud Rigant. *to. 4.*

novam dispensationem petat ex causa, *quod continenter vivere diffidat*, obtentu faciliorem. Quia vero clausula coniugium vetans adiicitur sine decreto irritante: matrimonium secundum raptoris absque hac nova dispensatione validum, sed illicitum fore monet Rigantius (1).

CI. Cultu disparem ad coniugium cum fideli quandoque admittit apostolica dispensatio. Benedictus XIV. impedimentum disparis cultus fuisse Iure canonico humano constitutum docet: simul irritum declarat matrimonium haereticae mulieris baptizatae initum cum hebraeo non baptizato. At valida quantumvis illicita, quae in Belgio inter catholicos, et haereticos contrahuntur (2). Additque Romanam Sedem pontificiam Vicariis apostolicis facultatem dare consuevisse dispensandi super impedimento disparitatis cultus inter neophytos baptizatos, et non baptizatos, ubi coeperunt Sinenses, et Iaponenses catholicam fidem amplecti: commemorans amplissimum ea in re indultum a Gregorio XIII. concessum Missionariis Insularum Iaponiae. Dum ergo urget publica Ecclesiae utilitas ob spem sanctificandi coniugem infidelem consortio coniugis fidelis, proba quidem dispensatio sit: secus, ubi nulla eiusmodi spes affulserit, vel contra periculum subvertendi fidelem praevideatur.

CII. Ad Ordinis sacri impedimentum quod attinet, Innocentius IV. anno 1244. Magistro, et Fratribus Ordinis Praedicatorum Terrae Sanctae indulsit facultatem dispensandi, ut qui ex Iacobitis, Neostritis, Georgianis, Graecis, Armenis, Maronitis, Mosolinis, aliisque Orientalium nationibus schismaticis, post susceptionem sacrorum Ordinum, vel in gradibus, et casibus divina lege non prohibitis matrimonia contraxissent, remanerent in eisdem (3). Verum Benedictus XIV. Praefectum Missionis apostolicae in Aegypto instruens super dubiis Ecclesiae Cophtorum ritibus, noluit istud exemplum sectari: sed ei demandavit, ut inter alia referret ad Sedem Apostolicam: plus ne commodi, et utilitatis, an potius scandali, et detrimenti sit rei catholicae allatura dispensatio super matrimonio post sacros Ordines inito, libraretque utriusque partis momenta rationum (4). Concilium Ancyranum indulserat Diaconis, qui sese uxorem, ducturos protestarentur in ipso ordinationis actu, coniugium inire, in eoque manentibus ministrare (5). At abrogata mox Trullano canone posteriore fuit ea protestatio, et libertas (6). Vix Cophtis in

(1) Conrad. in praxi dispens. *lib. 7, cap. 6., et 7.*, et Rigant. *loc. cit. num. 99., et sequ.*

(2) Bened. XIV. in *const. singulari 2. de matrim. validitate inter virum Iudaeum, et mulierem haereticam §. 9. 16, et 17. to. 3. Bullarii.* Idem pro incolis regni Serviae, et finitimarum regionum sub Turcarum iugo degentibus decrevit, ne simulatoribus Mahumeticae sectae concederentur dispensationes, neque iis, qui nolint ritu catholico nuptias contrahere, in *const. inter omnigenas 89. num. 14. to. 1.* Bullarii.

(3) Apud P. Antonin. Bremond *to. 1. Bullarii Dominicanorum pag. 136*, quem laudat Bened. XIV. in *const. quamvis tempore 129. §. 51. to. 1.* Bullarii.

(4) Bened. XIV. *loc. cit. §. 53. num. 6.*

(5) Conc. Ancyranum an. 314. in *can. diaconi 8. dist. 28.*

(6) Ex supra dictis *lib. 1. tit.* XXXI., num. XIX., idque notant Balsamon et Zonaras in eodem canone Ancyrano.

puerili aetate ad Diaconatum promotis matrimonio copulari liberum dimittit Benedictus XIV., quoties in aetate legitima suum declarent animum a vinculo coelibatus alienum (1). Ab Ecclesia Latina procul sunt dubitationes huiusmodi, quum nullam omnino patiatur dispensationem sacra coelibatus lex (2).

CIII. De regularis, et solemnis voti dispensatione apostolica ne dubitaveris. Nam si divina Moysis lex patri cuique ius dabat vota, et iuramenta filiae facere irrita, quemadmodum et marito vota uxoris (3) : patet cur Concilium Chalcedonense olim Episcopis, ut Ecclesiae Patribus (4), et posteriores canones Pontifici Maximo omnium parenti facultatem attribuant relaxandi ex misericordia, et dispensatione vota, quamvis iurata solemnia. S. Gregorius M. quemdam Venantium monachum memorat, qui cum ad statum coniugii transiliisset, ab Apostolica Sede indulgentiam obtinuit (5) Huius tanti Pontificis, aliorumque Patrum illustrium auctoritate ductus divus Bernardus dubium, quo de huius rei veritate antea fluctuaverat, deposuit (6). Sed perrara usque adeo sunt isthaec dispensationum sacri coelibatus exempla, ut nullum fere locum dent imitationi.

CIV. Stans foedus matrimonii semel consummati, quod nulla penitus dispensatione possit umquam dissolvi, sat est superius ostensum (7). Ratum vero, sed non consummatum dupliciter solvitur, scilicet vel generali iure per solemnem vitae religiosae professionem (8), vel speciali

(1) Bened. XIV. in *const. anno vertente 30.* pro Cophtis catholicis *to. 3.* Bullar.

(2) Philippus VIII. Sabaudiae Comes anno 1268., quum se abdicasset Episcopatu Leonis, et Valentiae uxorem duxit Alicem Burgundiae Comitissam, ex dispensatione Clementis IV, at sterilis obiit absque prole, postquam regnasset annos 17.

(3) Numer. *cap. 30. vers. 4., et seq. Mulier si quidpiam voverit, et se constrinxerit iuramento, quae est in domo patris sui, et in aetate adhuc puel. lari.... si statim ut audierit, contradixerit pater, et vota, et iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. Si maritum habuerit, et voverit aliquid... et vir audiens statim contradixerit, et irritas fecerit pollicitationes eius : propitius erit ei Dominus.* Hunc locum recitat Gratianus in *can. mulier 14. C. 32. qu. 2.* Eumque ipsum, spectasse visus est B. Augustino Apostolus ad Corinthios scribens, ut pater servet, vel nuptui det arbitratu suo virginem suam, *can. merito hic quaeritur 15. ead. C. et qu.*

(4) Conc. Chalced. in *can. virginem 12. C. 27. qu. 1.*, de quo superius *lib. 1. tit. XXXII. num. XXI.*

(5) S. Greg. M. *lib. 1. epist. 33.* Alia dispensationum apostolicarum exempla innui superiori *lib. 1. tit. XXXII. de Regular. num. XVIII.*

(6) S. Bernard. *lib. de praecepto, et dispensat. cap. 17.*

(7) Hoc *tit. §. 1. de divortio num. IV., et seqq.*

(8) Trid. *sess. 24. de Sacr. matr. can. 6.* Id locum habere in professione Ordinis Equitum hierosolymitanorum, seu melitensium, non aliorum Ordinum militarium, in quibus non absolutum fere est votum castitatis, docet Benedictus XIV. in *const. biennium 2. in supplem. to. 3.* Bullarii, post Mendum *de Ordinib. Militar. disquisit 5. qu. 3. num. 17.* Pontium *de matrim. lib. 9. cap. 7.*, et anos. Nicolaus Papa in *can. scripsit nobis Theutberga regina 26. C. 27. qu. 2.*, re-

privilegio per Sedis Apostolicae dispensationem minime raram. Benedictus XIV. constituit, ut libellus patentium eiusmodi, gratiam dispensationis integram facti speciem, causasque omnes ad eum conducentes expositurus ipsimet Romano Pontifici exhibeatur: ut eum mature perpensum vel reiiciat, vel pro examine, ac voto ad sacram Concilii, vel aliam deputandam Congregationem remittat; exin deliberaturus, sit ne votum Congregationis approbandum, an remittendum alterius iudicio maturiori (1).

CV. Clandestinum vero, ut olim, foedus contrahere, nisi formam Tridentinam quod ad substantiam perficiant matrimonium conscientiae sub arcani fide ineuntes (2), indulgetur nemini. Quemadmodum nec dispensatio super impedimento *criminis* quum publico, tum etiam ubi fuerit coniugi mors illata, vel utroque, vel altero ex adulteris machinante (3). Hactenus de publicis dispensationibus, quae dum nuptias praecesserint, ut sit saepius, validum efficiunt ab initio matrimonium, et in radice, ut aiunt, confirmant.

CVI. Occultae quoque dispensationes per sacram Poenitentiariam, ad effectum vel contrahendi, vel remanendi in matrimonio iam contracto, nonnisi ex causa probabili conceduntur in diem (4). *In matrimoniis contrahendis* (ex Innocentii XII. (5), et Benedicti XIV. (6) constitutionibus) *Maior Poenitentiarius in foro conscientiae tantum super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt*, dispensat, quae scilicet obveniunt ex *voto* simplici castitatis perpetuae, vel ingrediendi religionem, quamvis iuramento privatim fuerit illud confirmatum, et *ex sponsalibus* de futuro: nam *Ecclesiae interdictum* nequit esse non publicum. Item *super omissione denunciationum*, addens ait Benedictus XIV., *etiam ad effectum contrahendi secreto, quod serventur, quando agitur de matrimoniis* conscientiae *nuncupatis, litterae a nobis datae die 17. Novembris 1741. At a dispensationibus super quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali, etiam in foro con-*

scripsit mutuo utriusque coniugis consensu, votoque coelibatus posse matrimonium separari, nempe quod ad thorum post consummationem. *Nam licet sit scriptum*, quod Deus coniunxit, homo non separet: *Deus tamen* (ait), *et non homo separat, quando divini amoris intuitu ex consensu utriusque coniugis matrimonium dissolvitur.*

(1) Bened. XIV. in *const. Dei miseratione 33.* §. *15. to. 1.* Bullarii.

(2) Idem Papa in *const. pastor bonus 95. eodem to. 1.* attribuens M. Poenitentiario ius dispensandi super omissione denunciationum ad effectum contrahendi secreto, iubet servari suam de matrimoniis *conscientiae* constitutionem, de quo supra dictum *hoc tit. num. XXXII., et seq.*

(3) Clementem VIII. viris vel potentissimis talem dispensationem flagitantibus firmo animo denegasse tradunt Corradus in *prax. dispens. lib. 8. cap. 9. num. 4.*, et Benedictus XIV. *instit. eccles. instit. 87. num. 10.*

(4) Ex iteratis Romanorum Pontificum constitutionibus, praesertim S. Pii V.

(5) Innoc. XII. in *const. Romanus Pontifex 12.* edita 3. nonas Aprilis 1692, quam luculenter Benedictus XIV. edisserit *lib. instit. ecclesiast. inst. 87.*

(6) Bened. XIV. in *const. pastor bonus 95.* de facultatibus Maioris Poenitentiarii, et officii Poenitentiariae §. *39.*, *et seqq. to. 1.* Bullarii.

scientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat, subdunt iidem Pontifices. Ex hisce Innocentii primum verbis arguit Benedictus XIV. integrum remansisse M. Poenitentiario ius dispensandi super publicae honestatis impedimento, quod ex occultis oriatur sponsalibus : tametsi Dataria censet nullum prorsus impedimentum in foro conscientiae ex clam initis sponsalibus obvenire (1).

CVII. *In matrimoniis vero contractis* (ambo aiunt) *a dispensatione, seu revalidatione in gradibus* primo, et secundo, *seu* secundo *tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis pariter abstineat : praeterquam si in huiusmodi secundo gradu tantum impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint, et convixerint, et uti coniuges legitimi reputati fuerint.* In tertio *autem, et* quarto *gradibus publicis possit revalidare matrimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis occultae litterarum apostolicarum, praeterquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae tamen antea non intercesserat. Quod si Oratores, qui obtinuerint a Dataria dispensationem super gradu prohibito tam in primo, et secundo, quam in secundo tantum, ac etiam in tertio, et quarto, tacita copula inter eos secuta, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, et ratione huiusmodi taciturnitatis petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidatione matrimonii contracti : possit idem Maior Poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiae tantum concedere, facta, quando agitur de primo, et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi in eleemosynas. Nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum, quo casu etiam haec gratia absque ulla compositione similiter expediatur.* Si qui vero obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, sive affinitatis expresserint carnalem copulam, sed tacuerint occultam, malitiosamque intentionem praeviae copulae idcirco habitae, ut facilius impetrent dispensationem : indulgent iidem Pontifices M. Poenitentiario revalidare matrimonia pauperum gratis, qui nempe in forma pauperum a Dataria dispensationem obtinuissent, aliis eleemosynam arbitrio Datarii componendam exoluturis, nisi ex inopia oratorum comperta aliter opportune M. Poenitentiarius una cum Dataria providerint.

CVIII. Praeterea ex iisdem duabus constitutionibus M. Poenitentiarius dispensat *super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu actu fornicario, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis seu scandalorum non immineat, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis in foro con-*

(1) Idem *cit. instit. 87. num. 3.*

scientiae tantum. Quoties vero affinitas huiusmodi post contractum matrimonium supervenerit, ut debitum peti possit, in eodem conscientiae foro indulget. Speciatim vero declarat Benedictus XIV. locum recensitis M. Poenitentiarii facultatibus esse, *etiamsi gradus, et impedimenta huiusmodi multiplicia sint, quacumque, et quantacumque multiplicitate.*

CIX. *Super occulto impedimento criminis adulterii* (addit Benedictus XIV. (1) ex probata iam sententia S. Congregationis, et consuetudine) *si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro* (mortem coniugis) *machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen huiusmodi fuisset, utroque, vel altero* (mortem coniugis) *machinante, patratum : possit in occultis pariter dispensationem concedere ; raro tamen, et quando necessitas postulaverit ratione alicuius imminentis periculi, quod prudentia Maioris Poenitentiarii, re praesertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.* Publico autem eiusmodi impedimento criminis cum coniugis occisione Pontifices Romanos numquam dispensasse, iam dictum superius est (2).

CX. Quoties autem aliquid acciderit, cui sua non valeat M. Poenitentiarius facultate ordinaria satis consulere : extraordinariam consuevit a Summo Pontifice postulare.

CXI. Apostolica Sede vacante perpetuum M. Poenitentiarii officium non conquiescit, sed potentius viget. Nam pro interno conscientiae foro etiam tunc absolvit, et dispensat cum conditione recidendi, nisi recurrerit ad novum Pontificem intra terminum eius arbitrio definiendum, ab iis quoque censuris, et impedimentis, quae vivo Pontifice sunt extra, vel supra suas ipsius facultates. *At pro foro externo*, ait Benedictus XIV. (3), *eadem Sede Apostolica vacante a quibuscumque matrimonialibus, et aliis dispensationibus, et absolutionibus, ac declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino obstineat.*

CXII. Clausulas rescripto S. Poenitentiariae adiectas oportet sigillatim impleri, ut executio gratiae recte procedat. In primis ea communior clausula (*si ita est*) indicat Confessario executori necessitatem inquirendi ab ipsomet impetrante, an cuncta in litteris exposita sint vera, ut sciat ab executione abstinere, ubi preces subreptione, vel obreptione fallaces dignoverit, vel certo aliunde sciverit. Per hanc aliam (*audita sacramentali confessione*) impetrans cogitur in Poenitentiae Sacramento acceptare opera satisfactionis, Confessarii aequi, et boni arbitrio sic imponenda, ut respondeant admisso sceleri pro conditione sexus, et aetatis. Confessarius autem post consueta absolutionis

(1) Idem in *cit. const. pastor bonus* §. *44*., tum in *ep.* ad Ignatium Realem pontificiarum coeremoniarum praefectum *de celebratione Missae a sedente* data 11. Octobris 1757., quae incipit *aetas*, §. *15*.

(2) Hoc *tit. n. XCV*. Idipsum observat Migliorucius *lib. 2. Inst. Canon. tit. 14. in explicationibus ad num. 9., et 10.*

(3) In hac ipsa *const.* §. *53*.

verba statim, et haec pronunciabit. *Insuper auctoritate apostolica mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento.... ut eo non obstante, matrimonium cum dicta muliere publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, consummare, ac in eo manere licite possis, et valeas: in nomine Patris etc. Insuper eadem auctoritate apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio, et declaro: in nomine Patris etc.* Aut si de iam contractis nuptiis confirmandis agatur, inquiet: *ut eo impedimento non obstante, tuum matrimonium consummare, et in eo remanere licite possis: in nomine Patris etc. Pariter prolem, si quam suscepisti, et susceperis, legitimam fore decerno, et declaro: in nomine Patris etc.*

CXIII. Alia illa (*dummodo impedimentum omnino sit occultum*) ostendit inanem prorsus pro externo foro dispensationem, dum occulti qualitas defecerit, quam superius exposui (1), et impedimentum fuerit quovis modo publicatum vel in iudicio, vel extra. Eo vel maxime quod addi etiam solet, quod *huiusmodi absolutio, et dispensatio in foro iudiciario nullatenus suffragetur.* Cui aequipollet haec itidem clausula obscurior: *aliudque non obstet.* Ob idipsum non semel aperte imperatur etiam laceratio litterarum sub poena excommunicationis, *ita ut nullum earum exemplar extet, neque latori restituantur. Quod si restitueris, nihil ei praesentes litterae suffragentur*, scilicet in foro externo. Nam quae suum semel effectum habuit in foro conscientiae absolutio, et dispensatio, retractari non potest in eodem foro, et valida in perpetuum permanet, quamvis externo iudicio erit obnoxius (2).

CXIV. Hinc Episcopus dioecesanus occultam ignorans dispensationem, si contigerit postea impedimentum publicari, et probari plene in iudicio; probo iure in coniuges eiusmodi animadvertit separatione thori et censuris ecclesiasticis, nullam de obtenta dispensatione fidem ipsis dispensatis habiturus. At si antequam iudicium instituatur, certior fiat Episcopus a Confessario dispensationis executore, vel oretenus, vel secreto testimonio, nullam tunc dispensatis debet molestiam inferre: quum molestis, asperisque Ordinariis consueverit eo casu Maior Poenitentiarius inhibere iudiciariam animadversionem ex traditis a Benedicto XIV. (3).

CXV. Episcopis etiam ius esse dispensandi quandoque super occultis impedimentis dirimentibus, quotiescumque sex rerum adiuncta, seu circumstantia simul (id quod rarissime, ac fere numquam contingit) concurrerint, Doctores consentiunt cum Benedicto XIV (4). 1, nempe si matrimonium sit rite in faciem Ecclesiae contractum. 2, si bona contrahentium fide ex iuris vel facti ignorantia. 3, si consummatum. 4, si occultum omnino sit impedimentum. 5, si nequeat facile ab aposto-

(1) Hoc *lib. tit. X. de Sacr. Ord. num. CXIII.*

(2) Ceteras dispensationum singularum clausulas, et formas peculiares videsis apud P. Marc. Paul. Leone *in praxi ad litteras, et bullas Maioris Poenitentiarii par. 2.*, de Iustis *de dispensat. matrim.* P. Tiburt. Navarrum in *manuduct. prax. exec. litter. S. Poenit.* Syrum in *praxi S. Poenit.*

(3) Bened. XIV. in *cit. instit. 87. num. 31.*

(4) Idem de Syn. Dioec. *lib. 7. cap. 31. num. 1.*

lica Sede obtineri dispensatio ob paupertatem coniugum, loci distantiam, aliamve legitimam causam. 6, si absque scandalo eorum separatio fieri non possit. Unum ex hisce requisitis ubi defuerit, nullus episcopali arbitrio locus erit. Quod enim aequitas iuris permittit in summa necessitate, id hac non urgente prorsus denegat. Et quoniam in contrahendis matrimoniis haec eiusmodi necessitas procul abest: idcirco Episcopis eam sibi facultatem dispensandi super dirimentibus impedimentis, usurpare nefas, monet Fagnanus contrariam fere communem opinionem refellens consilio saniori (1). Ceterum eam sententiam, quae facultatem Episcopis attribuit vel ex gravi necessitate, vel ex consuetudine dispensandi super aliquo publico impedimento dirimente, sine privilegio speciali Sedis Apostolicae, uti fallacem, ac temerariam proscribunt plura S. Congregationum decreta (2). Episcopos autem Occidentalium Indiarum apostolico frui privilegio dispensandi pro foro etiam externo super impedimentis dirimentibus, et Patres etiam Missionarios, qui ducenta saltem millia passuum distent ab Episcopii residentia, decrevit S. Congregatio Inquisitionis, Benedicto XIV. comprobante (3).

CXVI. In singulis dispensationum litteris quum Datariae, tum S. Poenitentiariae exprimitur et clausula *prolem, sive natam, sive nascituram declarans legitimam* (4). Nam leges (5), et canones (6) quum filios ante nuptias susceptos indulgeant legitimos fieri per subsequens matrimonium, at natos ex matrimonio irrito inter illegitimos, atque ab hereditate parentum exclusos relinquant (7): patet, cur apostolicis dispensationibus adnectatur declaratio legitimae prolis. Innocentius III. in Papae arbitrio, ac potestate situm ius istud efficiendi legitimam sobolem in terris Ecclesiae quod ad utrosque tum spirituales, tum temporales effectus; in alienis vero provinciis, et terris, quod ad spirituales tantum res, quae per indirectum, seu per accessionem influant gratiam pro rebus temporalibus et profanis, rescripsit (8): adulterinam eo favore indignam simul iudicans, quemadmodum et spuriam ante censuerat Alexander III (9). Id quod firmat Benedictus XIV. (10).

CXVII. Si quando acciderit mors alterutrius coniugum, qui obtinuis-

(1) Fagnanus in *cap. nimis de filiis presbyterorum num. 34, et 35*, quem collaudat Bened. XIV. *loc. cit. num. 2.*

(2) Apud Rigant. in *comment. ad Cancell. Reg. 49. num. 1, et 2 tom. 4.*

(3) Bened. XIV. in *const. cum venerabilis 66. to. 4. Bullarii.*

(4) Hanc ipsam clausulam iussit in litteris S. Poenitentiariae ex antiquo more adponi praeterquam favore prolis in adulterio conceptae, Benedictus XIV. in *cit. const. pastor bonus 95. §. 45. to. 1. Bullarii.*

(5) Constant. M. in *l. 1. C. Theodos. de natural. filiis*, Zeno in *l. 5* Iustinian. in *l. 10, et 11. C. eod.* de quibus dictum supra *num. 24.*

(6) Alex III. in *cap. 1, et sequ. qui filii sint legitimi.*

(7) Coelestinus III. in *cap. referente 19, et cap. pervenit 11. eod. tit.*

(8) Innoc. III. in *cap. per venerabilem 13. eod. tit.*

(9) Alex. III. in *cap. tanta est vis matrimonii 9 eod. tit.*

(10) Bened. XIV. in *const. redditae nobis 113. tom. 1. Bullarii*, ubi quaestionem edisserit, an filii ex adulterio procreati fiant per subsequens matrimonium legitimi.

sent apostolicas dispensationis litteras, antequam hae suum haberent effectum in matrimonio confirmando : gratiam nihilominus proli suffragaturam, et executioni demandandam, ut ea inde legitima declaretur, saepe censuit Rota (1).

§. VI. et ult. *De iudicio vinculi coniugalis.*

CXVIII. Maximi quum ponderis in Christiana Republica sint causae impedimentorum matrimonia dirimentium : eas iudicio tantum ecclesiastico fori episcopalis (2), Praelatis inferioribus generatim exclusis (3), Tridentina synodus vindicavit. Istud praeterea iudicium non *summario* ritu, quem Ius Clementinarum indulserat (4), sed *ordinario*, et solemniori ex inveteratis fori sacri moribus exercendum est. Sacrum porro vinculum coniugii nec facile, nec temere dirimendum umquam est.

CXIX. Dissolutiones foederis coniugalis alicubi, et praesertim in Poloniae regno frequentiores, tum ex praecipiti Curiarum episcopalium iudicio, et licentia, quum ex utriusque partis collusione, vel alterutrius praepotentia, et fraude quum audirentur plurimos in polygamiam, et poliviriam deiicere scelestissimam : pervigil Benedictus XIV. tantis malis obviam ire studuit data per orbem ad Episcopos encyclica epistola, seu constitutione de iudicii forma in eiusmodi causis observanda, et qualitatibus iudicum (5). Itaque sanxit, ut publicus matrimoniorum Defensor in omnibus et singulis causis debeat validitatem matrimonii ita semper tueri, vel adhaerens alteri partium eam sustinenti, vel solus, ubi rescissionem ambae postulaverint, ut iudicium sine eo instructum, et quidquid in actis eo non citato fiat, nullius sit momenti. Et quoties in primo gradu sententia pro matrimonio feratur, nequeat unquam ipse appellare : at a sententia contra matrimonium prolata appellationem ex officio suo debeat omnino interponere, quamvis hanc pars, cui adhaeserit in iudicio, expresse abnuat. Interea cuilibet nun-

(1) Rota in Syracusana illegitimitatis die 19. Octobr. 1573. coram Hyppolyto Aldobrandino, qui postea fuit Clemens VIII., *dec. 207. par. 1. rec.* tum apud Puteum *dec. 482.* probans Ancharani *cons. 409.* St. Quaranta in *summ. Bullarii tit. matrimoniales dispensationes in fine.*

(2) Ex supradictis *hoc tit. §. 1 de divortio num. XLIV.*

(3) De quibus actum *lib. 1. tit. XXIV. num. IX.* Hinc Benedictus XIV. causas matrimonia spectantes parochianorum Capitulo Veronensi subiectorum esse non a Capitulo, sed ab Episcopo Veronensi iudicandas declaravit in *const. Regis pacifici 58. §. 29. to. 4.* Bullarii. Quemadmodum et eas de nullitate matrimonii non ab Abbate Cryptae Ferratae loci Ordinario, sed ab Episcopo Tusculano, in alia *const. inter multa 33. §. tertium to. 2.* Bullarii.

(4) In Clementina *dispendiosam de iudiciis* Clemens V, Patresque Viennenses constituere duxerunt, quod in causis *matrimonium etiam procedi valeat de cetero simpliciter, et de plano, ac sine strepitu, et figura iudicii.* At istius constitutionis, quae formam iudicii summariam non imperat, sed solum permittit, arbitrium contraria consuetudo, vigensque fori stylus delevit.

(5) Bened. XIV. in epistola encyclica ad Episcopos Poloniae, quae incipit *matrimonii perpetuum 16, et const. Dei miseratione to. 1.* Hanc deinde constitutionem commemorat, firmatque in *const. si datam hominibus fidem 47. n. 1 de ord. serv. in caus. super nullit. Profess. Regular. to. 2.* Bullarii, tum in *const. etsi matrimonialis 50. to. 4.*

quam licere post unicam sententiam pro nullitate, ac rescissione matrimonii latam ad secundas nuptias convolare, etiamsi fuerit appellatio neglecta, vel omissa intra decem dies, vel deserta postmodum sit lapsu fatalium : alias cunctis poligamiae poenis canonicis fiant contrahentes obnoxii. Tum in secundo gradu Iudex non secus, quam in primo Defensorem, vel eundem strenuum, si praesens adsit, vel alium ab se deputandum, ille si desit, audiet in singulis actis. Dum primae sententiae secunda conformetur, atque ab hac Defensor, et pars, quae succubuit, provocare non censuerint : licebit secundas inire nuptias. Secus, ubi vel Defensor, vel pars iterum appellaverit, tunc enim tertiam oportet conformem sententiam eum expectare, qui secundas expetit nuptias : quum appellatio executionem perinde unius, atque duarum conformium executionem iure suspendat. Praeterea in rem iudicatam numquam transire sententiam de nullitate matrimonii, sed posse novis rebus detectis quandocumque revideri declaravit.

CXX. Addit causas istas in gradu appellationis extra Curiam Romanam nonnisi Episcopo viciniori, vel Metropolitano, vel alicui ex Iudicibus, ut aiunt, synodalibus dioecesanis, quos cum sui Cathedralis Capituli consilio Episcopus quisque delegisset, Sedique Apostolicae indicasset, fore delegandas. In Urbe autem Roma ut Cardinalis Vicarius in primo gradu, in secundo S. Congregatio Concilii, vel Palatii apostolici Auditorium, vel particularis Congregatio a Pontifice deputanda easdem causas audito pariter Defensore matrimonii cognoscat, et definiat : et nemini post primam sententiam, sed solummodo post duas conformes indulgeantur secundae nuptiae.

CXXI. Mox ad novas a Polonis inventas fraudes extirpandum idem Papa rescripsit nullum, et irritum omnino fore pactum quovis iuramento firmatum, quo sub condicta poena spopondissent collitigantes sese a ferenda sententia super matrimonii sui nullitate numquam appellaturos : et censuram excommunicationis Papae reservatam ipso facto incursuros nedum paciscentes, verum etiam Iudices, qui pacta eiusmodi servanda pronunciaverint (1).

CXXII. Ad personam quod attinet Defensoris, iussit (2), ut Ordinarii locorum in sua quisque Dioecesi ecclesiasticum virum, et iuris scientia, et probis moribus clariorem deputent cum facultate alium aeque idoneum, primo vel impedito, vel ex causis amoto, substituendi. Electus autem in primis generatim iuret de suo fideliter obeundo munere : tum quoties erit aliquod inchoaturus patrocinium, rursus debeat idipsum iurare. Mercedem vero laboris, vel nullam in causis pauperum, vel congruam Iudicis arbitrio constituendam ex pecuniis mulctarum ipsius Curiae, in qua lis agitur, accipiat : nisi exolvendo par erit ea pars, cuius interest validum declarari coniugium suum. Ceterum quae spectant ad totam instruendam iudicii ordinarii formam, in sequenti libro III. exponentur.

(1) Idem in alteris ad Episcopos Poloniae datis litteris sub annulo Piscatoris, quae incipiunt *nimiam licentiam 85. eod. to. 1.* Bullarii.

(2) Idem in *cit. Dei miseratione* §. *5., et 12.*

Finis Libri II.

INDEX

TITULORUM ET CAPITUM

LIBRI II.

TIT. *I.* *De rebus sacris, et ecclesiasticis* . . . pag. 3
II. *De Sacramentis* 5
III. *De ritibus sacris, et superstitionibus gentium.* . 45
IV. *De Baptismo* 64
V. *De Confirmatione.* 97
Appendix de patrinis in Baptismo, et Confirmatione. 124
VI. *De Eucharistia* 128
VII. *De Sacrificio Missae* 164
VIII. *De Sacramento Poenitentiae* 199
Additiones Canones poenitentiales in veteri Ecclesiae disciplina constituti 222
§. *I.* *De casuum reservatione.* 233
§. *II.* *De peccatis.* 243
IX. *De Extrema Unctione* 250
X. *De Sacramento Ordinis.* 267
§. *I.* *De Ministro* 289
§. *II.* *De Ordinandis.* 308
§. *III.* *De titulo Ordinationis* 311
Additiones 316
§. *IV.* *De aetate Ordinandorum* 317
§. *V.* *De temporibus Ordinationum* 323
§. *VI.* *De impedimentis, et irregularitatibus* 331
XI. *De Sacramento Matrimonii.* 353
§. *I.* *De divortio.* 384
§. *II.* *De secundis nuptiis.* 393
§. *III.* *De sponsalibus* 396
§. *IV.* *De impedimentis.* 401
Additiones de matrimonio 417
§. *V.* *De dispensationibus* 421
§. *VI.* *De iudicio vinculi coniugalis.* 433

3890